Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius Johann Grambs

De Republica Dissertationum Prima De Societate Coniugali

Rostochii: Kilius, 1644

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0001
DFG

Handeinband
Fritz Pruter
Buchbinderei
Rostock
Grubenstraße 37
Ecke Hartenstr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729615693/phys_0002
DFG

DE REPUBLICA DISSERTATIONUM

PRIMA

De

SOCIETATE CONJVGALI,

Quam

Adſpirante gratiam JESU CHRISTO

ex

Prælectionibus privatis

CL. VIRI

DN. M. CASPARI MAURITII,

Log. Prof. Publ.

depromptam

Eodem PRÆSIDE

Publicæ ventilationi ſubjicit

JOHANNES Grambs/Mœno Francofurt.

Habebitur in Auditorio Majori ad diem Octobris.

§(O)§

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi.

Anno M. DC. XLIV.

1644

VIRIS

Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, longoq; rerum usu Praestantissimis.

DNN.

PRÆTORI, CONSVLIBVS, SCABINIS,

& cæteris

SENATORIBVS.

Liberæ S. R. I. Civitatis Francofurti ad Mœnum PATRIBUS PATRIÆ devenerandis.

Hocce Exercitium Academicum

In sinceri obsequij signum

Dicat dedicatq;

JOHANNES Grambs/
MFrancofurtanus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0006
DFG

DEO DUCE.

§. 1.

Primordium civitatis est.

Principium civitatis & quasi seminarium Reipubl. esse hanc societatem Cicero affirmat, idq; ut solet ex Platone, qui Athenienses. ἀρχὴ ἐστὶ τῶν γενέσεων πόσις πόλεσιν δὲ ἔχ ἡ τῶν γάμων σύμμιξις καὶ κοινωνία; quærentem introducit.

1. off 4. de LL.

§. 2. Non ex necessitate magis aut indigentia, quam ex ipso naturæ instinctu atq; ductu nata est. Hoc nos docet Aristoteles: *Necesse est primùm conjungi quorum alter sine altero esse non potest, ut marem & fœminam, atq; hoc non proficiscitur ex consilio: sed quemadmodum & in aliis animantibus & stirpibus naturale est tale alterum, quale ipsum sit, capere relinquere.* Cupiditatem intelligit Arist. non elicitam, sed innatam, h. e. appetitum à Naturæ Autore ingenitum; quo unumquodq; ad id, quod convenit, inclinatur, quæ in tres veluti ramos dividitur. Cùm absq; notitia est veluti in stirpibus Naturalis dicitur, cum notitia sensus præit, sensitivus, cum intellectus præcurrit, Intellectivus in Scholis nominatur. Ut autem Natura nos ad hanc societatem ineundam duceret, voluptatem appetitui animalium adjunxit, partim stimulum & incitamentum, partim molestiarum, quas pondus antiqui criminis fecit hujus societatis comites & pedissequas, condimentum. ἡ γὰρ περὶ ταῦτα ἡδονὴ κατὰ φύσιν ἀποδεδόσθαι δοκεῖ. Plato.

est â natura.

1. Pol. c. 2.

1 de Leg.

§. 3. Naturam cum dicimus, ipsum DEUM intelligimus, cujus Numine dispositа hæc communio est, ut habet Arist. qui unicuiq; Enti ut loquitur Scaliger insevit appetitionem infinitatis & æternitatis. ἐστὶ τοῦτο θεῖον τὸ πεφυκὸς est divinum opus, & in animali ipso mortali immortale, ait Plato: quippe, cum DEI æternitas creatis rebus inimitabilis sit, si secundum individua spectentur, ipse non tantùm cupidinem nosmet defendendi, conservandi, sed aliamnos propagandi & velut renascendi indidit, ut quan-

sive DEO.

1. Occon. c. 3. Ex 9. in Con.

quam homines paucorum annorum decursu, qui nunc vivimus, intermori videamur, propagatione tamen nostri generis sempiterni constituamur. Pulchrè Arist. ἡ Φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν γε δύναται, ἀλλὰ γε κατὰ τὸ εἶδος. Natura hoc circuitu complet perpetuitatem vitæ, specie nimirum, cum nequeat numero. Et ἡ τῶν ἀνθρώπων κατάστασις ἕως θνητὴ ἐκ τῆς διαδοχῆς τὸ ἀεὶ εἶναι παρέχει. Præiverat Plato. ἡ θνητὴ Φύσις ζητεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀεί τε εἶναι καὶ ἀθάνατος. δύναται δὲ ταύτῃ μόνον γένεσις· διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωίας τὰς διαδοχὰς εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον, *ut continua successio ad æternitatis circulum perveniat*, quæ sunt Diodori Siculi verba præclara.

l. 1. OEc. cap. 3.

c. 7.

in Convivio.

Politici palmaria cura esto.

§. 4. Hinc Plato legibus Rempubl. firmaturus primo fere loco legislatoris curæ nuptias resignat, quod rectè jacta hujus societatis fundamenta erigi quam dexterrimè possint: recte autem jaciuntur, si utriusq; sexus vaga libido districtè coerceatur, præmia, honores, immunitates assignentur iis, qui liberos habeant plures, prætereantur, qui legitimam Venerem abhorrent, & detrimenta sentiant, cureturq; ut Civitas repleatur hominibus liberis & honestis. Quanta pœna mulctari debeat, qui ducere uxorem renuit, Plato hunc in modum exponit: *Quisquis sine connubio quinq; & triginta egerit annos, singulis annis, si de maximo censu est, drachmis centum mulctetur: Si de secundo, septuaginta; Si de tertio, sexaginta: Si de quarto, triginta. Honore autem sic: primùm honores nulles à junioribus consequatur, deinde si aliquem cædere ausus fuerit, quilibet adversus ipsum insurgat &c.*

d. LL. l. 1.

l. 6. de LL.

An omnes ligare debeat, indiscretè?

§. 5. Neq; tamen omnibus simpliciter matrimonij onus imponendum esse censemus, etiam illis, qui suprà sortem humanam evecti in contemplatione DEI divinorumq; operum & præclaris actionibus ætatem sine stimulo libidinis & flamma exigere possunt. Quod quia paucissimis datum est, pluribus autem perpetuam continentiam professis difficilimum est, & solicitissima sui custodia constat (*quis autem tam circumspectus est, cujus non diligentia sibi aliquando exeidat?*) præstat iis, qui libidinis aculeos sentiunt incursantis, Chrysostomum audire, qui *Non solum*, inquit, *nobis nihil obstant ad philosophandũ* DEO *si voluerimus esse sobrii, sed & ma-*

Seneca.

& magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum Naturæ impetum, nec turbari quasi mare (in mari ergò cœlibes) *sinunt, sed efficiunt, ut scapha feliciter in portum* (in quo conjuges) *appellat. Naturam consulamus. Profecto fumus qui non exhalatur, totam domum perpetuo reddit fuliginosam: Secus est, si aptato camino erumpat. Et cerebrum obsessum occupatumq; vaporibus cruditatum in stomacho indigestarum ineptum est ad Philosophandum. Quod si subinde à cruditatibus evacuetur, in debita conservatur temperie.* Hactenus Chrysostomus. Assonat Nazianzenus, & *cœlibem vitam* vocat *diviniorem & sublimiorem; sed Laboriosiorem & periculosiorem: Conjugatam humiliorem, sed tutiorem.*

§. 6. Ut essentiam societatis hujus pervestigemus, attollendus est animus ad primam ejus institutionem, quam sacer Codex describit. Et huc auditores suos Servator ipse revocat, cum Iis super libello repudij exoriretur, *olim*, inquit, *sic non erat*. Quasi pro confesso sumit Naturam sive DEUM, cum conjugium sanciret, legem quandam fixisse, quæ vigere semper debet, à quâ quicquid deflectit, non à purissima Naturæ institutione est, sed ab hominum vitio. A quo Polygamia est, quando VIRI vel communes habent uxores, quales *Britanni* teste Cæsare & *Scythæ Nomades*, teste Strabone, & *Scoti*, teste Hieronymo: vel proprias quidem, sed plures simul, partim alternas, quæ uxorum pluralitas multis populis etiam sacro in usu fuit; partim usurarias atq; vel semel vel sæpius aliis prostitutas. Negavit enim Solon, teste Plutarcho, *denegandam uxorem viro strenuo ad similem prolem suscipiendam*: quin apud majores quoq; nostros hæc mulierum permutatio usu fuit recepta si Cæsari credimus. Quod vero una uxor simul nupserit multis viris, præterquam quod procreationis series id fieri non permittit, fando audirum non est, si excipias meritrices, publicæ libidinis victimas & Lithvanas matronas nobiles, *quibus licebat assumeri matrimonii adjutores*, ut discimus ex Ænea Sylvio.

Est unius maris & unius fœminæ.

l. 5 de bel. Gall.

in Solon.

4. de Bel. Gal.

c. 26 descriptionis Europæ.

§. 7. Quanquam vero apud plurimas gentes inoleverit Polygamia, imò sanctis quoq; Patriarchis in V. T. vicinarum gentium hæc scabies fuerit affricata, non tamen exemplis standum, sed legibus, quas posuit DEUS & Natura: cujus rei sparsos per ipsa bruta igniculos colligere possumus & debemus. *Columbæ tantâ fide*

Polygamia instituto Naturæ

ræ repugnat.

matrimonium servant, ut, si quando suspicio adulterij est, ut inquit Plinius, *quamvis natura non sit, tunc plenum querela guttur, sævique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio & circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio.* Quin generatio, quam Natura intendit & Educatio directè Polygamiam evertit. Cum enim Mariti virtus certis sit circumscripta cancellis, & ad suum terminum contracta, quo pluribus nitetur uxoribus satisfacere, eò magis se inaniet atq; debilem faciet, & pessum dabit ipsam Rempubl. cujus non minus interest rectè educari liberos, quam generari. Quomodo autem in tot dispersa liberos cura educationis sibi constabit? Accedit quod amicitia conjugalis rivalitate frangitur, nec *perfecta amicitia*, judicio Aristotelis, *nisi inter duos esse potest.* Libidini verò restinguendæ cum una sufficere possit, quorsum plures uxores ducentur? Ne nunc dicamus de naturali affectu, quo in se mutuo conjuges feruntur, ut alienis implicari amoribus horreant, quod sciant, se mutuo sibi deberi, nec esse rem invito Domino alienandam. Hoc sensu Apostolus *negat virum habere sui potestatem*, adeoq; inique facturos subinnuit, si jus suum eripere uxori vir velit, & illa sui copiam aliis facere. Quod contra Polygamiam telum solidissimum & efficacissimum esto.

l. 10. c. 34.

8. Eth. c. 6.

1. Cor. 7. 4.

Conjugium consensu contrahentium definitur.

§. 8. Sita est essentia conjugij in consensu partium contrahentium, qui non necessario verbis, sed quovis signo æquivalenti exprimitur, si v. g. annuat virgo, dextram præbeat, osculum imprimat, annulum, monilia accipiat. Facta quidem naturaliter nullam habent significationem, nisi eam, quam quisq; velit: nam κατὰ συνθήκην significationem non habent, nisi ea facta, quæ vel lege vel consvetudine ad certam significationem restringuntur, & proinde alio significatu usurpari licitè non possunt, in quorum censu sunt facta, quæ memoravimus.

Quid consensus importet?

§. 9. Includit assensus Notitiam & Libertatem, quibus duabus rebus completur atq; perficitur. Ignoti enim nulla cupido: nec inclinari voluntas nostra potest in id, quod nullo modo Ratio præcognovit, cujus est objecti bonitatem malitiamve explicare & judicare nõ simpliciter atq; superficietenus κατὰ θέσιν sed ita, ut judicium illud omnibus circumstantiis sit vestitum, adeoq; Practicè completum, hoc est, ut demonstret, hoc tempore, loco, modo, rem fieri oportere.

Quo

Quo sensu capiendum τὸ ἐπιείκειαν, quod Aristoteles Prudentiæ assignat. l. 6. Eth. c. 10.

§. 10. Notitia hic familiam ducit, quæ ita necessaria est, ut, si furore, aut profunda ebrietate, aut simili oblivione, de statu dimotus sponsalia contrahat, in irritum cadant. Quod ita ampliant nonnulli scriptores ut, si furor superveniat cum urgentissimo periculo, sponsalia dirimi atq; dissolvi possint. Neq; tamen quævis notitia cujuscunq; rei exigitur, sed eorum tantum, quæ in legitimo conjugio utramq; paginam faciunt, hoc est, essentialium, ut *Persona sit certa, ut nullo vitio sit cellutulata, ut deniq; sit sui juris.* Quæ tria requisita si rectè se habent, non officiet conjugio, si aliæ qualitates ignorentur, ut, si quis luculentam dotem præcipiat, speq; tanta decidat, si quis, quam fore placidam & tractabilem speraverat, contrariis affectam moribus deprehendat, & similes qualitates, quæ contractum vitiare aut rumpere nequeunt. Qualis debeat esse notitia?

§. 11. Dū personam dicimus certam esse oportere, primò omnium id volumus, insciis obtrudi personam aut conjugem non posse, fraude atq; dolo ad pœnitenda conjugia inductos non obligari, nisi defectum consensus subsequenti ratihabitione, exemplo Jacobi Leam retinentis, expleant. Deinde personam intelligimus finis conjugij capacem, nec eunuchos, spadones aut quoscunq; immedicabili corporis intemperie impotes, vel virgines nondum viri potentes jungi posse manifestum esse arbitramur, quod horum γάμος ἄγαμος est, nec mensuram nominis explere possunt. Præterea personam intelligimus aptam natam jungi, non quam jus naturale & pudor sociari prohibet. Quale erat Lothi cum filiabus non tantum illicitum, sed & irritum conjugium, ab ipso quoq; Platone prohibitum atq; damnatum. Quid autem de gradibus affinitatis & sanguinis ex transverso limite sentiendū sit, quid item de propinquis ulterioris gradus, quia maximam habet difficultatem, & paucis expediri non potest, brevitatem flagitante thesium nostrarum ratione, petere jubemus lectorem ex Hugone Grotio l. 2. de jur. belli & pacis cap. 5. num. 12. 13 14. Tandem personam cum dicimus, corpus intelligimus, non nomen, circa quod error contingere posset innocuus, si jam ante de corpore constet. Notitia Personæ. 5. de Rep.

§. 12 Se-

Ejusq; intemeratæ.

§. 12. Secunda qualitas essentialis, cujus notitiam consensus importat, est ut nuptum dandæ nullum sit oblatum vitium. Leno enim suæ sponsæ esset, qui ad ejus impudicitiam conniveret: à qua indulgentia abhorrent ingenuæ mentes, & Legibus quoq; infamia notantur, qui stupratam uxorem assumunt. Verum hic firmis probationibus & manifestis vitii documentis, non conjecturis, aut suspicionibus res geri debet, quales fabulosas & futiles nonnulli de nasi acumine compresso, de filo à nasi summo ducto, de ambra

l. 36 c. 19. cinerea odorata memoriæ prodiderunt. Et Plinius, qui nunquam diligentia, sæpius judicio labitur, de Gagate loquens *suffitum deprehendere ait sonticum morbum & virginitatem.* De hymêne, an sit

Deut. 22. v. 5. & 17. indubium virginitatis signum, intricatior res est. Affirmare videtur ipsa Scriptura sacra, & experientia. Apud Leonem Afrum legitur de quibusdam Mauritaniæ populis, quibus more receptum erat, ut sponsus invitatis ad solennia nuptiarum linteolum sanguine aspersum ostenderet, quod primo congressu ante convivium sponsa fœdasset, indeq; læti & magno applausu convivium celebrantes Hymenæum ingeminarent; si vero linteum sanguine infectum ostendere non posset, sponsæ repudium mitteret invitati autem impransi domum remearent. His gemina tradunt Hebræi, adduntq; olim in Israêl introductos in thalamum novellos conjuges foris observasse testes qui & שׁוֹשְׁבִינִין socij, amici (huc alludere volunt ali-

l. 1. c. 7. Anatom. lib. 4 de alis nat. mul. c. 3. s. 3. qui Christum Joh. 3, 29) & vestem concubitu notatam quam vocant סוּדָר, recepisse. Videntur ἀπιςεῖν Fernel. Medicin. & Laurent. Anatom. c. 6. quæst. 11. & omnium Clarissimè Constantinus Varolius. Videatur quoq; Arnisæus tract. de connubio. Arbitramur præsentiam hymenis, sivè sit membrana ut vulgo statuunt, sivè conglutinatio laterum uteri cervicis quod statuit Fernelius, sive caruncularũ lateribus suis conjunctarũ cinctura, quod statuit Arnisæus, indubium esse illibatæ virginitatis τεκμήριον: absentiam autem non semper arguere defloratam, cum vel mensium acrimo-

Pol 7. c. 16. nia erodi, vel ob uteri procidentiam abrumpi, vel petulantia lacerari possit. Ad locum Deuteron. dicendum, Leges loqui de ordinariis casibus & eo, quod fit ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut loquitur Aristoteles, quando Legistatoribus normam designat, quam sequi in ætate conjugum definenda debeant. Infirma autem conjectura est,

quam

quam ex lacte in mammis virginum apparente desumunt, cum sine conceptu, teste experientia, lac ex mammis emitti possit, quia menstrua defecerunt.

§. 13. Tertia eaq; ultima Qualitas Essentialis in conditione Personæ sita est, quæ contractum nullum facit & irritum, eò quod Persona non est sui juris. Neq; enim Liberi, servi, qui in potestate sunt Parentum, dominorum, contrahere suo nutu possunt. An vero Nobilis ignobilem ducere & vice versa possit, quanquam nobiles ferè commercium ignobilium fastidiunt, & imparitas conjugũ familiam multis incommodis non conjugium tantũ sed & universam familiam gravat, decidi oportere existimamus secundum loci cujusq; leges, quæ etiamsi duriusculæ videantur & ratione carere (cum ferrentur, procul dubio habuerunt) civium obedientiam deposcunt. Posita ergo & approbata Lege, Virum Nobilem & patritium cum plebeja non debere contrahere nuptias quæ contraveniunt, nuptiæ sunt cassæ & irritæ futuræ.

Notitia conditionis.

§. 14. Alterum punctum, quod tangit consensus suis numeris absolutus, est Libertas Voluntatis, à qua Germani universum hoc negotium denominamus, cum *nusquam libertas* tam *necessaria*, dicente Quintiliano, *quam in matrimonio sit.* Nec Rebecca prius traditur Eleasaro, quàm vocata à Parentibus & rogata esset. Utrum abeuntem comitari VELIT. Quamobrem sponsalia vi absoluta aut metu facta in irritum cadunt propter defectum consensus, cui renuens voluntas è diametro adversatur. Ubi magnâ cautione opus est, cum non quævis Violentia actionem simpliciter invitam reddat (*est enim, ubi cum Violentia libertas stare potest, ut in actionibus, quas Aristoteles vocat mixtas*) & de justo atq; idoneo metu Magistratus officium implorari possit. Quæ pluribus diducere operosum pariter & alienum foret.

Libertas contrahentium.

Gen. 24.

3. Eth. c. 1

§. 15. Dices: Si liberè iucundum est conjugium, quid impedit, quo minus Personæ alieno juri subjectæ contrahere possint, cum & ipsæ Voluntatis libertatem illibatam habeant & inexpugnabilem? Tenendum libertatem hanc intra honestatis cancellos stare oportere, cum ea quoq; ad quæ jure compellimur, liberè egisse censeamur, & Pater, dum Filium inducit ad honestum conjugium

Libertas est arbitrio Parentum illigandã.

jugium & profuturum imperio paterno, non cogat. Vim faciet Filius familias naturæ juri, si excussa reverentia & inexspectato Patris consensu non decoro tantùm, sed & necessario ad vota properaverit, cum Patria potestas in jure Naturæ, quod decalogus expressit, habeat fundamentum. Vim faciet gentium juri, dum rem alienam, jus paternum, invadit, atq; in familiam, quam Pater fortè aversatur, irrepit, imò seipsum alienat: in quem imperium non habet. Vim faciet Juri divino, quod in tantum consensum paternum requirit, ut etiamsi intervenerit concubitus, adhuc in potestate Patris sit, filiam stupratori elocare. Sunt ergo inita conjugia absq; consensu Parentum illegitima ex se, etiamsi præter copulam carnalem sacerdotis benedictio accesserit quanquam protinus ea dirimenda non sunt, sed rogandi Parentes, ut consensu suo nuptias confirmare velint, quod si fecerint, puniantur conjuges, ratum esto conjugium & ex eventu legitimum; Si nolint, & justas habuerint suæ recusationis causas, irritum esto & nullum. Quapropter *relinquendi quidem sunt Parentes, & adhærendum uxori*, ut loquitur Scriptura, quam Plato ita expressit ἡδονὴν δὲ ταύτην γλυκυτάτην ἐν τῷ παρόντι καρπῶσθαι ὅθεν δὴ ἐκῶσα εἶναι ἐκ ἀπολείπεσθαι, ἐδέ τινα τὸ καλὸν περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ἀλλὰ μητέρων τε καὶ ἀδελφῶν καὶ ἑτέρων πάντων λέληθεν: Sed relinquendi sunt, non Tuo verum Illorum arbitrio, qui rectiora consilia pro liberis capiunt, quam ipsi. Et sicut votum DEO factum à liberis rescinditur ob defectum consensus Paterni, ita nullam vim obtinebit promissio conjugi facta sine consensu paterno, si non expresso, tamen tacito, qui sufficere potest, eò quod nulla suspicio aut metus coactionis in Parentes cadat. Neq; tamen ejusdem sunt necessitatis Patris consensus & Matris atq; Tutorum. Ille enim pari autoritate fide & consilio est: in ista consilium desideratur, in his fides.

Exod. 22. 17.

in Phædro.

Num. 30.

An benedictio sacerdotis ad

§ 16. Cum omnes ferè gentes festivitate quadam & solemnibus sacris exorsæ nuptias sunt, tum inprimis Judæi laudato more & à Patribus accepto matrimonii non privatim (habent enim clandestinæ nuptiæ fraudis præsumtionem) sed publicè in piorum conventu celebrarunt μετ' εὐλογίας, cujus formulæ exstant in ipsorum

ipsorum ritualibus. Quod, & ut alia multa Judæorum instituta, imitati sunt Christiani Veteres. Evaristus ad Africanos Episcopos: *Aliter legitimum non sit conjugium nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & à propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur.* Ante hanc εὐλογίαν sponsam sponso conjugis jure attingere nefas & Judæis & Christianis habitum. Numquid ergo necessaria hæc solennia ad conjugium sunt? Distinguendum existimamus inter ea, quæ necessaria sunt ex natura atq; Essentia, & quæ ex constitutione externa atq; decoro. Necessarius ex natura & essentialiter est tantum consensus: necessaria ex accidenti & decoro hæc solennia sunt, adeoq; districtè observanda. Essentiam conjugii spectat.

§. 17. Percursis iis quæ ad Essentiam conjugij spectant, nunc accidentia videamus, in quibus maximè eminet quæstio quâ ætate conjugia ineunda sint. ὅταν γὰρ οἱ φύλακες συνοικίζωσιν νύμφας νυμφίοις παρὰ καιρὸν, ἐκ εὐφυεῖς ἐδ' εὐτυχεῖς παῖδες ἔσονται, inquit optimè Plato. Memorat Stobæus serm. 67. Spartanos puniviſſe non tantum ἀγαμίαν & κακογαμίαν (ut si quis opum potius quam liberorum & civium augendorum rationem habuisset) sed & ὀψιγαμίαν. Hanc quæstionem egregiè pertractat Aristoteles l. 7. Pol. c. 16. *Non, inquit, festinanda matrimonia sunt: festinata & mares gravant & fœminas.* Atq; has quidem, quod in partu vehementer laborent, & ita affligantur tenella corpora, ut deinceps vel difficulter vel prorsus non pariant: quod fœtus edant imbecillos atq; ob difficultatem partitudinis distortos, varos, valgos, loripides, claudos, gibbosos: quod in illa teneritudine libidini operantes vasis ampliatis & aucta per assvetudinem cupiditate vel maritos exhauriant, vel adulteriis domum fœdent, quæ mala cuncta in ipsam Rempubl redundant. Illos autem, quod exhausta pubertas calorem debilitet, corpus inaniat, laxet & crudis humoribus oppleat incremento obsit atq; *libidinosa juventus*, ut ait Cicero *effœtum corpus tradat senectuti*: quod acceleratis nuptiis veneratio, quæ parentibus debetur, non multum distante libero- Quæ ætatis habenda ratio. de Leg. 8.

rum ætate, multum minuitur: quod inde in re familiari multæ turbæ, vetante filio, quod jusserat Pater, quæ pessimi exempli facinora gradum ad ipsius Reipubl. pestem atq; perniciem struunt. *Imò nec tardanda matrimonia nimiú sunt.* Sic enim vel ineptum generationis instrumentum effœtum sc. semen erit, vel neuter, neutri, ut par erat, prodesse potest. Non liberis parentes, utpote ævo jam fracti & vita exuendi, cum ea maximo liberis usui esse debebat; nec liberi mutua nutricatione τῇ ἀντιπελαργήσει parentibus senio confectis & morti jam viciniſſimis. Unde ergo mensura justæ ætatis petenda? Aristoteles tempus idoneum metitur potentia generandi, quæ utplurimum porrigitur in maribus ad annum 70. in fœminis ad annum 50. Ita ergo rem moderando, ut potentia generandi in utroq; ad eundem terminum decurrat, consultum esse dicit, ut Vir conjugium ineat anno 37. fœmina 18. Verum, si id spectandum, quod fit ut plurimum, potius Aristotelis præceptori, Platoni, subscribendum ducimus, qui trigesimum maribus definit, cum raro ultra 60. annum non dico potentia generandi sed ipsius vitæ spatium excurrat.

de Rep. 5. de LL. l. 9. sub fin.

Quæ morum

§ 18. Breviores esse cogimur in pertexendis cæteris, quæ à Politicis accumulantur, ut, qualis Persona esse debet, ad quam animum adjicere cupias, ostendant. Præclarè Plato: *Qui ex bonis parentibus ortus est, eas nuptias contrahere debet, quas prudentes viri honestas ducunt. Qui sanè monerent, nec pauperum fugere, nec divitum affinitatem sectari præcipuè oportere &c.* Si enim in amicitiam nemo recipiendus est, nisi cujus mores exploratè cognitos habeas, profectò insani hominis esset, omnis vitæ individuam consortem adsciscere, cujus nec mores, nec genus nec parentes (ὅπῃ γὰρ ἐκ σκύλλης ῥόδα φύεται) perspectè cogniti sint. Præterea æqualitatis habenda ratio est, non Arithmeticæ illius, sed Geometricæ qua possunt animi bona fortunæ missilia pensare. ἥλικα γὰρ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος τέρπειν τὸν ἥλικα. Pulchritudini hinc locus debetur: in tertius illa consistat, ubi prima de moribus facta quæstio est, in queis maximum pulchritudinis momentum situm est. Demum in censum census veniat, ne si divitiæ oculorum aciem præstrinxerint, ipsus tibi succenseas, & subeat pœnitudo præposterè

de LL. l. 6.

aqualitatis?

Plat. in Phædro.

pulchritudinis?

posterè captatorum. ὅπως ὁ κέρδος παρὰ φύσιν δελευτέον (γαμητέον.) Cum enim non raro conjugij ordinem divitiæ conturbent, rectè Legumlatores & ordine feciſſe videntur, qui doti terminum præfigunt: quanquam qui omnibus civibus æqualem dotem imperarunt, juri gentium vim fecerunt, quod cuiq; dominium in rem ſuam adſcribit. Diviti-arum? *Eurip:*

§. 19. Nunc de mutuo conjugum officio & juribus dicendum. Viro in uxorem competit imperium jure naturæ, quæ ſexum maſculum omnigena copia inſtructum & imperij capacem, fœminum imbecillum, timidũ, cui ſufficit obſequij gloria, fecit. Ariſtot. τὸ ἄρρεν φύσει τῆς θήλεως ἡγεμονικώτερον ait, propter fœminæ βελευτικὸν ἄκυρον i. *judicium imbecillum & mancum.* Quod eò magis relucebit, ſi ad primordia noſtri generis aſſurrexerimus. DEUS enim, qui ſociam conditurus erat, non dominam nec penitus ſervam, non è capite Adami Evam exædificavit, ne imperium affectaret, neq; ex pede, ne conculcaretur, ſed ex lateris, ut quidam opinantur, ſiniſtri coſta, ut virum ſuæ principium ſubſtantiæ revereretur, ſe Viro acceſſiſſe agnoſceret, & in partem ſolicitudinis & cuſtodiæ, non Imperij veniſſe. Atq; hæc mariti poteſtas omnibus gentibus recepta, quæ tanti in propria domo Patremfamilia faciunt quanti regem in ſuo regno. Αὐτὰρ ἐγὼν οἶκοιο ἄναξ ἔσομ' ἠμετέοιο. Ergo cumprimum in domum mariti deducitur uxor, in familiam & poteſtatem mariti tranſit, deſinitq; in poteſtate patris eſſe, quæ ſi perduraret, jus maritale, ſi non prorſus exſtingueretur, mirum tamen in modum conturbaretur. Laborandum ergo eſt, ut hoc imperium fulciatur exemplo, humanitate, liberalitate & pudore, ſitq; maritus uxorem μήτε πάνυ πιμῶν, μήτε ἀπομάζων, cum quæ violenta ſunt & in atrocitate conſiſtunt, præterquam quod diuturna non ſunt, & cito ad ingenium reditura durius tractata conjux eſt, difficiles & triſtes exitus habere ſoleant. Si tamen ſeveritatem res poſtulet, an tolli malit uxoris vitia, ubi ferri nequeunt, marito permittimus. Quamvis apud nonnullas gentes (Germanos, Gallos) poteſtatem vitæ & necis hoc imperium comprehenderit, apud plures tamen rectius & Naturæ convenientius poteſtas in vitam uxoris non viguit. Quæ enim immanitas

Officium ſociatarũ Perſonarũ. *Vid. Ariſt.* 1. *OEcon.* 3 1. *Pol. c. ult* Ὀδυσ. α. *Plato de Repub.* 8.

est in propria sævire viscera? Taceo quod ut in propria quisq; causa propter affectuum obstacula judex esse nequit: ita propter eandem causam Mariti calori uxor permittenda non est nisi ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensa, quo casu à pluribus gentibus justo mariti furori impunè objecta est, quod tollere voluit Augustus. Uxor dignitate Viri assurgit, *tanto honoratior futura quanto illam amplius honoraverit*, ut inquit Hieronymus: quod in tantũ extendit plerarumq; gentium favor, ut ad Viduas quoq; pertineat dignitas Viri. Deinde, cum conjugium à Natura institutũ sit, ut relinquatur simile in specie, quæ huic fini consequendo inserviunt, neuter neutri negare debet. ἡ γὰρ ἐρασθῆ φιλία σιτίου τρόπον γίγνεται, χαριν πλησμονῆς. Debitum hoc naturale excipiunt à parte mariti defensio uxoris & subministratio eorum, quæ ad alimenta pertinent & corporis cultum, in quo spectari debet commoditas & decorum: decorum vero est, quod est modestum, non lascivum, mediocre, non luxurians. Cætera quæ regimen domesticum spectant magis œconomicam sapiunt & inde petenda. Summa, curandum est ut *societas hæc sit pudoris & reverentiæ speculum, ut sit concors & tranquilla, quod caput omnis in hac societate felicitatis est, ut sit benignitate & mansvetudine conspicua, ut fide in adversis non minus quam secundis sit venerabilis.*

Plat in Phædro.

Conjugium morte solvitur.

§. 20. Restat, ut quomodo Conjugalis hæc societas solvatur breviter ostendamus. Non defuerunt qui nexum hunc ultra mortem protenderent, *arbitrati*, ut ait Ille *eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Quod à Montani Paracleto profectum multis Christianis obhæsit, ut secundas nuptias impietatis & infamiæ damnarent. Quibus facem alluxit temeritas & δεισιδαιμονία Ethnicorum. Pausanias, *Gorgo*, ait *primùm secundas nuptias iniit. Ante sanctum habitũ, ne qua iterum nuberent.* Quod vel maxime in Flamine observatũ est *cui nec sine uxore esse nec rursum cum secunda uxore licebat esse.* Sed primæ potius institutioni standũ, quæ Conjuges tantisper ligat, dum alterutri vitam mors abrumpat. *Adhærebit uxori vir* ait Scriptura. Ligat, inquam, in individiam vitæ consvetudinẽ. Morte ergò solvitur.

Valer. lib. 2. c. 1.

lib. 2.

Non

Non tamen negandum est, ut omnibus, ita viduis laudabile pariter & commodū esse, si cupiditatem possint refrenare, nec ullam ultra cogitationem de nuptiis suscipiant. *Si quis* inquit Lactantius, *hoc facere potuerit* (loquitur de abstinentia à venere universim) *habebit eximiam incomparabilemq; mercedem Quod continentiæ genus quasi fastigium est omniumq; consummatio virtutum.* Quod si quæ impar tam sublimi proposito est, intra tamen luctus annum ut abstineat, urgentissima ratio cogit quæ turbari sanguinem vetat. *Vid. Matt. 19. 11.*

§. 21. Essentia matrimonii à consensu dependet: sed quo minus solvi possit, non consensus efficit, sed authoritas DEI, qui adhærere uxori virum jubet, unde Christus regulam efformat: *Quod conjunxit* DEUS *homo ne separet.* Verum non tantùm Charondæ, Romuli leges copiam divertendi conjugibus faciunt, sed Plato quoq; imo Judæis ipse DEUS dato repudij libello, cujus hæc erat forma: *Meâ sponte, nullius coactu te uxorem hactenus meam dimittere à me deserere ac repudiare decrevi: jamq; adeo te dimitto deseroq; ac repudio atq; à me ejicio ut tuæ sis potestatis tuoq; arbitratu ac lubitu quolibet discedas neq; id quisquam ullo tempore prohibebit. Atq; ita dimissa esto, ut cuivis vivo nubere tibi liceat.* Etiam inter Vivos. *l. 11. de LL.*

§. 22. Quamobrem si quæratur, an propter morum acerbitatē, ut Plato loc. cit: ait, vel alia quavis de causa *licuerit* viro ab uxore divertere, primum vocis ambiguitas explicanda venit. Interdum id licere dicimus quod rectum ex omni parte est & pium etiamsi aliud quid fieri possit laudabilius, quo sensu licet matrimonium contrahere, licet repetere nuptias, sed laudabilior est ex pio proposito cœlebs castitas, laudabilius est uno contentum esse matrimonio. Ampliori verbi potestate licere etiam illud dicitur, non quod salva pietate & officiorum, quæ latius quàm jura patent, regulis fieri potest sed quod apud homines pœnæ non subjacet. Quomodo licuit debitoris corpus inter creditores dividere Eo sensu Cicero pro Rabirio Post judices alloquitur: *Quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis: si enim quod liceat quæritis potestis tollere è civitate quem vultis.* Posteriori sensu διὰ τὴν σκληροκαρδίαν licita in V. T. fuerunt divortia, h.e. à pœna fuerunt libera, non à vitio. Nec statim, quod licet, honestum est. Etenim licuit aut nulla aut levi de causa uxorem dimittere. Quod fieri Lex charitatis prohibet sive Divortia olim licita, h.e. impunita.

uxorem

uxorem respicias, quæ fidei tutelæq; mariti concredita est & huc velut ad sacram anchoram confugit; sive liberos communes. Nec ullius fortè laudati viri, qui id sibi licere, cum impune potuisset, voluerit invenias exemplum.

Divortia hodiè licita quæ honesta.

§ 23. Causæ divortii sufficientes quæq; animum à vitio immunem præstant sunt *adulterium & malitiosa desertio* Adulter enim ultrò recessit à fœdere, ausuq; sacrilego, quod DEUS junxerat, divulsit. Huc pertinet illud Hieronymi: *Ubi cunq; est fornicatio, aut fornicationis suspicio*, (puta si Viro ignorante & nolente uxor foris pernoctet, si aliorum virorũ convivia sine modo appetat, si insidias conjugi struat prolive) *liberè uxor dimittitur.* Nec à thoro tantum & mensa, sed & à vinculo solvit innocentem. Quid enim iniquius esset, quam gravari alieno crimine innocentem, & laqueum injici conscientiæ labis experti? Porrò, cum mutui quoq; auxilij causa sit institutum conjugium, secundam causam justi divortij ponimus *malitiosam desertionem*, quæ cum isto fine pugnat, quæq; ipsa veluti consanguinea adulterio est adeoq; cum adulterio tacitè, si diuturna sit, præsumitur conspirare.

Pœna adulterij quãta?

§. 24 Deniq;, quæ adulteris pœna sit infligenda, videamus. Varia apud gentes ea fuit: neq; enim delictorum pœnæ ipso naturæ jure aut ulla perpetua DEI lege constitutæ sunt. Sed pro modo imminentis inde periculi intendi & remitti solent. Porrò naturæ jure æqvum est, ut quantum quisq; mali fecit, tantundem patiatur, juxta illud, quod Rhadamanti jus dicitur.

ἔπαθε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Inde homicidij pœna capitalis exstitit, dum lucrum homicidæ dëmitur, & tantum detrahitur, quantum alteri eripuerat. Quare cum dicente Platone, *Is qui superatur à Voluptate* (qualis adulter) *deterior eo sit, qui superatur à dolore*, h. e. ut alibi explicat, *ira & timore*, qubus homicida impellitur, rectè in adulteros quoquè pœna capitalis constituta est. Quod æqvum videbitur ei, qui consideraverit, minora ex homicidio damna nasci & pericula, quam ex adulterio, quo civitatum fundamenta convelluntur, conjugalis amor in odium vertitur, supponuntur hæredes, totæ domus implentur probris atq; inimicitiis, quæ sæpè & in publicam pernitiem erumpant.

1. de LL. 9. de LL.

COROLLARIUM.

Cœlibatus Clericorum bellum Pontificum Sophisma seu arcanum est, ut Clerici nec conjugis nec prolis intuitu Rebuspub. devincti tanto expeditius potentiam Principum attenuare & Pontifices amplificare possint.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0020
DFG

Disp. II. Frid. 32 Funccius, Resp. Ratio ordinis de LL. 6.

DEO DUCE.

De Societate Patria.

§. 1.

Conjugalem societatem excipit PATRIA, cum conjuges, ut ait divinus Plato, *parentibus utrinq; affinibusq; relictis seorsim quasi ad coloniam proficiscuntur, liberos generant & educant: vitamq; quam ab aliis acceperunt à se καθάπερ λαμπάδα quasi lampada aliis tradunt.*

§. 2. Aristoteles de societate nuptiali & Patria agens, *Vir*, inquit, *in uxorem & liberos imperium habet: atq; in utrosq; ut in personas liberas, verum non eodem genere Imperij; sed in uxorem quidem civiliter; in filios vero regiè.* Civiliter, inquit ſ. πολιτικῶς: quale Imperium (in Politia propriè dicta ſ. Laudabili democratia reperitur. Dices: Civile imperium in pares eſt: (totius enim populi floris pariter & fecis æqualis libertas eſt) uxor vero natura & virtute inferior Viro, eiq; ſuppar eſt. Deinde in civili Imperio alternis vicibus iidem parent & imparent. Luculentum ergo diſcrimen cernitur. Hæc obſtacula ipſe Ariſtoteles removet, & certo reſpectu ſuum illud pronunciatum circumſcribit. Nempè *in civili imperio magiſtratus à privato differt veſte, ſermone, honore, quem jure à civibus exigit, quicunq; in magiſtratu eſt*: Ità quoq; in Imperio, quod in uxorem marito competit. At in liberos Imperium Patris regium eſt. *Nam quod procreavit, tum amoris abundantia, tum temporis antiquitate debet imperare*: quod eſt regij imperij genus. Pater enim natu major & prudentior non tàm ſuum bonum, quàm liberorum utilitatem ac commodum ſpectat: quo ipſo Imperium Regium ſecernitur à deſpotico, quod bono proprio per ſe intenditur.

l. 1. Pol. c. 12 Parentes imperant liberis regie.

§. 3. Quanquam vero & Matri obſequium debetur atq; reverentia, quæ nos tot menſibus geſtavit, enixa eſt, ſuo lacte aluit, & ingenti cura educavit, cum, qui beneficium accipit, amiſſa liber-

Maximè Pater.

tate jus ei porrigat, à quo beneficio afficitur, quod hic summum est, cui par gratia reddi nequit: πῶς ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τοὺς σπείραντας, ut Philo ait tamen ob eminentiam sexus, cum Generationis Principium Pater sit, & in ipsam quoq; Matrem Imperium exerceat, jure præcipui, imò si imperia inter se contendunt, absolutè Patri obsequium & subjectio debetur, quo Natura nos & omnium hominum judicium sive Jus Gentium, quod Aristoteles ὁμολογίαν vocat, q. d. consensionem sive pactum conventum ducunt.

l. 1. Pol. c. 4.

Naturæ & Gentium jure.

§ 4. Ac de *Natura* quidem maniesta res est, quâ *præest Pater. ut ait Aristot. filiis & majores nepotibus & universim naturâ dominatur, senior juveni, perfectum imperfecto, totum parti* (familiæ autem partes sunt liberi) *& is, qui beneficium dedit* (qui dat vitam, omnia dat) *ei, qui accipit. Lex & vis naturæ*, ut habet Plin. *in ditione parentum liberos semper* (etiam grandes, adultos etiam potentiores) *esse voluit, nec uti inter pecudes sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.* Unde dum Naturæ Legem DEUS colligit in animis hominum propè obliteratam, certè valdè obscuratam, proximum sibi locum Parentibus attribuit, velut in terra diis quibusdam, quorum ope nos in augustissimum hoc Mundi theatrum introduxit. Quo fine honorem, qui Parentibus debetur, nec divinum prorsus nec humanum tantùm, sed ἐν μεθορίῳ in confinio æternæ & mortalis naturæ positum Philo dixit. Atq; ad naturale exemplum Parentum, cum palantes homines, in vicos, oppida, urbes colligerentur, civilis societatis Rectores fieri cœperunt, quibus & Patrum nomina Veteres indiderunt. Quod Naturæ sacrum apud omnes gentes inviolabile permansit: nec ulla gens exstitit, quin liberos redigeret sub patriam potestatem. Quod nec diffiteri possunt ii, qui aliàs apud solos Romanos patriam viguisse potestatem omnibus modis contendunt. Quorũ salva esse assertio potest, si de TALI loquantur: universè salva esse non potest.

8. Eth. Nic. cap. 11 in Paneg.

Dio l. 35.

Diversimodè pro di-

§ 5. Ad intelligendam patriæ potestatis vim lucem affert Grotius de Jure Belli & Pacis, cum distinguit in liberis tria tempora. Primum est τοῦ βουλευτικοῦ ἀτελοῦς s. imperfecti judicij, dum abest προαίρεσις seu Vis electrix. In hoc tempore omnes libero-

rum

rum actiones sub dominio sunt Parentum: æqvum enim est, ut, qui se regere non potest, regatur aliunde. At alius naturaliter inveniri non potest, cui regimen competat, quàm parentes. Est tamen in eo quoq; tempore filius aut filia capax dominij in res ex Jure Gentium, sed exercitium impeditur ob judicij imperfectionem. Secundum tempus perfecti judicij est, dum filius μὴ χωρισθῇ seu non separatur, sed pars manet familiæ parentum. Atq; tum subsunt Parentum Imperiis non aliæ actiones quam quæ ad familiæ paternæ aut maternæ statum aliquid momenti habent: æqvum enim est, ut pars conveniat cum ratione integri. In cæteris enim actionibus habent liberi ἐξουσίαν, h. e. facultatem moralem agendi, sed tenentur tamen in illis studere semper, ut parentibus placeant. Sed hic nonnunquam relaxatur potestas, secundum illud Socratis ad Lysi: *Non ætatem exspectat Pater ad licentiam tibi exhibendam sed cum primum te senserit te ipso prudentiorem effectum, illico & tua omnia & te liberè tibi committet.* In utroq; hoc tempore jus regendi, jus coërcendi quoq; complectitur, & ubi alia ratio eum alendi non suppetit, jus vendendi & oppignorandi. Tertium tempus est, postquam ex familia excessit: quo tempore in omnibus est αὐτεξούσιος, suiq; juris, manente tamen semper illo pietatis & observantiæ debito, cujus causa perpetua est.

versâ ætate liberorum.

l. 2. c. 5. n. 2.

Plat. in Lysi.

§. 6. Quæ paulo pressius sunt consideranda, & quibus in rebus Pat. Pot. consistat, singulatim expendendum. Nam gentium moribus hæc à Natura orta potestas variè restricta vel extensa fuit. Nonnulli ad vitam liberorũ & necem provexerunt, in quibus eminent Romani, apud quos non venundare solùm liberos licebat sed & impunè occidere. Duravit hæc potestas à primis Romani Imperij incunabulis ad Constantini Cæsaris Principatum, qui expressa Lege Patribus jus vitæ & necis ademit. *Malè hoc factum esse* queritur Bodinus, *& inde contentiones atq; dissidia ipsam Remp. inundasse quin pernitioso exemplo ademtum restitui oportere scribit, nec mirum cuiq; videri debere, si patria potestate sublata decus Romanorum ac nobilitata virtus unà cum Magistratuum ac Legum metu, repullulantibus undiq; vitiis, ante imperij occasum exstincta fuisse videatur.*

Jus vitæ & necis

l. 1. de Rep. c. 4.

§. 7. Verum enimvero, quanquam optimam fuisse rationem extendendæ ad vitam quoq; patriæ potestatis consentiamus, cum

An rectè in

liberos usurpeatur?

nondum essent judicia constituta, adeoq; tunc patri necessitatem impositam fuisse membra sua sibi amputandi: nunc tamen, postquam judicia publica esse cæperunt, rectè Patri in liberos tanta potestas ademta fuit. Dicit quidem Bodinus, potestate hac Parentes abuti non posse, nec, si possint, velle tamen: sed nobis hoc non persvadet, quibus cum ex veteri tum ex recenti ævo innumera exempla offeruntur, non exstincti solùm affectus Paterni & debitæ στοργῆς, sed & in liberos parricidij admissi. Et ut hoc non esset, nonne à flagranti pietate alienum est, Brutum, Manlium non tantum spectatores sed judices, sed exsecutores necis filiorum exstitisse? annon insito affectui videtur adversari, filium ad supplicium (ponamus commeruisse) offerre vel prodere? Quare, cum *singulis concedendum non sit, quod per magistratum publicè fieri potest* cumq; *difficilius sit moderari, ubi dolori debetur ultio, quàm ubi exemplo* imò cum *naturâ sibi quàq; amicus sit, obcæcetur circa amatum, qui amat*, non per Patris sententiam amore vel ira abrepti, sed Magistratus omni affectu vacui in Filium atroci delicto caput adstringentem animadvertendum esse concludimus.

Sen. Plat. 5. de LL.

Patria Pot. in liberorum libertatem.

§. 8. Quinque sunt in universum, ad quæ Patria potestas porrigi potest, vita liberorum, Libertas, Corpus, Operæ quas præstare liberi possunt, & Bona quæ possident. De potestate in Vitam, quantum instituto sufficit, actum est. Libertas vel capitur pro facultate agendi, quæ velis, nisi vi aut jure prohibearis: vel pro jure, quo pacto servituti contradistinguitur. Posteriori acceptione civium liberis non tollit libertatem Patria potestas, quin rerum omnium & officiorum, quæ civibus committi debent, adeundorum jus habent liberi, &, quantumvis Pater abnuat, prævalente Patria adire possunt & debent: Imo, si eos venundari contingat, non amittunt libertatem in actu primo, utut actus secundus seu exercitium libertatis suspendatur. Quapropter prima libertatis acceptione, cum ad Parentis nutum componere se liberi frugi teneantur, seq; Parentum arbitrio resignare, libertatem non obtinent: quæ subjectio non minuit liberorum dignitatem, sed auget. Quid enim dignius laude quàm ad crepitum digiti obtemperare illis, quibus hoc spirabile cœlum ferimus acceptum? Præclara in hanc rem sunt verba Senecæ & adscribi digna. *Nulla*, inquit,

inquit, *vi verborum, nulla ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quamq; laudabile, quamq; nunquam à memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi, imperio eorum, sive æqvum, sive iniqvum fuit, obsequentem submissumq; me præbui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.* l. 3. de benef. cap. ult.

§. 9. Tertium corpus est, cujus castigationem Parentibus omnium gentium consvetudo tradit. *Nonne vides*, inquit Seneca, *ut teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant. Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fovent, & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitum constringunt, & inde liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum audacem juventam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoq; ac jam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia rejiciunt, vis adhibetur ut servitus.* Atq; hæc in corpus Filij potestas in tantum valet, ut, si abuti ea Parentem contingat, & durius Filium habere, patienter sibi ferendum Patrem, nec de excutiendo jugo cogitandum Filius ducere debeat. ἔοικε δὲ νέῳ παντὶ ὑπὸ γέροντας πληγέντι ῥαθύμως ὀργὴν ὑποφέρειν, αὐτῷ τιθεμένῳ τιμὴν ταύτην εἰς γῆρας, quæ sunt Verba Platonis. In Corpus. l. 6. de benef. c. 24. l. 9. de LL.

§. 10. Quartum operæ liberorum sunt, de quibus §. 5. differentem Grotium audivimus, & distinctioni viam pandentem inter operas, quas Familiæ debet Filius, quas obsequiales vocant, & quas permissu Patris non debet, quæ dicuntur industriales. Quemadmodum ergo in illas absolutè potestatem Pater habet, ita in has ipsus sibi potestatem quasi abrogat: quin, ut Filij industriam magis pertentet, pecuniolam concedit, experturus quo eam pacto occupare atq; exercere velit aut possit. Atq; hoc Quintum est, in quod Patri competit Potestas: nempè Peculium sive bona Filij, quorum eadem est ratio, quæ operarum. Utrisq; Pater legem & modum ponit, quod argumentum est Patriæ Potestatis. Hic autem agere velle *de Peculio Pagano Profectitio, Adventitio, Castrensi* quæ peculiaria sunt Juri Civili, & potestatis Naturalis sunt determinationes, esset falcem in messem alienam immittere, & valdè procul extra chorum saltare. In operas. & bona

Primũ beneficium Parentum est Generatio.

§. 11. Nunc Patriæ Potestatis fons nobis est recludendus, & ad Parentum Beneficia pes promovendus. Primum beneficium & in universa Natura summum, quodq; efficit, ut liberis & vivendum & moriendum sit ingratis, est Vita, principium & basis omnium, quæ à liberis proficisci possunt. *Quicquid est, quod dat Patri Filius, utiq; minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem Patri debet. Ità nunquam beneficio vincitur, cujus beneficium est, quod vincitur. Quicquid præstitit Patri, etiamsi magnum est, infrà æstimationem paterni munerũ est: quia non esset, si non genuisset.* Quæ verba sibi objicit Seneca, & contrà, posse beneficiis Parentes à liberis vinci pugnat. Verum, si quæ Verborum non minori cumulo quàm acumine congerit Seneca, cum Parentum primo hoc benficio & immensâ solicitudine atq; curâ, de quâ mox dicendum, contendantur planum fiet, fallaciam Accidentis committere Senecam, dum fortuito adscribit casui, quod virtuti & authoritati Parentum debetur, adeoq; parentum beneficia ab officiis, sive quantacunq; demum sint, beneficiis liberorum non adæquari, multò minus exsuperari posse.

l. 3. de benef. à cap. 30. ad fin.

Secundum Nutritio.

§. 12. Secundum, nec primo minus beneficium, quo liberos afficiunt Parentes, Cura Nutritionis est, cujus prima & potior pars Matri incumbit. In materno enim utero Natura nobis sex menses antè, quam nascamur, de cornu copiæ prospexit. Ut primum enim in utero moveri incipit fœtus, scribente Hippocrate, quod tertio mense in maribus, quarto in fœminis accidit, lactis copia se prodit in mammis matris, quod fœtus jam grandior factus & se circumvolvens acetabula uteri comprimat, & sanguinem regurgitare faciat ab utero ad mammas, ut, quod tradunt Medici, per subtractionẽ sanguinis fœtus exitus admoneatur. Benè Phavorinus: *Nonne hæc quoq; in re solertia Naturæ evidens est, quod postaquam sanguis ille opifex in penetralibus suũ omne corpus hominis finxit, adventante jam partus tempore in supernas se partes profert, & ad fovendæ vitæ atq; lucis rudimenta præsto est, & recens natũ notum & familiarem victum offert.*

Infantem mater

§. 13. Durissimæ ergo ac matrum nomine indignæ censendæ sunt: quæ, quos parere dignatæ sunt, lacte suo alere dedignantur, ipsis bestiis crudeliores, quæ substituunt scortilla ex quorum sangui-

ne

quinc geniti liberi non sunt, quam ob causam neq; eorum lac infantibus accommodum est, ut maternum. *Quia omne quod gignit alimentum conveniens genito continet.* Ne nunc dicamus, ex ebriosa & lasciva nutrice vitiorum semina cum ipso lacte combibi: nec naturam frustrà matri lactis munera dedisse: quod periculum creet lac aversum corruptumve: quod reverentia erga matrem, & in fratres affectus atq; germana morum conspiratio minuitur ac infuscatur. *Par enim est, ut, quod per se nascitur, cum nulli pro alimento acceptū est obnoxium, nullam exhibeat nutrimenti mercedem;* teste Platone. Lacte ergo matris, optimo non potu tantum sed cibo quoq; alendi infantes, & solo quidem nec pultibus distendendi (fiunt sic voraces) idq; tantisper dum dentiant: tunc enim Natura innuit, solidiorem cibum esse dandum, cum dat mandendi instrumenta.

lactare debet. *Plat. in Menexy.*

7. de Rep.

Quamdiu?

§. 14. Qui dat formam, dat ea, quæ formam consequuntur, ut habet Peripateticus Canon: Quare, qui causa est, ut homo existat, is quantum in se est, & quantum necesse est prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam, h. e. naturalem & socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria. Hinc fit quoq;, ut citra auxilium legis Civilis, prima bonorum successio liberis deferatur: quia creduntur illis, ut corporis sui partibus, non tantùm de necessariis, sed & de his, quæ ad vitam svavius & honestius transigendam pertinent, quàm uberrimè voluisse prospectum, ab eo maximè tempore, quo ipsi rebus suis frui non possent. Apud Quintilianum filius *partem* inquit, *jure Gentium petit.* Et Salustius *testamentum quo filius exheredatur impium* dicit. οἱ γὰρ παῖδες ὡς ὀφείλημα τὸν κλῆρον ἐκδεχόμενοι. Et quia naturale debitum est etiam vulgò quæsitis mater alimenta præstare tenetur.

Alimēta debentur naturæ & gentium jure.

§. 15. Alimenta cum dicimus, utrumq; τὰς διατροφὰς καὶ τὸ σκεπάσματα intelligimus, h. e. quæ ad victum & amictum pro modo facultatum, dignitate personæ & loci consvetudine spectant: quicquid præterea est, cum non debeatur ex Jure Naturæ, sed per humanas rationes fuerit introductum, tolli potest atq; rescindi. Quod si artem didicit Filius, æqvum est & Naturæ juri non dissentaneum, ut artem, quam sumtu studiove paterno didicit, exerceat, & hoc parandi victus instrumento utatur: adeoq; hoc casu Filium

Quamdiu?

Pater-

Pater alere non tenetur. Sed, si Filius inutiliter prodegit, quæ Pater assignaverat, alimenta, num dare nova tenetur Pater? Si spes emendationis nulla sit, urgensq; sit metus, ne paternam liberalitatem ad ministram vitiorum & luxuriæ sit habiturus Filius, satisfecit Legi Naturæ Pater, nec tenetur: quanquam Paterna Pietas inemendabilem Filij animum non facilè præsumat, quin potius ad summam diligentiam nihil reliqui faciat, ut ad frugem bonam Filius revocetur.

Abdicatio quando usu pari possit.

§. 16. Quæ de alimentis diximus & pietate paterna, in tantum valent, nisi Filius omni favore indignum se reddiderit. *Magnis sceleribus*, inquit Seneca Rhetor, *jura naturæ intercunt.* Sed ut in matrimonio, quod disput. præced. excussimus, non quodvis, quamlibet atrox crimen, vinculum rumpit, verum id demum quod conjugij essentiæ vim infert: ita quoq; non quodvis crimen, quantumvis grande sit, eâ pœnâ quam Græci ἀποκήρυξιν seu abdicationem, Romani exhæredationem (hanc vocant quæ fit causa mortis: abdicationem, quæ fit inter vivos) vocârunt, affici meretur, sed tale, quod cum pietate filiali & obligatione pugnat, putà, si Filius omnem grati animi affectum exsuat. Quod fit, ubi vel acerbum convitium Patri ingeritur, vel atrox injuria, quæ modo in ipsum Patrem, puta, si manus inferat violentas, modo in universam familiam, Si veneficio & aliis damnatis artibus opprobrium dedita opera irrevocabile accersat, redundare possit. De modo abdicandi, omnino vide præclarè differentem Platonem, qui Filium jure abdicandum non à patre solo sed à genere universo per majora propinquorum tam virorum quam mulierum suffragia depelli oportere censet, & memorabilem sententiam adjicit: *Si quis Civium abdicatum adoptare voluerit, nulla id lege vetetur. Juvenum enim mores sæpe in vita varieq; mutantur.*

l. 11. de LL.

Tertiũ Educatio.

§. 17. Tertium sive beneficium sive officium Parentum est Educatio, quæ pari cum vita ipsa passu ambulat. Arist. postquam de nutrimento liberis prospexerat, jusseratq; lacte ali, abstinere vino, quod humectet, calefaciat nimium corpus, & halitu caput gravet, deinceps ad finem librorum Politicorum de educatione pueritiæ agit, & exiguam adolescentiæ quoq; partem attingit: reliqua temporum infelicitas absorpsit. Ante Aristotelem Plato,

l. 7. Pol. c. ult.

qui

qui itidem vino interdicit ante annum 18. quod non oporteat ignem in corpus atq; animam suggerere, antequam viri effecti subire labores incipiant, infinitis propemodum locis de recta educandi ratione agit, inprimis toto libro de LL. VII. *Non video*, inquit, *ubi majore diligentia opus sit, si quis mentem modò habeat, quàm ut filium optimum reddat.* Nec hujus fructus privatus tantum, sed publicus quoq; ut si recta educatio præcesserit, non multis legibus opus sit. Contra *qui malè educati sunt audent etiam leges optimè scriptas violare*, inquit Isocrates. Si sic nobis ab ipsa puritia persvasum fuisset, non alij alios prohiberemus ab injuria inferenda, sed unusquisq; sui ipsius custos esset, timens, ne injustè agens maximo malo adhæreret. *in Theag.* *in Areopag* *Plat. de Rep. 2 & 4.*

§. 18. Unde liquet, quam verè Plutarch. ἀγωγὴν σπουδαίαν καὶ παιδείαν νόμιμον, dixerit esse πρῶτον, καὶ μέσον, καὶ τελευταῖον κεφάλαιον. Nimirum lucem aspicimus homines nudi corpore, appetitu, ratione, cum aptitudine εἰς ὁπότερον magis tamen ad vitia per originariam labem deflectente: actu quidem nec temperantes nec intemperantes, nec justi nec injusti, sed quasi ancipites & globi instar in omnem partem mobiles. Exponimur autem in seculum non aureum, quod caput infelicitatis nostræ est, inter infinita malorum irritamenta, tot Sirenes, tot Circæa pocula, tot maris pericula, voragines, scopulos, tot deniq; monstra, ut non abripi, non demergi, non implicari res non tantum solicitissimæ cautionis sit, sed eximiæ cujusdam felicitatis. Ita ruimus homines in vitia præcipites: nec innocentia rara est, sed nulla, inter eos quoq; qui φωστῆρες ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης esse debebant, ut rem acu tetigisse videatur Chrysostho- *ad Phil. 2. 15.* mus, qui, cur tanta vitiorum colluvies orbem inundâsset, causam exquirens, satis habuit, cum diceret, *deleta esse exemplaria.* Porro imitatores, ut qui maximè, pueri sumus, eorumq;, quæ incauti combibimus, retentores & custodes diligentissimi firmissimiq; Atq;, quod de *Theodoro Tragædo* Arist. memorat, *quod nullum unquam ne contemtum quidem histrionem passus est ante se in scenam prodire, ratus spectantium aures iis, quæ prima audiunt, captas occupari*, id verò hic apprimè valet. Difficulter eluitur, quod primæ *7. Pol. 6. ult.* Quod maximè necessaria est.

In Timæo ætati adspersum est. Quod Plato rotundè: τὰ παίδων μαθήματα θαυμαστὸν ἔχει τὶ μνημεῖον. Licet ergo Parentes, qui illud Phocylidis χρὴ παῖδ' ἔτ' ἐόντα καλὰ διδάσκειν ἔργα aspernati, pecuniis cumulandis liberorum gratia incumbunt, Verbis Platonis Cedro vivacioribus objurgare. *Quenam ruitis homines? Nescitis quò feramini, neq; oportunum quicquam agitis, qui omni studio pecuniis cumulandis incumbitis filios autem, quibus eas relicturi estis negligitis, neq; ut illis justè uti sciant, eos justitiæ præceptoribus commendatis &c.*

In Clitoph. & 5. de Repub

Educatio corporis primo biennio.

§. 19. Consistit Educatio in recta conformatione corporis, Appetitus, Rationis. Primum Corpus est, instrumentum Animi futurum ab bonas actiones obeundas, non minus necessarium, quam bona est cythara perito Cytharædo. Ad conformationem corporis & membrorum rectam proportionem obtinendam duo media affert Arist. *motum & machinulas s. fasciculos*, quibus tenella corpora involvuntur. Motus ad prægnantes quoq; spectat. Quibus præcipit Aristot. ut otium vitent, & iter dietim pedibus conficiant: à quo non discrepat Plato, qui itidem τὴν κύουσαν jubet περιπατεῖν; quippe ambulatiuncula vel per sudorem ejiciuntur, vel per insensilem transpirationem avolant vitiosi humores ne fœtui noceant, cui commodando, cibo uti jubentur solido & alimentoso. E contrario quietem animi imperant Philosophi, quandoquidem compertum sæpissimè est, turbatas matres & perterrefactas fœtui plurimum incommodâsse, dum cum sanguine fœtum alente conjunctis Spiritibus variè per affectus & passiones agitatis, atq; ad uterum appulsis, vim animæ fœtus formatricem exemplariter direxerunt, atq; varias formas specierum terrificarum & monstrosarum fœtui in utero impresserunt. Inde ab ebrietate quoq; jubentur gravidæ abstinere. Editis in lucem motus maximè conducit, quo excitatur calor naturalis, ut cibos digerat, inutilia avehat, humores pravos tenuet, membra distendat, cui magis per ἀντιπερίστασιν augendo, marium corpora utile censet Arist. exponi frigori, quippe densanti corpus, stringenti, & ne laxatus internus calor effluat, efficienti: quæ res & ad valetudinem facit, & præsertim ad munera militaria, aliasq; vitæ necessitates commodè obeundas & per-

7 Pol. c. ult & 16.

7. de LL.

perferendas. An utile sit plorare infantes, dissentiunt Plato & Aristoteles. Hic affirmat, quod per lachrimas venæ intenduntur, & superflua per oculos pelluntur excrementa, illaq; adeo Spiritus contentio flentibus pueris vires adanget, non secus ac pondus aut saxum levaturi, spiritum solent colligendo robori inhibere. Valeat hic illud πολυθρύλλητον: πᾶν δ' πολὺ πολέμιον τῇ φύσει: nec cuivis pedi quilibet calceus aptus est. Alterum, quod membra decenter firmat, sunt fasciculi, quibus suffulciuntur infantes, & in directam longitudinem quasi ducuntur, caveturq; ne gibbosi, turriti, obliqui fiant, atq; universim, ne artus luxentur vel propter mollitiem distorqueantur.

§. 20. Hoc primo ferè biennio: tertio anno, quarto, quinto motum jubent Philosophi moderatum continuari, ludos quoq; indulgeri faciles, quiq; defatigatione non ponunt obstaculum incremento, recreantes corpus pariter & animum, excitantes semina virtutis & simulachra præferentes eorum, quæ post seriò facienda sunt. Secundum septennium detur artium Palæstricarum ministris, ut lusui pilæ, luctationi, saltationi modicæ &c. Tertium ipsis Gymnasticis sive Palæstricis artibus, quas Plato in duo summa capitu secat, *luctam & saltationem*, h. e. in eam exercitationem, quæ est cũ adversario & in eam, quæ sine adversario est. Quare pro habitudine corporis, quam potest, optima consequenda, pro conditione quisq; sua doceatur hoc septennio equitare, h. e. cursu & recursu equum incitare, sistere, per salebras eo decurrere, in orbem agere, cũ gratia ei insidere: discat venari, rerumq; ad venationem spectantium, ut canũ, falconũ, notitiam habere: discat aucuperi, natare, currere, telavibrare, quæ multiplex exercitatio vel maximè pituitam in pulmonibus collectam ejicit. Quin ex usu Reipubl. quoq; est, ut hoc tertio septennio juvenes selectiores ad vigilias, jejunia, lecti duritiem, frugalitatem, frigora, æstum assvescant, adversus externas injurias solidissimum telum futuri. Inprimis ciborum delectus habendus est cujusvis temperaturæ convenientium: ex iis enim sanguis est, ex hoc appetitus & ad mores proclivitas. Ratione moderanda. Nemo enim est, qui nesciat biliosos, h. e. calidos & siccos ad amorem, iram, audaciam, invidiam, æmulationem: minus calidos & humidos, ut sanguineos ad gaudium: frigidos & humi-

Annis seqventibus.

7. de LL.

dos, ut pituitosos, ad affectus tristitiæ, timoris, desperationis, sed leves & frigidos: melancholicos s. frigidos & siccos ad eosdem sed vehementiores propensos esse. Imò Hippocrates asserere audet: *Homines, prout sanguis est, ita prudentes esse: tenuem & frigidum ad intelligentiam: tenuem & calidum ad intelligentiam simul & robur corporis conducere: crassum nec defæcatum, intellectui caliginem obducere.* Maximè, si in cerebro sanguis turbidus sit: ubi purum & sedatum esse oportebat.

Informatio Rationis.

§. 21. Hinc ad Rationem transimus, cujus interpres est Oratio, Minister Appetitus sensitivus. Sed de ratione prius, cujus recta institutio ad Appetitum hunc brutum, imò ipsum quoq; corpus, diffunditur. Quæ cura à teneris est suscipienda Parentibus. (*Cura enim quùq; id, quod maximè diligit*) *quemadmodum bonus agricultor teneras primum plantas curare debet: qualis enim initium puerili educationi, talis progressus.* Cum primum ergo vis rationis in liberis apparet, evocanda est φιλήδονίης seu alacritas puerilis, atq; omnibus subsidiis fovenda proferendaq; est. Enimvero prodit se sciendi appetitus, simul atq; lacte pelluntur liberi: suntq; φιλήκοοι, φιλόμυθοι, libenter audiunt nutricularum fabellas: sunt ζητητικοὶ, de multis quærentes, φιλειδήμονες καὶ φιλομαθεῖς, quæ duo faciunt conjuncta πολυμαθεῖς. Hæc ergo alacritas modis maximis excitanda est. Nec, quod esse fractæ & enervatæ educationis principium solet somno, torpori, otio & incuriæ permittendi, sed maturè ad ἀγρυπνίαν, φιλεργίαν, φιλακρίβειαν ducendi, ut vigilare, operari, nec id incuriosè, sed pro modulo suo curatè assvefiant.

Plato 3. de Rep. in Entyphr. de Rep. 4.

Ducenda ad DEUM & Rempubl.

§. 22. Verum sicut oculi nostri sine magno naturæ oculo nihil vident, ita à teneris ad Justitiæ Solem ducendi liberi sunt, adeoq; persvadendi, destitutos gratia & luce superna fruströ laboraturos iniq; perpetuis tenebris oberraturos. Edoctis verum de DEO sensum, cultumq; qui religiosa pietate & purâ mente absolvitur, deinceps ob oculos poni Respublica debet, quæ omnes omnium charitates complexa est ut vitam instituere, mores, animum, linquam conformare discant, studeantq; quo ex se multũ ornamenti parentes, patria, multum præsidij Respubl. vel in præsens vel ad

poste-

posteritatem sperare aut percipere possint. Quod tam Parentibus quam Rectoribus Civitatum incumbit, *ut unumquemq; Civium ad quod natura est aptus, ducant, ut suæ quisq; naturæ studium sequens, non multi, sed unus existat, atq; ita civitas tota una fiat, non multæ.* Cumq; verissimè à Platone dictum sit: *Ea, quæ vulgò bona dicuntur, depravare hominum animos, nisi accesserit Philosophia*, maturè bonis sententiis imbuendus animus, & sapientiæ decretis firmandus est. Unum hic apponimus instar omnium divini Platonis: *Tam Græci quam Barbari, divitias* (honores voluptates &c.) *cum tertium bonorum teneant locum, in primo ponunt: atq; hac sententia se ipsos simul & posteros perdunt. Optimè sanè & pulcherrimè viveremus, si vera de divitiis sententia ubiq; prædicaretur: ea est, quod divitiæ corporis gratia sint, corpus autem animi causa. Quare, cum bona ea sint, quorum gratia possidendæ divitiæ sunt, tertium gradum post virtutem animi corporisq; tenebunt. Hæc ergo ratio nos tanquam magistra docebit, non oportere hominem, qui felix sit futurus, divitias quomodocunq; sed cum justitia & temperantia quærere.* De qua re in præliminari dissertatione pluribus agemus Vid. disp. IV. § 3.

Plato. de Rep. 6.

Vid. Arist. l. 7. Pol. c. 13.

§. 23. Nunc ut corporis curam ad septennia divisimus (iis enim notabiles in corpore mutationes colliguntur) ita animi quoq; informationem particulatim, sed quasi saltuatim videamus. Primo septennio, quæ fabulæ teneris auribus committuntur, quod fieri consultum putant Philosophi, cum ut mens assvefiat recipiendis rerum simulachris, tùm ut lingua rebus appellandis fingatur, *virtutù semina continere debent.* Ipse quoq; nutricularum cantus sit concinnus, cum *indecentiæ & rythmi inconcinnitas atq; dissonantia turpis & improbi morù sorores sint.* Arceantur liberi à consvetudine servorum, aq; visu & auditu rerum illiberalium, quæ irrepunt in teneros animos, retinentq; difficulter dimissuræ. Cumq; primo septennio natura magis extendendo corpori sit intenta, quàm sequentibus, quod hortulani faciunt, ut plantis modicas affundant aquas, ne multis suffocent, idem hic observandum, ut non trahantur sed quasi per ludum ducantur, elementa velint, ut discere prima. Secundo septennio nondum ad difficiles ac subtiles disciplinas solicitandi sunt, sed in linguis potius & Musica instituendi, ut literas pingere, numerare, pro usu private pub-

Per quosdā veluti gradus.

Plato. 2. de Rep. Arist. 7. Pol. c. ult Plato 3. de Rep.

Vid. Arist.

l. 8. Pol. cap. 3. seqq. publicoq; discant. Tertio septennio facilè judicari poterit, *quò quemq; vis ingenij deferat: atq; huc inclinandus est* svadente Seneca, *cum, qui ad tibias inflandas natura ingeniosus est, maximè proficiat, tardus autem minus.* Quod si studiis liberalibus sunt initiandi, tertio septennio, instrumentariis disciplinis, Logicæ, Rhet. Gram. uberiori cognitioni, bonis in utraq; Lingua Authoribus innutriantur: ita tamen, ut in aciem eos deducendos, nec in *ista gyros ac mæandros* tanquam ad Sirenios scopulos, sibi consenescendum esse ducant. Quarto Septennio ad Reales accedant disciplinas. Sed de studiis dextrè inchoandis & feliciter pertractandis plurimi scripserunt, nec nos hanc cramben recoquimus. Id solet agitari in Politicis, num institutio Publica sit anteferenda Privatæ. Nos utrumq; quantum potest, jungendam esse arbitramur: publicam tamen præferendam. Rei enim communis, ut liberorum, ex quorum institutione laus vel labes in Rempubl. redundat, communis debet esse procuratio: nec unius judicio standum in re tanta, quæ sapientia totius Reipubl. subnixa est. Adde, in tumorem dari ingenia cum nemine se comparantia, vel langueſcere à nemine provocata: educationem privatam *mollem esse, fœmineam, blandam*: nec præmia pœnasve intra privatos parietes tantum habere robur, quantum in publico. Ne nunc dicamus, publica institutione amicitiam inter cives contrahi nullo tempore sintendam: quæ concordia ad Reipubl. stabilimentum quàm potenter possit, nemini ignotum esse potest.

Plat. in Protag.

Gell.

Vid. Arist. l. 8. Pol. c. 1.

Vid. Plat. 3. de LL. sub fin.

Appetitus sensuũ cultura

§ 24. Supereſt appetitus ratione carens, obtemperare tamen rationi aptus natus: multiplex, effrenis, pertinax, ubi accesserit Ignoratio Recti & Consvetudo. In tantum enim se efferra contra rationem videmus, ut ferè hominem definire possimus, quod animal sit, & cum Rationem acceperit ducem vitæ, vivat tamen secundum affectus. *Ignorantiam recti* dispellit, quod suprà monitum §. 22. Philosophia, ea potissimum, quæ de præmiis pœnisq; agit, quibus bestiæ quoq; domari & frangi possunt. Iis autem, qui liberali ingenio sunt, duo illa, quæ Plato enumerat, sufficiunt: *Desiderium honoris & Metus infamiæ*, quæ magis quàm pœna mentes ingenuas permovere potest. Quare à teneris assvefaciendi liberi, ut (quod Lacon ille se facere ajebat)

Vid. Arist. l. 7. Pol. c. 14 & 15. sub fin.

bat) gaudeant honestis, doleant turpibus. Inprimis pudor, regimen repagulum & frœnum peccaturorum, omni curâ nutriendus est: (ὃ γὰρ ἀισχυντηλὸν τοῦτο τῇ ἡλικίᾳ πρέπει) quamdiu enim Pudor in animo illibatus per duraverit, tamdiu bonæ spei locus est; Contrà periisse censendus est qui nullos animi malè conscii stimulos persentiscit. *Ejecto semel attrita de fronte pudore.* Atq; hoc Parentum curæ inprimis resignatur ut *non studeant opes multas liberis relinquere, sed ut quamplurimum pudoris & verecundiæ animis eorum ingenerent*, quæ sunt Platonis verba. *Disputandum cum adolescentibus, corripiendo illos atq; dejiciendo, non blandiendo & corrumpendo.* Nec minimum iis indulgendum Minima enim vitiosorum affectuum alimenta *familiaritatem affectantia sensim in mores serpunt & studia: ex his ad commercia emergunt amplius: deinde à commerciis, in leges Reipubl. erumpit.* Quod hodiè factum dolemus, quando à tenuibus orsi initiis mores in suam potestatem leges pertraxerunt, adeoq; corrumpere & corrumpi seculum vocatur. Malæ ergo consvetudinis omnes fibræ elidendæ, omnia semina exstirpanda sunt. Cupiditas actum parturiens, si eum eniti prohibeatur, abortum faciens ipsa quoq; interit. Difficilimum autem est *ita temperare disciplinam ut nec licentia nutriatur nec degeneri tripidatione indoles comminuatur.* Nam & hoc Parentibus curandum ne timidiores liberi reddantur. Verum ebulliente affectu cognato, cum medium ἐν στιγμῇ tenere difficile sit, sicut ii, quorum calcei dextrorsum vergunt, eos solent multum premendo sinistrorsum reflectere, quod etiam observant hortulani in lignis nodosis atq; distortis dirigendis, ita in moderandis affectibus id quod vitiosum est, in oppositam partem flecti oportet, ut id quod inter extrema medium est, eò facilùs consequare. Et sicut marmorarij accurati modò aliquid deterunt, modò apponunt, modò emendant, & tandem ad unguem omnia explorant atq; perpoliunt: Ita ipsi in nosmet conversi, ubi quid deest, aut abundat, ubi quid laudabilius fieri potest, inquirere debemus ut hoc imaginis DEI simulacrum cum Archetypo ipso, quoad fieri potest, quam exactissimè conformetur.

Plut. de Virt. Moral.

Plat. in Char.

Plat. in Lys.

4. *de LL.*

Tac. de Mor. Ger. Sen.

Plat. l. 2. de Rep.

Vid. Generalia Pars Politicæ.

§. 25. Claudat officium liberorum: de quo per superiora non nihil sparsimus. Disputat Aristot. *magis ex natura prodire amorem parentum*

Officium liberorum.

8. Eth. c. 12 parentum in liberos sed magis obligantur parentibus liberi: nam qui dat aliquid, si prior accepit, non obligat, sed reddit, inquit Seneca Rhetor. Plato de DEI ac Parentum cultu agens, DEUS profecto nobis rerum omnium maximè sit mensura multoq; magis, quam quivis homo. Qui igitur huic tali amicus fore studet, eum necesse est, ut quàm maximè temperatus, purusq; efficiatur. Frustra enim circa DEUM prophani laborant. Paucis interjectis: Demum viventium cultus parentum, quibus fas est prima & maxima debita omnium antiquissima debitorum persolvere. Putare enim quùq; debet, omnia, quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt & educârunt, ita ut illis hæc omnia pro viribus ministrare debeat, primum quidem externa bona, deinde etiam corporis postremo quæ ad animum pertinent, hæc omnia videlicet mutuo data persolvens, & pro curis doloribusq; priscis parentum, in senecta recentes reddens, quando maximè indigent. In verbis quin etiam per totam vitam parentes venerari maximè decet. Levium enim volatiliumq; verborum, gravissima imminet pœna. Nam omnibus proposita est Nemesis, judicii angelus hujuscemodi omnium considératrix. Oportet itaq; iratis animumq; explentibus cedere seu verbis seu rebus id faciant, non ignorantes patrem jure admodum filio valdè succensere, si quando ab eo injuriam sibi fieri arbitretur. Quæ repetit alibi: Cujus Pater aut mater vel horum parentes senio confecti quasi thesaurus quidam domi jacent: ù putet nunquam aliud sibi tale simulacrum magisq; efficax domui suæ affuturum, si rectè, ut decet, ab eo colitur. Hæc Plato Benè, Præclarè, Nec Potuit Melius.

Quid sit ἀντιμαργεῖν?

de LL. 11.

Coloss. 3, 12 Eph 5. 19. τὴν ἀνέκδοτον θεραπείαν θεὸς τε ἀμοιβὰς ἀποδόναι sequitur perpetuum obsequium in omnibus, ut ait Apostolus, quod alibi explicat in Domino. Neq; enim ad turpia extendendum obsequium est. ἐν πᾶς μέσοις καὶ ἀδιαφόροις, quæ Plato nec bona nec mala, sed neutra appellat, præstat Parentum jussa exequi: Si quæ tamen videntur nocitura, sine opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim & relinquenda magis esse dicit Gellius, quam respuenda. De pœna contumacium liberorum, & Parricidii vide Platonem & Ciceroem graphicè, cur parricidæ culeo insuti in mare projecti fuerint, exprimentem. Hæc, quæ de rependenda Parentibus vice reverentia & obsequio diximus, immota perstant, etiamsi liberi ad Reipubl. gubernacula evehantur. Quo casu intra privatos parietes naturalis illa relatio clauditur: publicè mutatur, & qui privatim Filius, publicè Pater est, atq; hinc omni reverentia & honore dignandus.

in Lys.

l. 2. c. 7. de LL. 11. pro Rosc. Amer.

Disp. III. Respond. Johanne Friderico Tvitemejer, Vord: Bremensi.

DEO DUCE!

§. I.

Ratio ordinis

EXcussimus societatem γαμικὴν s. nuptialem: excussimus τὴν τεκνοποιητικὴν sive πατρικὴν Patriam: nunc ordinis ratio, quam ipsa præscribit Natura, postulat, ut τὴν δεσποτικὴν s. Herilem expendamus & delineemus. Nec mirabitur, in Politicis nos agere de Tribus hisce Societatibus (cujus vocis vim ampliant Philosophi) qui cogitaverit objectum, quod vocant, operationis præcognitu necessarium esse, non tamen secundum universam Rei naturam, sed quantum instituto & fini, quem præspeculamur, conducit. Qui oculum curaturus est, eum oculi notitiam habere oportet, qui artem fabrilem exercituros, ferri, auri, qui animum & affectus (quod Ethicus facit) emaculaturus, animi & affectuum. Et hæc tamen omnia ἀκριβεῖ λόγῳ in Physica tractantur, in iis, quæ recensuimus, artibus & disciplinis ὡς ἐν τύπῳ s. ὡς ἔπος εἰπεῖν. Oportet enim unicuiq; artifici certam & aptam subjici materiam, ut opus præclarum efficiat: nec ταυτολογία protinus censenda est, alibi tradita alio repetere loco. Quin societatum illarum haud paulò diversa consideratio est in Oeconomicis & Politicis: illic, quæ ad privatum regimen & bonum familiare magis spectant, tractantur, omnia tamen μετρίως, ὥπερ ὑπὸ τῶν δημιουργῶν, ut uberius alibi disputabitur.

Arist. 7. Pol. c. 4. & cap. 1.

Plato in Amator.

§. 2. Cum verò Societates priores sine tertiâ hac tueri se commodè nequeant, nec Natura in iis, quæ ad vitam commodè degendam necessaria sunt, deficiant, Aristoteles & *conjunctionem maris ac fœminæ, & servi atq; heri societatem, imò ipsam Civitatem à Natura esse asserit.* Sed ad percipiendam Aristotelis mentem, quam multi non intellectam flagellant, ex cap. cit. repetendum est, &, quid

Soc. Her. est à Naturâ

1. Pol. cap. 2. seqq.

quid sit Naturâ constare, explicandum. Affirmat Aristoteles *civitatem constare naturâ*, dicitq; nihil hoc aliud esse, quàm quod *Natura hominibus indidit impulsum & appetitum civilem, sive ad communem vitæ consvetudinem, quæ ὁρμὴ perdurat in hominibus, expletur tamen ac perficitur ratione & prudentia humana, adeoq; opus est duce aliquo, qui, quò naturâ ferimur, eodem nos colligat.* Naturam itaq; pro naturali inclinatione capit, quæ in multis ad serviendum est, ut in aliis ad imperia & dominatum. Quod cætera animalia inprimis ἀγελαῖα 1. gregalia facere videmus, ut habita suæ utilitatis & conservationis ratione, si quæ valent corpore, infirmioribus ingenio, solertia stupidis succurrant, id inter homines quoq; observari par est, ut, qui corpore robusti sunt, tardi ingenio, ab iis conservari gubernariq; desiderent, qui ingenio & ratione valent: Imò hi ipsi ex Naturæ instituto operam expetunt illorum, ut caput in homine ministeria manuum, pedumq; deposcit. Quo sensu Aristoteles *servum ait esse partem Domini, & Domino esse, quod anima est corpus.* Corpus verò aptum natum est ad servitutem, ut anima ad dominationem.

cap. 6.

Ratio Prima.

§. 3. Et duobus quidem fundamentis superstructa est Aristotelis sententia. Primum est inclinatio naturæ, de quâ jam diximus. *Non enim omnium ingenia*, ut rectè ait Busbequius, *inopem ferunt libertatem: nec omnes ità nati sunt, ut se regere & suo arbitrio rectè uti sciant, melioris ductu atq; imperio tanquam adminiculo opus habent, nullum alioqui peccandi finem facturi, ut sunt quædam bestiæ, quarum ferocitas semper metuenda sit, nisi vinculis aut robore coërceantur. Hic quidem mens imbecillior authoritate herili gubernatur: herus servi labore vivit.* Atq; hoc Plato disertè affirmat, quando *maximè* ait *secundum Naturam esse, nec quicquam violenti habere, si ignorantes sequi jubeantur, prudentes ducere & dominari.* Quapropter alibi *Imperantium animis* ait *admixtum fuisse in prima generatione aurum, auxiliatoribus argentum, ferrum deniq; & æs agricolis, opificibus, & aliis*, quibus obsequij gloria tantum relicta est: concluditq; hunc μῦθον pulcherrimo Epiphonemate: *Oraculum est, tunc perituram Rempubl. cum ipsam æneus custos vel ferreus gubernabit.*

Epist. 3. Itiner.

3. de LL.

3. de Rep.

§. 4. Al-

§. 4. Alterum fundamentum Aristotelis est, quod secundum Naturam fieri dicenda sint, quæ fiunt, ad commoda & utilitatem Naturæ. Sicut asinis & bobus homini parere & ab eo regi tam est salutare, quàm cum hominis utilitate est conjunctum opera illorum uti: ita qui robore & viribus corporis pollet solertia destitutus, h. e. qui ad ministrandum natus est, alterius regi consilio debet: quæ servitus & Domino profutura & servo est, qui, nisi servit, interit aut ægerrimè conservatur. Hæc causa est, cur ultro multi in servitute vitam exigere, quàm ad pœnitendam properare libertatem maluerint. In quam sententiam Busbequius, *Nescio,* inquit, *an optimè rebus nostris consuluit, qui servitutem primus sustulit. Si justa & clemens, & qualem Romanæ leges præscribunt, servitus præsertim publica maneret, non tot fortasse crucibus, neq; tot patibulis opus esset ad coërcendos, quibus præter vitam & libertatem nihil est, quos egestas ad quodvis audendum scelus impellit.* Et Plato, *qui nescit anima uti, præstare huic* ait, *ut otium agat anima, neq; vivat, quàm ut vivat, & sui juris in agendo ipse sit. Quem si quæ necessitas cogit vivere, melius huic esse, ut servus vitam ducat, quàm liber.* Cui rei firmandæ non aliud magis idoneum exemplum afferri potest, quam est servorum, qui olim ex Religione certatim manumittebantur, quos Valens Imp. cum natura ferre libertatem non possent, edicto coactus est retrahere in servitutem.

Ratio Secunda.

loc. cit.

in Crat.

§. 5. Hinc manifestum est, servum Natura esse, qui sibi prospicere de rebus ad vitam necessariis nequit quiq; sicut culter acutus est, ut scindat, harpago incurvus, ut apprehendat, manibus pedibusq; totoq; corpore à Natura sic factus est, ut serviat. Neq; tamen inde sequitur, vel singulis vel toti populo, eò quod ingenio cedere nobis videantur, jugum servitutis per vim imponere fas esse. Ultra æqvum enim gratificatus Aristoteles videtur Philippo & Alexandro bellum in Asia molientibus, cum ex Euripide Græcos in id natos esse diceret, ut Barbaris imperent, quos & hostes naturaliter sibi esse Græci dicebant. Atq; adeò colligens Virtutis militaris fines Aristoteles, tertium ponit τὸ δεσπόζειν τῶν ἀξίων δουλεύειν. A quo non abit Isocr. qui laudans mores & instituta veterum Athenienſium existimâsse eos ait, justissimum maximeq; necessarium bellum id esse, quod contra feras & truces animantes gereretur, alterum

Quantum liceat in servos naturâ.

Plut. in Alex. M.

7 Pol. 14. in Areop.

terum ab hoc, quod contra barbaros. Esse enim hos idoneos, & dignos, qui Græcis serviant. Rectè vero Plutarchus πρόφασιν εἶναι τῆς πλεονεξίας dixit, ἡμερῶσαι τὰ βαρβαρικά. Nec satis justam causam habuerunt Hispani, ut Americanos, quemadmodum Lipsius loquitur, salutari sævitia exhaurirent. De sævitia testimonium adducimus Barthol. Casai Hispani Episcopi, qui narratione sua sub finem lib. hæc habet: *Rubore suffundi deberemus, quod omni timore DEI remoto, tam execrandis facinoribus colorem addere & ea excusare tentemus, cum præsertim cernamus nos* (Hispanos) *48. annorum spatio regiones majoris longitudinis, quàm sit totæ Europæ, & pars Asiæ, ob hanc causam, ut divitias consequeremur, destruxisse, eas terras deprædantes & omni crudelitate, injustitia & tyrannide occupantes & usurpantes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominum milliones periisse certo scimus.* Cum enim redactis in potestatem Hispanorum Americanis demum de jure susceptæ belli illius quæreretur, & Josephus Acosta aliiq; injuriam Indis illatam esse instarent, Johannes Sepulveda in aula Hispanica omnium aulicorum applausu probare conatus est, Americanos naturâ servos fuisse, atq; propterea sub jugum mittendos. Verum hoc de omnibus affirmare hominis esset valdè pervicacis & suo sensu abundantis atq; in historia populorum Americanorum valdè hospitis. Nec dubitandum est quantumvis barbaros, atq; nulla eruditione aut cultu tinctos tàm fuisse nonnullos Naturæ bonitate perspicaces, ut sibi rectè prospicere de necessariis ad vitam potuerint. Quin universim loquendo *ad Dominium non requiritur aut virtus moralis aut religiosa, aut intellectus perfectio*, ut disputat Vir summus Grotius.

de Jure b. & p. l. 2. c. 22. num. 10. seqq.

Quomodo omnes homines Naturâ liberi.

§. 6. Nec cum Aristotele pugnant, qui Servitutem contra Naturam esse, adeoq; omnes homines jure Naturæ liberos esse propugnant *Nam libertas, cum naturâ competere hominibus dicitur, id intelligendum est*, (ità Grotius l. c.) *de jure Naturæ præcedente factum omne humanum, ac de libertate κατὰ στέρησιν, non de ea, quæ est κατ' ἐναντιότητα sive, ut Naturâ quis servus non sit, non ut jus habeat, ne unquam serviat: nam hoc sensu nemo liber est.* Dicit de jure Naturæ intelligendum præcedente omne factum humanum: quo sensu jure Naturæ omnia esse communia dicuntur, non positivè

sitivè, ut Scholastici loqvuntur, sed negativè, quod ex jure primævo res sint nullius, & ex consequenti omnium, qui eas occupant. Sicut ergo distinctio dominiorum, quam induxit Jus Gentium, non est contra Naturam, quanquam videatur esse contra Naturalem rerum omnium communionem: ità nec servitus, quam Jus Gentium necessaria ratione & naturali induxit, contrà Naturam esse censenda est, si strictè loquamur. Nam ea contrà Naturam & injusta esse censentur, si violetur id, quod Natura vetuit vel mandavit. Secus res habet, si quid contra illà, quæ non tàm determinavit, quàm svasit Natura, committatur. Quod si primi homines in integritate perstitissent, nihil contra id, quod consulit Natura, commissum fuisset: Jam verò necessitas imponitur à Naturæ consultis, ut vitetur majus malum, recedere, ac proinde à lapsu hominis Jus Gentium emersit, quod ex duobus malis semper minus eligit. De quo posteà. Nunc pugnam inter Philosophos & JCtos diximus. Illi quosdam esse Naturâ servos asserunt 1. naturali aptitudine & inclinatione tales: quod JCti non negant, imò ne quærunt quidem. Dicunt jure Naturali omnes nasci liberos. Aristoteles de jure Naturali hic non agit: interim captivitatem, quæ conditionem mutat jure Gentium, sæpè pugnare cum facultatibus Naturæ ostendit, ut si Hercules serviat. Servitutem propriè esse contrà Natutam, ajunt JCti: sæpe esse contra Naturam 1. Naturæ institutum & finem Aristoteles. Hic ait servum nasci 1. idoneum ad serviendum: JCtus simpliciter jus, quod Domino competit in servum, à Naturâ esse negat. Et rectè negat. *Nemo enim natus liber est, nemo servus: hæc postea nomina singulis imposuit fortuna.* De Jure ergo Naturæ non positivo sed negativo loqvuntur JCti & Seneca: De ipsa Natura Philosophi. *Seneca.*

§ 7. Præter hos, quos Natura finxit, bardos, alij dantur servi, quos legitimos, vel Lege servos cum Aristotele nominare possumus. Cum enim Jure Gentium in bello, quicquid libuit Victori licet, placuit tamen cultioribus & plurimis gentibus, quos jure poterant occidere, captos servare (& hinc servi nomen) ut sic deliniti Victores libenter à cæde humana abstinerent. Causa, cur omnia in victoria belli lege licuerint, ut hoc obiter addamus ex Grotio, hæc fuit, *quod inter duos populos de jure belli pronunciare velle periculosum* *Servitus ex bello.* *l. 3. c. 4. n. 4.*

culosum fuerit aliũ populũ, qui eâ ratione bello alieno implicarentur, sicut Maßilienses in causa Cæsaris & Pompeij dicebant, neq; sui judicij neq; suarum virium discernere, utra pars justiorem haberet causam: deinde, quod etiam in bello justo vix satis cognosci potest ex signũ externũ, quis justus sit modus se tuendi, sua recuperandi & pœnas exigendi (nam hi sunt justorum bellorum fontes) *ut omninò præstiterit hæc religioni bellantium relinquere, quàm ad aliena arbitria vocare.* Hinc perspicuum est, si fuerit justum bellum, sive à Christianis geratur, sive ab infidelibus, hinc ortam servitutem justam esse: Si injustum, vitium quod in causa & scaturigine est, in effectum quoq; diffundi, & injustam servitutem esse. Sed nunquid bellum ab utraq; parte justum esse potest? Fieri potest, ut intricata res sit, nulliq; hominum causæ justitia pervia: imò, utut alterutri belligerantium parti de justitia suæ causæ constat, fieri potest, ut altera pars errore invincibili laboret, qui agentem statuit in bona fide.

Hæc esse contrà Naturã videtur

§. 8. Aristoteles tres sententias profert de justitia hujus servitutis, aliorum quidem servitutem bello captorum prorsus injustam esse contendentium, aliorum vero prorsus justam esse, demum nonnullorum *statuentium in parte justam esse, quia legitima sit: lex autem omnis justa sit, quia utilitatem eorum, quibus fertur, spectat. Utile autem est, ut serventur capti.* Et concludit hanc tertiam sententiam veram, sed ratione *naturali tum demum servitutem esse justam, cum barbari bello in servitutem abducuntur: cum verò Græci, 1. liberali animo homines, & injustam esse illam servitutem, & verè servos ipsos nec fieri nec esse. Hos ait, etsi serviant, esse nobiles & liberos: illos, etiamsi sint domi nobiles, perpetuo servos esse.* Quid de hac sententia Aristotelis statuendum ex parte §. 5. diximus. Nunc duas servorum classes constituimus. Alij & quoad actiones & quoad actionum principium Domino subjecti sunt, 1. & agere & sic agere jubentur, quod ipsi propter mentis imbecillitatem & stuporem quomodo agere oporteat, videre nequeunt, & hi Naturâ servi. Alij tantum quoad actiones subjiciuntur Domino, non item quoad principium agendi h. e. mentem, quam habent ipso forte Domino acutiorem & liberalem. Hos postremos si tales fieri bello contingat v. g. Cœsarem, Pompeium, diffitendum

fitendum quidem non est, servitutem illam hactenus naturæ vim inferre: quæ non ad servitia, sed imperia Viros, quos nominavimus, genuit; ex alio tamen capite servitutem talem non injustam esse & dictum est §. 6. & nunc amplius dicetur.

§. 9. Quid enim? num servitus, quia naturæ videtur adversari, injusta statim dicenda est? Nequaquam, si, quod supra diximus, bellum sit justum. Neq; erroris vel injustitiæ coargui Gentes debent, quæ servitutem hanc ipsis Naturæ regulis superstruxerunt, hancq; legem servitutis super moribus malitiaq; hominum fundârunt. Lex Justitiæ flagitat & Reip. salus, ne scelera maneant impunita. Quid autem sceleratius illis publicis latronibus, qui lucri magnitudine justitiam belli metientes venalem animam turpissimo adignnt sacramento? qui sine idonea causa (vix colorem habent aut prætextum) ferro & flammis omnia vastant? Quod si magistratui licet gladium stringere in latronem unum, *quidni licet in plures, qui, ut rei fiant, acie vincendi sunt?* quæ sunt verba Hugonis Grotij. Qui alibi cum enarrasset Baptistæ ad milites orationem, *Quod si* inquit, *ad eum* (Johannem) *veniissent, quales nunc sunt plerique militum, non uni imperio addicti, sed per orbem terrarum bella aucupantes,*

Venalesq; manus, ibi fas, ubi plurima merces;

qui majore ex diverso mercede jus fasq; exsuunt, neq; vident cur, sed, quanti alios jugulent, aut ipsi jugulentur, profectò non aliud ille dixisset, quàm, si salvi esse vellent, relinquendum vitæ genus non jam dicam ab omni pietate sed ab omni humanitate abhorrens & verè belluinum. Quidni tales belluæ è medio tollendæ, aut, si humanitas potiùs svadet publicè & gregatim servare, quàm multos & indiscretos occidere, fustibus & servitiis perdomandæ, *& in hominem*, ut ait Seneca, *cogendæ*? Nec est, quod quis dicat, servitutem morte pejorem esse. Quæ propositio si intensivè, ut in Scholis loquimur, capiatur, falsa est. Morte nihil pejus, nihil terribilius est, absolutè loquendo, quanquam Arminio, & similibus heroibus *stat aut libertatem tenere, aut mori ante servitium.* Quin nec extensivè semper morte pejor servitus est, ut quæ multis medicina, non pœna fuit, & ad meliorem frugem reversis aditus ad summos honores.

Nec tamen est

Annot. ad Matt 5,40 Luc. 3.

Tac. 2. Ann.

§. 10. Ex

Servit⁹ ex nativitate

§. 10. Ex eâdem causa justa quoq; censeri debet servitus ex nativitate. Dura fateor: sed cultissimarum gentium consvetudine recepta, quæ vitam & libertatem eorum, qui injustè aliis utramq; ereptum veniunt, Victoris arbitrio subjecerunt, ad sobolem quoq; extendenda, ut acerbitas ulciscendi benè atq; cautè vivendi disciplina esset. Nec in eo errârunt, ut nonnullis persvasum est. Naturali ratione hoc Gentium placitum suffultum est. Quod ajunt Philosophi, nullum effectum esse nobiliorem causa, id huc quoq; pertinet. Quid enim naturæ magis convenit, quàm ut partus sequatur parentes, pars totum? Accedit, quod in filiis Parentum hostilis animus præsumitur: adeoq; ut Parentes servitute adstringi Reip. intereſt, quò damnum, quod machinabantur, in utilitatem Reip. convertatur, ita filios præveniri æqvum est justâ servitute, ne liberi res novas moliantur, & in ultionem, animum intendant. Quæ Reip. utilitas & salus hujus etiam servitutis fundamentum est & urgentissima causa.

Servit⁹ ex Emtione. Ep. 47.

§. 11. Sed & ex emtione quæ nascitur, Servitus justa habenda est, nō minus, quàm quæ modò exprimebantur. Nulla servitus turpior est, quàm voluntaria, inquit Seneca nobilissima de servis Epistola. Sed de servitute alius generis loquitur. Potest enim unusquisq; renunciare libertati suæ. & seipsum Domino subdere vel ex inopia mentis, vel ex aliâ causa. Nam sive temeritate impellitur, justam pœnam luit, quod libertatem suam tam vili pendit, & Remp. defraudat; Sive necessitate, puta ut è paupertate & fame se eximat, simul ac argentum pactus est, libertatem vendit, teneturq; sponsione se suo Gentium Jure exsolvere. *Necessitas*, inquit Seneca Rhetor, *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium omnem legem frangit.* Hoc tueri se Pater potest, si vel se vendat, vel liberos, cum satius sit in alienum dominium transire, quam fame perire. De servitutibus, quas recensent alij Politici, tenendum est, plerasq; omnes ceu pœnas infligi: quas jure merito, qui suppetias ferunt & arma subministrant hostibus, liberti, si adversus Patronos se efferant, & similibus culpis affines adeunt, semper præeunte, quam diximus, Ratione.

Servit⁹ ex debito.

§ 12. Reliqua est servitutis species, quæ ex ære nascitur alieno. Cujus justitiam in clarâ luce posituri, distinguimus debitores, qui nullo

nullo suo vitio, putà incendio, naufragio vel alio tristiore casu ad incitas redacti sunt, ab iis, qui luxu & incuria rem suam amiserunt. Illis compassio, nonnunquam genus beneficij, quod ἐρανισμὸν Græci vocant, quos nim. spes est, ex adversâ fortuna in meliorem emersuros: his pœna debetur, idq; conspirante cultissimarum gentium consvetudine. De Ebræis Josephus: βόσκημα ὁ κλέψας τετραπλὴν τὴν ζημίαν ἀποτιννύτω πλὴν βοὸς. πενταπλὴν δὲ ὑπὲρ τούτου καταβαλέτω. ὁ δὲ τὸ ἐπιτίμιον ἄπορος διαλύσασθαι, δοῦλος ἔσω τοῖς καταδεδικασμένοις. Idem Græcis, idem Romanis jus fuit, debitores, qui solvendo non essenr, addicere servitiis suis, aut compedibus primum quidem domesticis deinde publicis innectore. Nec aliter ferè Galli, de quibus Cæsar; *Pleriq; Gallorum, cum aut ære alieno aut magnitudine tributorum aut injuria potentiorum premuntnr, se in servitutem dicant Nobilibus. In hos eadem omnino sunt jura, quæ dominis in servos.* Nec iniqvum censeri debet, si decoctores fiant servi. Etenim non tam agitur de pecunia, quàm de fraude, quàm de luxu & vitiis puniendis. Quo ergo jure fur ad patibulum aut operas publicas, eodem damnari rectè potest, imò propter exemplum debet, ad carcerem vel servitia. Atq; ille quidem hodiernis moribus prævaluit, ex quo priscæ servitutis speciem Christiani sustulerunt, ut non solum autoritate judicis in custodiam publicam debitor compingatur, sed & privatâ authoritate creditori liceat injicere debitori manum.

Vid. c. Reg. 4. 1.

Vid. Plutar. in Solone. l. 6.

§. 13. Modò dicebamus, priscæ servitutis speciem Religionis favore inter Christianos deletam atq; obsolefactam, nisi quod ejus rudera quædam cernuntur in plerâq; Europa, quæ novum genus servorum habet, veteribus nec simile prorsus nec dissimile. Omnes id commune ferè habent, quod ità sunt annexi ditioni domini ut ipso invito se emancipare aut aliò conferre non possint. Eâ ergo parte servis sunt similes. Sed quia bona propria possident, quæ ad hæredes transmittunt, in rem suam non tantum negociantur, sed cum dominis quoq; contrahere possunt, per omnia servi non sunt. Nec liberti sunt, quia domino subjecti sunt quoad operas, matrimonium & alia: ipsi quoq; liberi colonorum No

Homines proprij an servi?

bilium nostrorum liberis eodem servitutis vinculo perpetuo manent obstrincti. Multò minus ingenui sunt. Igitur esse novum hominum genus videntur veteribus incognitum, inter libertos & servos medium.

Servitus an pugnet cum æquitate.

§. 14. Ex iis, quæ dicta sunt, apparet servitutem cum publicâ utilitate non pugnare. Verum multis iniqvum videtur, & ejusdem naturæ consortio repugnans, quod homo in hominem dominatum exercet idq; tantò fortius stringit, si nexum mysticum consideremus, quo sub uno capite Christo UnoSpiritu colligamur. Profectò, si durius tractentur servi, nec ut homines habeantur sed ut pecudes, quin naturali æquitati adversetur, & conscientiæ vulnus infligat, ne quidem ambigendum est. Verum ex hoc capite servitutes delere, quas naturalis ratio & Gentium jus induxit, esset propter abusum rem bonam tollere & Reip. salutarem. Sed quomodo servi sint habendi, paulò post dicemus: Nunc, quâ cautela

a. Pol. c. 9. servi Reip. sint salutares videamus. Aristoteles reprehendit Lycurgum quod multa mancipia ejusdem nominis, & nationis, è Rep. Spartanorum non sustulerit, unde duplex incommodum ad ipsos redundavit. Tempore belli Helotæ (ità servi dicebantur)

Nepos in Pausan. tanquam in insidiis collocati exspectant gravem aliquem dominorum suorum casum, quo eveniente ipsi deficiant, & vel hostes ipsi solicitant, vel ab eis solicitantur. tempore pacis vel leniter tractantur & insolescunt; vel duriter & dominis quacunq; occasio-

6. de LL. ne insidiantur. Plato vetat servos esse patriotas s. ejusdem nationis, & συμφώνους s. ejusdem linguæ. Quod consilium secutus videtur Carolns V. Cæsar, qui, cum Pervanorum regiones latissimè patentes subegisset, suo unius dominatu omnia teneri voluit, exceptis servis, quos cum innumerabiles essent, manumitti jussit. Væ nobis, inquit Seneca, si servi se incipiant numerare. Quare, ubi servorum multitudo grave datura malum videtur, vel armis est interdicendum servis, vel armandi, si prius, qui sunt animosiores, manumittantur, quod ad victoriam magnum momentum affert, vel deniq; si aliter salva esse Respubl. nequit, exemplo Lacedæmoniorum è medio tollendi.

Quid sit servus?

§. 15. Ut servi essentia sub unum velut jctum oculi ponatur distinguimus inter mercenarios & servos. Mercenarij secundum quid

quid subjiciuntur Domino, nec toti sunt Domini, sed & sui quales nostri servi, & ancillæ. Servi verò naturâ & jure Gentium prisco instituto in universum Domino subjiciebantur, quippe toti ipsius Domini, cujus possessioni & familiæ adscribuntur, ut partes, quæ in Toto secundum universam suam substantiam claudantur. Unde fit, ut licet Dominus & servus ad se invicem referantur, inæqualiter tamen servus se ad Dominum habeat. Dominus quidem servi Dominus est, cætera suus: Servus autem vitam & quicquid suum est, Domino debet, eò quod κτῆμα sit & pars familiæ, ut cætera instrumenta sive animata sive inanimata rei familiaris. Atq; ex his, inquit Aristoteles, quæ sit servi natura, quæq; vis ac potestas, perspicuum est. Cum ergo servus μάλιστα κυρίως talis nihil suum habeat civiliter loquendo, sequitur servum sibi mortuum domino vivere, nec jurium civitatis nec officiorum publicorum partem capere, nec quicquam cum cive commune habere nec testari, contrahere, usucapere (hæc omnia æquè ac ipsa servitus juris gentium sunt) posse. Dices: Aristoteles servos facit duûm generum, privatos & publicos: & alibi curationibus administris servos præfici vult, qnales sunt, explicante Piccarto, qui contractus, judicia magistratuum, causarum actalitium intentiones & alia hujusmodi describebant descripta conservabant qui veteribus dicebantur Sacrimemores, Memores, hodiè scribæ, tabelliones, Secretarij, Notarij publici &c. Sed nonne publica hæc sunt Officia? Respondemus ex P. Frabro. *Servi publici latè sumto vocabulo nominantur: qui licet servitute liberali manuq; missi fuerint, ministerium tamen publicum aut magistratibus aut sacerdotibus exhibent: qui ex libertinorum corpore plerumq; sumebantur.*

1. Pol. c. 3
ἡ πόλις κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστὶ.
3. Pol. 4.
7. Pol. c. 10.
4. Pol. c. 18
l. 2. Semest

§. 16. Tantum de servo: nam de ejus differentiis, operis, præmiis, pœnis agere ad privatum regimen, quod Oeconomica suis coloribus depingit, spectat: nunc de Domino paucis ut dicamus, restat. Quicquid habet servus, in manu domini esse, diximus. Num vita quoq;? dices: servus non habet vitam, sed domino suo vivit. Rectè: sed de civili vitâ loqueris, quam non vivit nisi Civis & liber. Quando quæritur, an vita servi sit in arbitrio domini, alia res est, & intelligitur vita, quam dedit Natura. Equidem quamvis apud plurimas gentes more fuerit receptum, ut in servos vitæ ha-

Quid dominus?

berent necisq; potestatem; quod dominium videatur in hoc consistere, ut quisq; re sua pro arbitrio utatur; tamen sensim naturalis æquitas durissimam potestatem refrœnavit. Quis enim ferat hominem pro libitu manus, aures, pedes sibi amputantem? Atqui hoc ipsum, ut dictum supra est, servi sunt. Optimè Seneca: *In mancipio cogitandum est non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura.* Dominium quidem in servum Hero competit, sed honestate & publica utilitate (vid. §. 14.) circumscriptum. Nec ad inhonesta adigi servi vel possunt vel debent: nec cuiquam domino fas est re sua in præjudicium publicæ utilitatis abuti. *Sævitia enim olim proverbio locum fecit: Suum cuique servum hostem esse. Non enim habemus illos hostes, sed facimus.* Atq; hinc apud omnes ferè gentes servis, quod judiciorum capaces non erant, asyla sunt constituta innocentiæ præsidia, sive templa sive Principum statuæ. Quomodo servi regendi sint, nihil addimus (aliò enim hæc res pertinet) nisi illud Senecæ: *Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere.*

Epist. laudatiss. 47.

Cur ex Aristotele hactenus servus fuerit descriptus?

§. 17. Dices tandem: servi, quales hactenus ex Aristotele, descripsimus, hodiè vel pauci vel nulli dantur, quorsum tam curiosa naturæ servilis, quæ nusquam comparet venatio? Resp. Philosophis, & inprimis, Aristoteli id in more positum esse, in ijs rebus, quæ se habent ἐφεξῆς. consequenter, in quibus aliquid primò & propriè uni, cæteris secundario & impropriè est, ut definiat id, quod in eo genere primum est & præstantissimum. Ità demonstrationem definiturus investigat ea, quæ ad nobilissimam demonstrationis speciem τὸ ὅτι pertinent: Ita Civem definit, qui maximè propriè & primè talis. Adde quod non obscura sint etiam inter Christianos veteris illius servitutis vestigia. Neq; enim olim tantum, sed & nunc quibusdam in locis servi toti domini sunt, & pars κτήματος adeoq; verè instrumenta activa, animata, sine quibus inanimata se regere nequeunt. Ergo necesse est, ut regantur ab anima v. g. dolabra, pecten, aratrum ab animatis, putà equis, bobus & potissimum servo, qui non secus ac in navi gubernator clavum tenet, & Instrumentorum universam supellectilem moderatur. de quibus copiosius dicere ad Oeconomicam spectat, ut de τῇ κτητικῇ καὶ χρηματιστικῇ

πρηκὴ 1. modo rei parandæ & pecuniæ. Ad quam rem tractationem suam Aristoteles deflectit, eò quod servus quoq; in numero sit τῶν κτητῶν, Atq; adeò nos quoq;, quia libentes Aristotelicis ubi datur, vestigiis insistimus, de ratione parandæ rei, cum integram messem Oeconomica repræsentet, spicilegia quædam ac decerptos ex Aristotele floseulos hic exhibebimus. 1. Pol. c. 2. seqq.

1. *Artis rei parandæ duæ sunt principes & summæ species, naturalis & artificiosa.* 1. Pol. c. 8.

2. *Ad naturalem sive alimentariam spectant Vita rustica, pecuaria, piscatoria, aucupalis, venatoria & bellica.*

3. *Nam ratio quærendi, quæ propriè primo pertinet ad ea, quæ hominum causa à Natura sunt procreata, ea propriè & primò naturalis est. At omnis ista vita pertinet ad alimenta hominum causa procreata, 1. plantas, fructus & animalia eaq; tam mansueta quàm fera.* E.

4. *Quippe ad vivendum homini in summa quinq; sunt necessaria 1. Cibus. 2. vestitus, 3 Habitatio 4 Instrumenta varia, 5. Operæ juvantes nos in adhibendis instrumentis, quæ omnia bestiæ suppeditant.*

5. *Hæc tutissima atq; innocentissima rei parandæ ratio est,*

6. *Proximè ad hunc accedit illa artificiosæ species prima atq; antiquissima, permutatio, naturæ consentanea, quia homines aliarum rerum majorem, aliarum minorem copiam, quàm satis essent, habebant.* Cap. 9.

7. *Est enim omnium rerum, quæ possidentur, duplex usus, per se quidem uterq;, sed alter proprius rei (sic calcei usus est munire pedem) alter non proprius, si calceum commutes cum pane.*

8. *Ex commutatione nova rei parandæ artificiosa ratio nata est, Cum enim commercia maximè visa necessaria, etiam crebriora essent res verò circumferri commodè utriq; semper nequirent, consensu & pacto communi est institutus numus.*

9. *Hujus duæ erant conditiones, ut materia ejus esset ex numero rerum utilium, & ut ipse esset εὐμεταχείριστος s. tractabilis, qui commodè circumferri, duci, figurari & versari posset.*

10. *Ex hac secundâ tertia quædam orta est, quam καπηλικὴν Arist. vocat, Scherbius mercaturam cauponariam vertit, simplex initio, mox artificiosior facta & fraudis plena, sita in scientia locorum, unde hæc vel alia genera numerorum aut mercium asportanda! temporis quo*

minimè veneat res quæq; aut maximè: personarum, quibus retia sint & fallaciæ intendendæ: aliarumq; permutandi formarum.

11. Hæc numos finem sibi proponit: in quorum multitudine veræ divitiæ non consistunt, quia, hominum instituto valent, non valent: tum quia fame perire possessor potest.

12. Quanquam ratio ipsa jubeat terminum aliquem numorum appetitui statuendum esse, tamen infinite videmus numos ab hominibus concupisci: cum sit infinita cupiditas vivendi, fit ut etiam efficientia vitæ voluptuariæ infinita concupiscant.

Cap. 10.

13. Maximè tertia ratio rei parandæ, nempè fœneratoria vituperio digna est, quæ numo non utitur sed colligit & coarcervat, h.e. habutitat. 2. quia cogit numum generare, qui naturâ sterilis est: quod ipsum à natura abhorret:

An fœnus omne damnandum?

(sed pace Aristotelis in hoc postremo seorsim sentimus: Nam ipsa quoq; natura dictat, non teneri quenquam prodesse alteri cum detrimento suo. At is, qui pecunia ad tempus in gratiam alterius caret, eam in agros aut domos impendere poterat, ac medij temporis percipere fructus. Præterea pecunia sterilis dicitur natura, quod hominum industria potius, quàm natura usuris originem dedit: quomodo & domus natura sterilis est, cujus tamen pensiones iniquè à domino percipi nec ipse Aristoteles dixerit. Modò caveatur, ne usurarum nomine plus æquo exigatur, neu exerceatur fœnus in egentes aut quos credibile est fœnore in egestatem prolapsos, concludimus naturæ fœnus non adversari, nec sacro codici, nec moribus Christianorum.

Cap. 11.

14. Copia præceptorum rei quærendæ ad usum pertinentia peti debent tum ex scriptoribus de re Rustica, tum ex historiis, in quibus sparsim strategemata Oeconomica reperiuntur.

Quid Familia sit? *Arist. 1. Pol. c. 3.*

§. 18. Hactenus de Tribus societatibus egimus, ex quarum complexu existit domus s. Familia. *Primæ enim & minimæ domus partes sunt dominus & servus, Vir & uxor, Pater & Liberi.* Et quanquam familia modò ampliter totam agnatorum seriem notet, modò cogatur in arctum, ut solos servos significet; (unde dicti familiares & domestici, οἰκέται ab οἶκος, quod frequenter familia est) usurpatione tamen Philosophorum in tantum extenta est ut societatum illarum, quibus ad domus constitutionem & mutuas

operas

operas opus est, concursu definiatur. Hanc definit Aristot. *Societatem ad quotidianum vitæ usum à naturâ introductam.* Quam definitionem oportunè explicabimus, & rectius intelligemus, cum Civitatis proximam materiam examinaturi sumus: quod fiet disp. seqvuturâ §. 1. Opus autem est ei, qui familiam instituturus, ex dictamine naturæ propagationem subolis, atq; sui simul & ejus quod generatur sustentationem intendit, duabus ad minimum personis adminiculantibus, Uxore, quæ liberos pariat, & servo, qui eis prospiciat de victu. Unde ad integritatem familiæ essentialem duæ concurrunt societates, & tres ad minimum personæ, Pater familias, Mater & servus: Ille unus numero quod lex imperandi flagitat; ista itidem una, si tueri concordiam & ordinem velis; hic quanquam numero unus ad familiam sufficiat, cum re tamen familiari nihil prohibet servorum numerum amplificari. Liberi vero strictè loquendo partes familiæ non sunt, sed finis. Sicut autem arborem imperfectam dicimus, quæ fructus nullos profert: Ita familia imperfecta dici debet, quæ liberorum hoc fructu caret, tum quod nulla sint amoris coujugalis pignora tum quod in vanum desudat Paterfamilias, & frustra fatigat instrumenta domus, destitutus hæredibus ejus, quam parat, possessionis. Quare, quemadmodum summum bonum ad integritatem suam requirit bona externa, necessaria ut totus homo beatus reddatur, & animæ quoq; hospes benè habeat & virtutum actiones inoffenso pede currant: Ita quoq; liberi ad familiæ integritatem, eamq; non essentialem sed accidentalem, cujus partes sunt requiruntur. 1. Pol. 3.

§. 19. Tantum dè societatibus perfectis, & quæ ex eis componitur familiâ: nunc verbo attingendas ducimus illas societates, quæ ab his abeunt sive excedendo sive deficiendo. Excessui vicina videtur domus, quæ hospitum & peregrinorum multitudine redundat, & propè à confusione & ἀναρχίᾳ abesse. Defectu laborant familiæ, in quibus vir dote imperium vendidit: quibus præsunt vidui vel viduæ: & maximè, quas orphani administrant. Præterea luculentus defectus cernitur, cum domui præsunt cœlibes, aut cum coujugati quidem, sed famulis aut famulabus ob rei familiaris angustiam destituti. Societates imperfectæ.

§. 20. Antequam accedat Aristot. ad ea, quæ Civitatis & Reipub. de Com

munione Platonica.

publ. essentiam seu formalem rationem repræsentant, censuram exercet Rerumpubl. tum institutarum, tum à viris sapientibus descriptarum, idq; agit toto libro Politicorum secundo. Fundamentum censuræ ponit τὴν κοινωνίαν sive communionem Civitatis, de quà triplicem ait esse posse quæstionem: *Nihilne in Republ. esse debeat commune, an omnia, an solum aliqua.* Primum absurdum est, nec adsertorem habuit: ultimum tuetur consuetudo plurimarum Rerumpubl. verumq; esse Aristoteles docebit: Media fuit Platonis sententia, qui decem libris de Republ. optimam absolutè adeoq; καθ' εὐχὴν Rempubl. delineavit, cujus idea nullibi nisi in cælo exstat, ipso Platone fatente, qui hac ipsa de causa libris duodecim de Legibus minus absolutam & possibilem κατὰ τὸ δυνατὸν complexus est. Utrius q; censuram aggreditur Arist. & pro primâ adstruenda ex mente Platonis argumentum tale sibi refutandum sumit. *Summum Civitatis bonum est, ut maximè sit una. At si omnia habeantur communia, uxor, liberi, facultates, tollatur, meum & tuum, Civitas maximè fiat una sive concors. Ergo in communione summum civitatis bonum collocandum est.* Et Majorem quidem primo oppugnat. Tantum abest, inquit, ut unio maxima bonum sit civitatis, ut interitus potius sit civitatis, quippe cujus essentia in multitudine consistit, & hominum varietate atq; differentia, quæ maximam unionem evertit. Alia quippe ratio est bellicæ societatis, quæ ex similibus constat, alia civitatis, quæ ejusdem ordinis hominibus non magis, quam homo ejusdem speciei partibus constare potest. Atq; ut harmonia ex diversis vocibus, medicamentum ex diversis simplicibus confit, ità quoq; civitas. Demum fundamentum civitatis ponatur esse exæquatio. Ad hæc inæqualium est. Apparet ergo summam unitatem & æqualitatem civitatis, perniciem esse. Quod amplius probat Arist. à fine civitatis, quæ est sufficientia, quam summa unitas validè moratur, dum vetat diversis studiis, officiis, atq; mutuis operis instrui civitatem. Tantũ de Majore. Deinde Minorem exagitat, atq; communione rerum omnium Rempublicam negligi, imò everti, tolli institutionem liberorum, infinita incommoda sequi docet. Tandem conclusionem examinat atq; labefacit, productis in medium malis quæ ei inhærent, & hoc agit cap. 2. & 3. de quibus ipse Aristoteles adeundus est, maximè cap 5, ubi de communione bonorum & universim de decreto Platonico agit, cum hinc spatii angustiâ excludantur.

Cap. I.

ub finem .5. de Rep.

Cap. II.

DEO DUCE!

DC Civitate exhibe.

§. 1.

Ratio ordinis 1. Pol. 2.

ELementa civitatis prima ac minima singulatim hactenus percensuimus: nunc, quo pacto ex iis, interveniente temporis tractu, fiat civitas, quid Ea sit, quid Cives, accuratius persequi oportet. Aristoteles *hominem naturâ Politicum esse & socialem magis quam ullum animal gregale* (quales sunt grus, formica, apis) *& consequenter civitatem naturâ constare, probat tum Rationis, quæ utile, damnosum, jucundum, molestum, justum, injustum percipit, appetere declinare docet, tum sermonis usu, cujus commercium hominibus Natura non frustrà dedit, cum cæteris animalibus negaret.* Hinc quæstionem proponit, priorne sit homine Civitas, an Homo civitate? & Respondet, *civitatem ut totum, naturâ priorem esse hominibus singulis, ut partibus: nam prius natura est, quo pereunte, alia pereunt, pereuntibus aliis, ipsum non perit. Pereuntibus enim singulis hominibus, non statim perit Civitas.* Dicamus civitatem dignitate & perfectione priorem esse: origine autem priores esse singulos homines: inde familia sive domus est, quæ *ex quibusdam primis, necessariis & naturalibus hominum conjunctionibus* (nuptiali, Patriâ, dominica) *constat, estq; societas ad quotidianum vitæ usum à naturâ introducta*: Hinc vicus & demum civitas (prima perfectione, tempore ultima) à quibus non quotidiè, ut in domo fit, sed solùm cum ad beatiorem vitam aliqua re indigemus, eam petimus.

Quid Civitas 1. Pol. 2.

§. 2. Civitatem definit Aristoteles, quod sit *societas ex pluribus vicis constata, oriens vivendi causâ, constans benè vivendi gratiâ.* Genus est societas, quæ ambitu suo nuptialem, dominicam, Patriam, & vicum complectitur. Cætera verba civitatem ab enumeratis societatibus & inprimis vico distinguit, quem definit Arist. *societatem ex multis domibus primam & naturalem, non in usum quotidianum.* Cum enim ἀποικίζονται liberi, 1. è domo paterna

Quid Vicus?

exeunt,

exeunt, κώμην Vicum ſ. Vicinitatem primò pariunt, quæ eſt quædam veluti domus colonia: quippe aucto liberorum numero novis familiæ columnis, fit, ut domo una capi omnes nequeant, ſed ad inſtar apum nova ſuboles ex alvearibus emiſſa novas ſedes quærere cogantur. Qui ſi eandem ruris partem paſtus gratia inſident & fluentem accolunt, propriè dictum Pagum efficiunt. Nec tantum vicus vel pagus exiſtit, cum qui ejusdem ſanguinis ſunt ὁμογάλακτες collactanei φρατρίαν efficiunt, (& hanc vocem inde deducunt, quod communi puteo utuntur, qui Græcis, φρέαρ dicitur: nec male φράτωρ, qui ex eodem φρέατι τῆς γενέσεως) verum etiam, cum aliunde, quos nulla ſanguinis communio copulat, conveniunt eo numero, ut vicum conſtituere poſſint. Qui duo modi diſtinctè tanguntur ab Ariſtote, cum civitatem dicit *tum domibus ſ. familiis tùm generibus ſ. gentibus vitæ perfectæ & omnibus bonis cumulatæ & expletæ, ſuiſq; rebus per ſe contentæ gratiâ comparatam eſſe*.

3. Pol. 9.

Quid ſit Vivendi causâ.

§. 3. Alterum, quod civitatem à vico diſcernit, geminus finis eſt, Vivere ſimpliciter & Viverè benè. Vivere ſimpliciter non poſſumus, niſi nos & noſtra tueamur, & paremus, quæ ad cultum & victum pertinent. Quare cum initio homines ferè σποράδες ſeu diſperſi viverent, quales Arcades, Athenienſes, veteres Nomades, nec durabilis eſſet hæc vivendi ratio, cum propter externam injuriam, quam diſperſi propulſare nequeunt, tum propter neceſſaria ad vitam, quæ mutuas operas depoſcunt, per agros diſperſi in Vicos ex vicis in civitatem collectos legimus, ſivè à Politicis, ſive ab Oratoribus, ſive à Poetis. *Pauci ſunt, qui ſe ipſis ad benè vivendum contenti ſint:* τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος ἓν αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεὴς. Indigemus, ut dictum eſt, alij aliis, tum ad tutelam & cuſtodiam noſtri atq; συμμαχίαν, tum ad victum, habitationem, veſtitum & alia hujusmodi, quibus carere vel prorſus non vel ægrè poſſumus. Quo ſpectat agricolarum, ædificatorum, textorum, coriariorum & omnis generis opificum induſtria, mercatorum quoq;, ut importentur, quæ deſunt, & exportentur, quibus abundamus permutenturq; hæc cum illis, ἕκαστον τούτων δεῖ τὸ αὐτῷ ἔργον ἄλλοις κοινὸν καταστῆναι, ut Plato concludit, diducitq; per

Plato 2. de Rep.

partes,

partes, & *singulis singula tribuit* PRO CUJUSQUE INGENIO, *ut quùq; id unum, ad quod Natura ducit, aggrediatur, otiumq; à cæterù agens & temporis opportunitate servata, optimè illud efficiat. Nam melius & facilius singuli singula secundum naturam occasione servata ab aliis cessantes efficiunt.* Hinc id quoq; liquet è causis, quibus impulsi homines ad colendam societatem civilem sunt, indigentiam esse, quamvis nec sola nec prima sit: quin palmam ei præripit naturalis irritatio, de quâ passim Aristoteles, & Seneca, *ut aliorum*, inquit, *rerum innata nobis dulcedo est, sic amicitiæ. Quomodo solitudo in odio est, sic in dulcedine appetitio societatis.* Simul falsum esse apparet, Politiam ex accidenti esse & ex eventu propter naturam malam, ut putabat Mirandulanus. *Epist. IX.*

§. 4. Quanquam verò sine communione loci, tuitione ab injuriis vel simul habitantium vel externis, commerciis, jure connubiorum, item sine libertate opibus atq; adeo universâ indigentiæ sublevatione civitas consistere nequit; hi tamen fines nec junctim nec seorsim sumti finis civitatis ultimus sunt, sed his omnibus ἐπιγινόμενος seu accedens nobilissimus & in genere actionum humanarum ultimus finis qui est εὐδαιμονία, εὐζωία seu Benè Vivere, seu Vivere vitam omnibus bonis cumulatam. Sunt autem ex confessione doctorum simul & indoctorum tria genera bonorum (Stoicos si excipias) ex quorum complexu beatitudo suis numeris absolvitur. Et corporis quidem ac fortunæ bonis usq; eo instructam esse oportet, ut probas actiones sine impedimento obire possint. Nam infinitæ opes, tantum abest, ut commodent civitati, ut noceant potius, si virtus absit: aliàs verissimum illud Plutarchi: *tum demum res maximas geri, cum virtus & sapientia cum opibus fuerit & viribus conjuncta.* Modus alibi bonis præfinitur ab Aristotele *ne tantæ sint opes alicujus civitatis, ut externi cupiditate illarum parandarum adcensi bellum ei inferant: ne item tam exiguæ, ut nulli hosti pares esse possint, etiam alicui τῶν ἴσων καὶ ὁμοίων, ut dicam potenti.* Mensuram ergo capere bona fortunæ & corporis ab animo debent & Virtute, quod unicum fundamentum civitatis propriè sic dictæ est, & velut ratio formalis est, quæ facit, ut civitas una sit. Unde Aristoteles disertè, *civitatem eam, quæ revera nominetur civitas, & non ita dicatur, verbo tenus, virtutis*

Quid sit benè Vivendi causâ.

Plat. de LL. 5. Arist. 7. Pol. 1.

in Dion.

l. 2. Pol. c. 7

Vid. Similitud. Plat 4. de Rep.

Pol. l. 3. c. 9

curam

curam habere debere affirmat. Alibi quoq; Stoicorum argumento respondet, *ad perfectam Civitatis felicitatem quædam à fortunâ manare, quædam à Legumlatore proficisci.* (Fortunæ enim bona virtutis adminicula fortuna tanquam domina tribuit vel negat: Virtutem non fortuna sed scientia, consilium aut prudentia) *bona fortunæ esse simpliciter bona, sed illis, qui peritiam habeant utendi, h. e. virtute præditis, sicut testudo simpliciter bona est scienti. Ut vero in cythara suavitatis soni, quem reddit, causa principalis efficiens non est ipsa cythara, sed peritia artificis: ita bona externa non sunt felicitatis causa efficiens, sed felicitatem efficit peritia rectè iis utentium.* Sed de beatitudine seu Virtute non attinet hic multa accumulare. In Generali Politices parte seu Ethica id ab Aristotele factum est. Nam cum finis sit principium rerum gerendarum (αἱ μὲν ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτὰ) in Ethicis hunc finem civitatis copiosè explicatum præmisit. Neq; enim (ait alibi) cum felicitatem inquirentes dicimus eam esse debere sufficientem, restringimus sufficientiam ad unum aliquem hominem: quod repetit Clarius 7. Pol. c. 1. Idq; notandum est contra eos, qui existimant pro triplici hominis ratione tres oriri in Practicis disciplinas, quarum prima hominem in solitudine, altera hominem in familia, ultima hominem in civitate. Nam bellicam fortitudinem, Homileticas, Liberalitatem, ipsam quoq; virtutum coronida Justitiam in solitudine exercere velle absurdum est.

l. 7. Pol c. 13.

l. 1. Mag. Mor. c. 1.

Huc pertinet virtus.

§. 5. Fingit Plato Promethea surripuisse Vulcani Minervæq; artificiosam pariter cum igne sapientiam, & generi humano intulisse, atq; ità sapientiam, quæ victum suppeditat, hominem consecutum esse: porrò aliam igneam Vulcani artem, aliamq; Minervæ ablatam homini tradidisse, quâ vivendi facultas obvenit. *Quoniam verò,* inquit Plato, *homo divinæ sortis particeps effectus est, principio solus ob hanc cognationem Deos esse putavit, arasq; illis statuasq; dicavit. Deinde vocem & verba articulatim arte distinxit, ædes construxit, vestes calceosq; confecit, stragulas elaboravit, ex terra alimenta collegit. Ita homines ab initio constituti sparsim vagabantur. Ergò à feris cum imbecilliores essent, passim laniabantur. Ut igitur se adversus eam pestem munirent, structis urbibus*

in Protag.

bus congregati sunt. Congregati autem invicem injuriabantur, quippe, qui civili arte carerent, quare dispersi iterum à feris lacerabantur. Verum Jupiter humanæ saluti consulens Mercurium misit, pudorem & justitiam hominum cœtibus illaturum, ut hæc duo civitates ornarent devincirentq;, & mutua benevolentia cives conciliarent. Legem, inquit Jupiter, condas meo nomine, quâ quisquis omnino vel Justitiæ vel pudoris est expers, tanquam civitatis pestis ultimo supplicio afficiatur. Consentit Arist. dum *hominem sive lege jure & civitate improbissimum animal esse & maximè ferum: ipsa autem collectione primos civitatum institutores causam ipsis fuisse virtutum & actionum ab iis manantium docet.* *l. 1. Pol. c.*

§. 6. Quamobrem sine virtute nulla civitas consistere aut durare potest. An censes, inquit Plato, civitatem aliquam, vel exercitum, seu latrones, seu fures, vel alium quemvis cœtum hominum injustè aliquid aggredientium perficere posse quicquam, si injuria invicem se affecerint? Porro virtutes aliæ sunt dianoëticæ, aliæ Ethicæ. Hæ vel togatæ vel militares. Hic intelligitur potissimum Ethica seu moralis virtus, utriusq; generis, cujus apex est una ex dianoëticis, nempe Prudentia. Neq; tamen hæ prorsus excluduntur, quippe sine quarum nonnullis nec vivitur nec bene vivitur. Non vivitur sine artibus, quæ & ipsæ sine scientia contemplativa sibi non satis constant. Præstantissima artium Medicina est, quæ sine scientia rerum naturalium & Mathematicarum nonnullarum dignitatem suam tueri, aut explere nominis mensuram sui nequit. Ipsæ quoq; illiberales artes sine scientia particulæ à Natura quasi abscissæ sibi satisfacere nequeunt. Quin sapientia quoq; ad benè vivendum requiritur: atq; ut prudentia ad res civiles scientia ad naturæ inspectionem fertilitatem quoq; & ubertatem, ita Sapientia ad religionem & res divinas spectat. Etenim rectè Plato Magistratum, ut felix sit Resp. verâ philosophiâ institui jubet, quæ non superficiaria sit, & externum quendam ornatum & vitæ & orationis consectetur: sed à rebus genitis hisce & caducis animum convertat ad id, quod verè est, solidam nimirum germanamq; DEI cognitionem. Quæ causa Aristotelem movit, ut formaturus optimam Rempubl. cives trium generum constitueret, Senatores ac Judices Milites, Sacerdotes, atq; illis, ut potissimum togatam seu civi-

Tam intellectus quam Voluntatis. *1. de Rep.* sive de Justo, quia Justitia est anima Civitatis. *Vid. Virtutis Moral. definit. l. 5. de Rep.* *7. Pol. 9.*

civilem virtutem; istis, ut potissimum militarem; his ut Theoreticam virtutem toti in DEI contemplatione defixi colerent atq; exercerent quò omnium virtutum in Rep. fieret concursus.

An Vir bonus & Civis bonus differant?

§. 7. Hinc decidi potest quæstio, an Viri Boni & Civis Boni diversa virtus s. perfectio sit, de qua intricatè agere Aristotelem, ipse fatetur Piccartus, *qui textum corruptum esse ait sibiq; capillum promittendum fuisse, ut hariolus fieret: merùs enim conjecturis agendum fuisse, ut seriem & contextum reperiret.* Dividit Arist. civem in civem absolutè & universè in quavis Rep. sive bona sive mala, & civem Imperantem, demum in civem quoq; in Rep. optima constitutum. Verum, quod alibi oportunè monet, *in iis, quæ naturæ conveniunt & congruunt, oportere naturæ vim spectare, non in corruptis ac depravatis*, id hic observandum esse ducimus, attendendumq; non ad civitatem quamvis, sed eam, quæ ultimo fini subjacet, ad eumq; debitis mediis contendit. Quod ipse quoq; fecit Aristot. cumq; virtutes bonorum civium colligit, non alias quàm Morales illas, quarum corona Beatitudo civilis est, temperantiam, fortitudinem, justitiam tàm in otio seu pace, quam in negotio seu bello instillat, quibus interponit Philosophiam. Fieri vix potest, ut in universum omnes virtutis sint participes, quia ad virtutis adeptionem concurrant oportet natura tanquam solum, in quo semen virtutis adolescat: educatio, quæ in utramq; partem sive ad virtutem seu ad vitia mirè efficax est: deniq; Ratio, quæ naturam distortam vel pravam consvetudinem frangat. Quæ tria vel universa vel unum alterumve in multis deficere videmus. *Non enim*, ut rectè Cicero, *vivimus cum perfectis hominibus sed cum his, cum quibus præclarè agitur, si habeant simulachra virtutis.* Colant ergo Virtutem pauci vel plurimi, sic in ipso Toto virtus resplendescet. Equidem *Viri boni nomen innumerabilibus officiis continetur, ut idem Vir bonus omni loco, omni tempore, eodem se habeat modo & sit* πανήγυρις atq; ἀμετάπτωτος. Sed hic gradus beatitudinis est eximius, quò paucis assurgere licuit, contendere quivis debet, persvasus, glorioſum esse prima sectantem in secundis tertiisq; consistere. Memorabilis est sententia Lipsij: *Ut is, qui exemplar sibi proponit, emendatissimum cupit, etsi infrà illud consistat: tale hic est, audeamus optima, aveamus optima, etsi imbecillitate hac insita retrahamur.*

3. Pol. c. 4 ὁ γὰρ ἴσως ταὐτὸν inquit l. 5. Eth. c. 5. l. Eth. 8. 2. Eth. 4. & 10. 1. Pol. c. 5. 7. Pol. 13. seqq. c. 15.

Cic. 3. Off.

l. 1. Manuduct. dissert. 16.

bamur. Sic eliditur eorum objectio, qvi impossibilia nos ponere dicunt, & civitatem sola idearum notione terminare, quod Plato fecit, vel inani opinione fingere, quod Thomas Morus. Ipsi fa- mur stultum esse & ἄηθες impossibilia somniare: βελόμεθα μόνον τὰ δυνατὰ: ut Platonis illud nostrum faciamus. *Plato 5. de LL.*

§. 8. Dices, Civem bonum esse, qui didici- rere magistratui nec tanen is continuo Vir bonus est Resp. Quicunq; Vir bonus non tàm haberi quàm esse cupi- ad Virtutem se componere debet, & καλοκαγαθίαν. N. minus ad Virtutem se componere debet, qui ma- atui obedire in omnibus studet. Legibus enim conformem se præstare debet. Leges autem nihil aliud sunt, quàm præcepta virtutum, sive, ut Aristoteles, *est medium & instrumentum ad Virtutem.* Est enim justorum sponsor sive vas & pactum inter cives. *Unicuiq; enim virtuti convenienter vivere lex jubet, & unumquodq; vitium sequi vetat.* Jussu magistratus unusquisq; salutem civitatis (hæc enim suprema lex est) curare tenetur, h, e. id operam dare, ut civitas (in qua ipse) sit prudens temperans, justa, fortis. Horum enim contraria civitati pestem atq; perniciem adferunt. Hoc ergo caput est felicitatis & salutis publicæ, in quo conspirare omnes oportet, in suo quemq; officio vel munere, quod diversum diversis Ratio assignavit. Perges, Magistratum ad cuncta virtutum momenta ipsaq; humanarum actionum principia jussa sua non porrigere, contentum esse externa obedientia, non attendere, utrum ab animo sincero proveniat, an fucato: Ethicam contrà ipsam radicem & malos affectus purgare, nec virum bonum habere, nisi qui ex habitu sine fuco & fallaciis bonus sit. Resp. Si externam speciem forensium rerum spectes, videri discrimen esse inter Jus naturæ, ex quo Ethica exstructa est, & Legem civilem. Jus naturæ est perpetuum, immobile, fixum, quod naturalis ratio inter homines constituit, quodq; animum præcipuè respicit, & externas actiones ex animo æstimat: Contra Lex civilis animum ex actionibus externis æstimare videtur, has ipsas vel absolvere vel condemnare, consilia vero & conatum nisi in atrocissimis rebus non punire. Sed si acrius intendamus oculos in leges civiles, quarum anima Magistratus est, deprehendemus, earum finem non esse externam illam & superficiariam obedientiam, sed illā Virtutem

Objectiones dissolvuntur.

3. Pol. c. 9.

5 Eth. c. 5.

Plat. de Rep. 4.

tutem, cujus definitione ipsum vestibulum suarum institutionum exornavit Imperator, quæq; constans & perpetua VOLUNTAS est suum cuiq; tribuendi. Quæ sola constituere beatam civitatem & duraturam potest, quippe sincera & vera: cum simulata, & fucata quæq; ficta, ut cito ad naturam recidunt suam, ita durabilem efficere civitatem nequeant. Verum cum propter hominum pravitatem interdum illud & verum animi decus obtinere nequeat, eumq; humanæ mentis latebræ & recessus magistratibus impervij sint, contentum est Jus Civile exteriori innocentiâ, quo sensu Seneca alicubi exiguam rem esse ad Legem bonum esse. Merè ergo per accidens fit, quod contentus est Magistratus externa obedientia: Sicut ad minora delicta frequenter connivet, ne, quod Tacitus ait, *palàm fiat, quibus vitiis impares simus*, neu irrito, adversum adulta vitia nisu hebescat acies publicæ authoritatis.

Civiũ Virtus gradu diversa *l.3.Pol c.4 l.7. Pol. c.14. §. de LL.*

§. 9. Neq; tamen omnium civium Virtutis idem gradus est. Rectè enim Arist. quanquam fundamento, inquit, Virtutes boni civis Imperantis & civis parentis in optima Republ. sint eædem, differunt tamen gradu. In imperante enim perfectiores & confirmatæ esse debent, in parente vero imperfectius si reluceant, satis est. Quam rem illustrat exemplo virtutum Viri & Mulieris. Elegantissima est similitudo Platonis, qua hanc differentiam graduum adumbrat, cum ait, debere imperantes se habere ad parentes ut stamen ad subtemen. *Nam quemadmodum stamen ex meliori, firmiori ac duriori fit lana, subtemen ex molliori & infirmiori: Ita & imperantes habere debere firmi quid & solidi, sive confirmatam prudentia virtutem; parentes vero molliculum quid ut seregi patiantur, nec duræ sint cervicis αὐτοηγώμονες καὶ ἰδιοηγώμονες.* Tantum de nobili hac quæstione, ad cujus calcem non possumus quin ejusdem Platonis locum adsignemus. *Idem esse semper & secundum eadem, & eodem modo se habere, solùm omnium divinissimis convenit: corporis autem natura hujus ordinis non est compos.*

in Polit.

De Cive imperfecto.

§. 10. Quanquã concreta nobis notiora sint, atq; hinc potius capiendũ tractationis primordiũ, tamen, quod quæ de societatibus hactenus diserueramus, ex quibus civitas emergit, ne distraherentur legentium animi, invitos nos raperent ad subnectendam civitatis naturam, hanc primo loco evolvendam nobis duximus, nunc

de

de ipso Cive pauca adjecturi. Quem ita distinguit Aristoteles, 3. Pol. c. 1.
ut alius sit civis ἁπλῶς absolutè & propriè, alius πῶς quodammodo & impropriè. In hoc censu sunt ut plurimum factitij cives, quos Plato ἐσοπολίτας vocat, Latini civitate donatos, qui sæpè honorarij tantum cives sunt & nominetenus, qualis Corinthi Alexander erat, sæpè nonnulla tantum cum perfectis civibus communia habent, v.g. interesse concœnationibus φιδιτίοις, publ. exercere mercaturam, uxores ibi ducere &c. Neq; enim, ut mox patebit, necesse est, ut, qui civis est, omnia perfecti civis momenta teneat: potest enim civitate donari, seu sine suffragio, quales olim Cærites, potest ad suffragia admitti & comitia, ut olim plebs Rom. Lege Valeria, sed ut excludatur magistratibus, ad quos demum secessione ad sacrum montem admissa est, & seditiosis Icilij & Canuleji concionibus ad magistratus quoq; eurules. Secundo Arist. civium perfectorum albo eximit inquilinos, servos: neq; enim sequitur, simul vivit vel civitatem incolit, ergo civis est, alias brutorum quoq; civitates essent. Tertio, neq; isti, inquit Arist. cives sunt, qui potestatem habent civem in jus vocandi, οἱ ἀπὸ συμβόλων κοινωνοῦντες, qui ex pacto (σύμβολα quippe συνθήκαι) & fœdere hoc habent, ut, si quam injuriam vel damnum unius civitatis civis à cive alterius accepisset, posset illum suo loco jure judicioq; persequi, qualia pacta inter Cives Noribergenses & Venetos, Anglos & Hispanos intercedunt. Quartò nec veri sunt cives, qui spe tantum tales sunt, quales civium perfectorum liberi sunt, nondum in civium numerum relati. Quinto nec veri cives sunt, Senes ἀφειμένοι dimissi à publicis muneribus, rude donati, deponentani, qui in pueroram naturum regrediantur. Sicut enim est quædam corporis senectus, viresq; deficiunt, ità animus quoq; extrema ætate vacillat, & ad ea, in queis essentia civis sita est, cuncta hebetatur. Demum notati ignominia aut deportati cives amplius non sunt.

Gell. 16. 13.

Plato τὰς πρεσβύτας ἐπὶ τὴν τῶν παιδῶν γένεσιν φύσιν ait in Polit.

§. 11. Ut perfecti civis definitionem venemur, monemus primo, definitiones, ut habet Logicus Canon, accommodari debere in melius, h. e. si definitum sit univocum, in excellenti statu concipi definitionem debere, si æquivocum & se habens ἐφεξῆς, Civis perfectus.

definiendum esse in eo genere primum & præstantissimum (confer disp 3. §. 17) II. Civitatem hic abstracte à Rep. considerandam, cum facultate quidem recipiendi Reip. formam (sine qua subsistere neqvit) sine tamen actu secundo, adeoq; non esse subditum, qui quocunq; modo paret & Remp. supponit, cum Cive confundendum. III. repetimus finem civitatis suprà positum, quem Ambrosius pulchrè explicat. *Ab initio*, inquit, *homines Politiam cæperunt, ut communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, nemo esset honoris expers, nullus immunis labore.* Hinc definire ex Aristotele civem possumus qvod sit *socius multitudinis, qui imperij particeps est.* Per imperium intelligit tum magistratus, tum curam Reip. quæ ex jure suffragiorum, creatione magistratuum, deliberationibus de Rep. relucet. Nam hac de causa coiere in societatem civilem Patres familias, ut suis rebus consulerent; non autem consuluissent, si communium rerum curæ prorsus se subtraxissent. Ad hanc amussim examinandi sunt cives quicunq;, ut, qui propius ad perfecti civis naturam accedit, magis civis sit, qui hinc remoti sunt, minus: quales apud Romanos coloni municipes & provinciales, quiq; in præfecturis vivebant, illi quidem omnes non servi, multò minus socij aut fœderati, sed cives imperfecti.

in Hexa.

3. Pol. c. 1.

Civiũ genera.

§ 12. Quod ut magis clareat, civium genera ex Aristotele collecta sub unum oculi ictum collocabimus. Octo facit civium genera. *Primum genus constituunt Agricolæ, qui civitati victum procurant. Secundum artes sedentariæ sive necessitati civitatis inservientes, sive delitiis & voluptati. Tertium est mercatorum, negotiatorum, qui emendo vendendoq; rem faciunt. Quartum mercenariorum. Quintum militum, qui necessarij sunt tàm conservandæ libertatis, quàm depellendæ servitutis causâ. Sextum genus est judicum, consiliariorum. Septimum divitum magnatum, qui suis opibus civitatem augent & juvant. Octavum magistratuum, qui cum sexto genere sunt anima civitatis.* Quis omnes hosce cives æquè perfectos dicet? Aristoteles alibi beatæ civitatis genuinos cives esse negat agricolas, Opifices, mercatores, quod virtutis munianon exerceant, aitq; quod cives genuini sint milites, senatores, judices, sacerdotes; Quin spartanorum instituta dum taxat, inter benè sentientes

l. 4. Pol. c. 4.

l. 7. cap. 9.

tientes conveniſſe dicit & ità concluſum eſſe, quî perfectus eſſe civis velit, debere liberum eſſe ab omni ſordido munere neq; occupari in rebus ad vitam neceſſariis parandis. Itaq; docet tria ab illis removeri debere, agrorum culturam, Mechanica opificia, deniq; ſervitia domeſtica. Dices: Vocantur tamen cives à magiſtratibus opifices &c. Hoc eſt σκέμμα πολιτικὸν, ut blando civis nomine deliniti abſtineant à publicis honoribus, nec dignitates affectent. Quàm enim periculoſum ſit agricolas, opifices civium numero prorſus excludere, magno ſuo incommodo ſenſere Spartani, de quâ re ſupra diximus. Hic obiter notandum, antiquitus, cum nondum juſtus eſſet civium numerus, inter cives relatos ſpurios quoq;, ex ſervis natos vel altero parente cive, peregrinos, ſed aucto civium numero ordine hos ipſos expunctos fuiſſe, & apud nonnullos eos demum cives habitos eſſe qui utroq; parente civis natus eſſet. Sed de his, aliisq; ad civem & modos obtinendi civitatem attinentibus plura dicere prohibemur, ſaltem ὡς ἐν παρόδῳ & quaſi aliud agendo unam atq; alteram de cive quæſtionem diſſolvemus. Prima eſto: *Utrum ad ea quæ à civitate acta fuerunt, poſt mutatam Reip. formam civitas teneatur?* Diſtinguimus inter contractus publicæ utilitati velificantes, civiumq; vel tacito vel expreſſo conſenſu initos, & inter eos, qui ſecus habent. Illos civitas, etſi ſub alienum dominium tranſeat, ſervare tenetur, jubente id datâ fide: hi ipſo jure nulli ſunt. Secunda: *An quis eſſe duarum civitatum civis poſſit?* Diſtinguimus inter civitates communi capite aut fœdere copulatas & inter civitates prorſus diſtinctas, quarum nullus eſt nexus. Harum civis eſſe nemo poteſt: illarum poteſt. Aliæ quæſtiones v. g. *an mutare civitatem pro arbitratu liceat &c.* populorum moribus dijudicandæ ſunt.

l. 2. cap. 9.

Cicero nihil ingenui habere officinam dicit: de quo Diſp. de ſubditis vid.

De Cive quæſtio 1.

Quæſt. 2.

§. 13. Nunc de urbe agamus ὡς ἐπιχωριάδην. Romani ſolicitiores ſunt in diſtinguenda civitate & urbe, quam Græci: frequenter tamen utriq; promiſcuè utramq; uſurpant. Cicero optimè diſtinxit, cum de civitate ità loquitur: *Omnis populus qui eſt talis cœtus multitudinis qualem expoſui civitas eſt.* ſed de Urbe: *Ejuſmodi conjunctionem tectorum cum locis manuq; ſepſiſſent, oppidum vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam ſpatiiſq; communibus.* Ariſto-

De Urbis & civium Quantitate.

1. Pol. 1. 7. Pol. c. 2. & 4. 7. Pol. c. 4.

ſtoteles, non ſemel inter ἔθνος & πόλιν diſtinguit: quæ diſtinctio in loquendi uſu fundamentum obtinere videtur. Aliter enim de tota provincia & gente, aliter de civitate, per quam multitudinem certo murorum ambitu concluſam intelligere ſolemus, loquimur. Ultima vocis acceptione quæſtionem de quantitate urbis & civium numero affert Ariſt. multisq; rationibus adſtruit, urbis magnitudinem æquabili potentia æſtimandam, ambitu partim & civium numero moderato. Summa huc redit. Vulgus ait eam civitatem pulchram eſſe, quæ ſit ſpatio & ambitu vaſta, atq; hominibus frequentiſſima. Sapientes contra eam magnam exiſtimant, quæ ſit εὐπάρκης & εὐσύνοπτος, quæ rerum neceſſariarum ad beatam vitam copia ſit inſtructa, & mutua civium notitia colligata. Magnum enim & parvum non numero incolarum, non ambitu mœniorum, ſed ut πάντα τῷ ἔργῳ ὥρισεν, ita quoq; potentia & opere eſt definiendum, quod hic aliud non eſt niſi ut cives ad beatitudinem conſpirent, ἐ γὰρ ἐν τῷ μέγα τὸ εὖ, ut præclarè Demoſth. ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Præterea infinita civium multitudo ordinem non admitit, vetatq; legibus, in quarum obſervantia beatitudo civitatis ſita eſt, temperari. Tandem pulchritudo civitatis non in magnitudine aut numero civium conſiſtit, ſed in decenti quâdam proportione, quæ efficit, ne nimis multi ſint cives, neu nimis pauci, ut rectè obire munia rectores civitatis atq; cuſtodes poſſint, atq; cives oneri ſibi invicem non ſint. Taceo in tali multitudine ne notitiam quidem eſſe, multò minus amicitiam, quæ tamen vel maximè in civitate requiritur. Conſentit Plato. *Quanta*, inquit, *Civium multitudo futura ſit ſatis, non aliter rectè dicitur, quam ad agrum vicinasq; civitates reſpiciendo. Ager quidem tantus ſit, quantus temperatis hominibus alendis* (etiam juvandis egenis Ariſt. l. 2. cap. 4. Pol.) *ſufficiat, tot verò ipſi numero, quot & vicinos ſuos ſibi injuriam inferentes repellere poſſent, & iiſdem injuriam patientibus auxiliari.*

5. de LL.

Quid in Urbis ſitu attendi debeat.

§. 14. Proximum eſt, ut quid in exſtruenda urbe attendi debeat, evolvamus. duo enim legumlatoris officia ſunt reſpicere ad *homines & ad regionem*. Hæc primam ſibi vendicat curam, ut advertatur quales regio vicinos habeat, alpinos, an nemoroſos aut maritimos,

nos, quietos an impotentes, ut vel nos rectius defendere, aut lacessentibus terrorē incutere, ut desinant, aut fugientibus instare queamus. Hinc ad beatam civitatem necessaria est *aëris* salubritas, qui si purus est & tenuis, spiritus omnes tam vitales quam animales fovet; contra si crassus pruinosus, cadaverum, latrinarum, sterquiliniorum fovearum & fœtore pestilens sit, cor ipsum suffocat. deligatur ergo locus sublimior & editus, adeoq; perflabilis: in quam sententiam Plato. *Civitatem*, inquit, *totam in circulum & altos locos ædificari oportet, cum munitionis tum mundiciæ causa.* Maxime incommodant vicinæ paludes & nebulis & venenatis spiritibus palustrium bestiarum. Aristoteles suadet, ut Orientem versus urbes condantur, quod abhinc venti temperatiores sint atq; Sol emergens radiis aëra castiget: aut versus septentrionem, à quo ventu serenitatis effector vim purgandi, siccandi, constringendi, internumq; calorem augendi habet. Eandem cum aëre necessitatem *aqua* habet, nec ullâ re crebrius utimur: ipsa, si motu sit velocissima, aspectu limpidissima, pondere levissima cibos salubriores & concoctu faciliores reddit, adeoq; ad tuendam sanitatem potentissimè potest. Quare præsto esse oportet eo loco aquarum salubrium stantium & fluentium copiam sufficientem, camq; si fieri potest, nativam & domesticam, sic ut fontes vel in ipsa scaturientes urbe, vel extra positi tempore belli eidem non eripi facile aut alioversum derivari possint. Obiter notamus, fluminum derivationes, perfossiones Isthmorum & similia naturæ turbamenta pleraq; infausta exstitisse: quin moles quoq; illas quibus Oceani accolæ naturam rerum fatigant, parum feliciter cecidisse docet experientia. Quartum est solum, cujus experimentum tale veteres urbes condituri, castra item stativa militum electuri capiebant. Animadvertebant, an, quæ ex terris nata, essent benè tincta probeq; colorata, an reposita diutius durarent: deinde & pecorum ejus loci jecinora rimabantur, quæ si livida essent ac vitiosa, aquæ, potissimum pabuli vitio id pecoribus accidere putabant, atq; proinde idem humanis corporibus metuendum esse censebant. Præter terræ salubritatem requiritur, ut ager sit πυροφόρος omnium rerum necessariarum ferax, ut regio habeat montes, campos, prata, flumina, stagna. Agrum enim,

tenden dum.
1. Vicini.
2. Aër.
6. de LL.
7. Pol. c. 11.
3 Aqua.
4 Terra

sicuti nec fœcundissimi quidem soli, cum sit insalubris cœli, esse colendum, ità nec effœti, si vel saluberrimi sit, Columella dicebat. Sed & hoc curandum, ut ager non sit nimis vastus, in conspicuo positus, nec nimis ab invicem remotus, ut in omnes partes facilè auxilium ferri possit, ut item ager sit commodus exportationi & invectioni rerum necessariarum. Demum circa agrum pariter & urbem curandum, ut utriusq; situs ità sit comparatus, quò hostibus sit δυσάμβολος seu aditu valdè difficilis, incolis εὔεξοδος facilis egressu, qualis Græcia erat. Cœterum, quomodo ager sit dividendus, quales, quotuplices esse debeant agricolæ vidè egregiè differentem Aristot. l. 7. c. 10.

Universim æstimanti tutiores sunt provinciæ paucæ continuæ quàm multæ discontinuatæ.

§. 15. Arist. cum inquirit in ea, quæ civitati maximè necessaria sunt, 1. ponit alimenta, 2. artes, illud urbium decus, 3. arma, cum ad tuendos nos ab externâ vi, tum ad tuendum legum authoritatem domi, 4. sacrorum curam, cum absq; religione nullus durare cœtus possit, 5. requirit, ut sit conveniens pecuniæ copia, tum quia sumtus quotidiè facere oportet in reficiendis operibus publicis, excipiendis hospitibus, juvandis egenis, cùm ut habeamus belli tempore nervum rerum gerendarum. Hinc liquet, deligendum esse

Communio maris.

5 Negotiationes.

Quinto locum negotiationibus aptum, quibus & res necessariæ comparentur, cum quælibet tellus ad omnia vix sibi sufficiat, & civium facultates ipsumq; adeò ærarium mirum in modum augentur. Livius de Roma scribit: *Non sine causa dij homines q; hunc urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles flumen oportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur quò maritimi commentus excipiantur.* Hinc quæstio emergit, an maris vicinitas & communio expediat Reip. quam Arist. allatis dubiis illustrat & decidit pro affirmante. Dubia hæc sunt. Nautica turba & adeuntium mari peregrinorum repletur civitas: hinc leges mores q; corrumpuntur & vilescunt. Deinde repletur urbs mercatoribus & hominibus quæstui deditis, quos beatos esse possepernegat Aristoteles. Hoc Plato tangit: *Profectò*, inquit, *mare civitati proximum quotidiana quadam jucunditate eam afficit. Veruntamen vicinitas ea animiũ revera falsa est & amara. Nam cũ mercibus & pecuniũ cauponando civitas repleatur, dolosi animi instabiles & infidos mores parit.* Adde, quod antiqui & veri cives istis obreptitiis tandem vincuntur: luxus ex maris vicinia nascatur & studium piraticæ, item morbi, &c. Pro affirmante duo stant

l. 7. cap. 6.

l. 4. de LL.

com-

commoda: alterum belli tempore, pacis alterum. Qui enim ad mare habitant, faciliùs explicare se periculis bellicis & expeditius hosti nocere, succurrere quoq; suis magno cum temporis tum sumtuum compendio possunt. Pacis tempore invehentur necessaria & exportabuntur superflua, eritq; pretium rerum necessariarum tantò minus, quantò sumtuosior terra est negotiatio quàm mari. Ad incommoda respondendum, bonarum legum custodia libidinem illam refrœnari posse atq; inprimis bona educatione. Sed aliud quoq; remedium adfert Arist. cum exemplum urbium imitandum proponit, quæ navalia ac portus ab urbibus sejunctos habent; quod eatenus laudandum, si flumen navigabile tantæ sit latitudinis, ut navibus exituris vel inituris nullum objici impedimentum possit. Obiter de re Nautica quærimus, an ei certum tempus definiendum sit? Dicitur Gratianus Imp. tutam navigationem censuisse à Cal. Apr. ad Cal. Octob. quam sententiam hactenus secuti videntur Hollandi. Pulcherrima sunt, quæ habet Vegetius: *Ex die 3. Id. Nov. usq; ad diem 6. Id. Martij maria claudantur; nam lux minima, nox prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrium vel nivium gemmata saevitia, non solum classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat.* Lib. 4.

§. 16. Ultimum, quod in urbe condenda debet expendi, est ut sit ad bellum oportuna. Multæ memorantur urbes naturæ quodam beneficio munitæ vel montibus editis & rupibus inaccessis vel mari aut paludibus fluminibusve circumfusæ: Sed plures expositæ injuriis & incursionibus sunt, nisi arte manuq; muniantur. Et quanquam contra munitiones sit, quod hinc civibus mollities quædam & languor ingeneretur, nec strenui videantur, qui murorum præsidia quærunt: tamen cum major sæpè copia hostium irruat quam quibus pares esse pauci opidani possint, è re civitatis ejusq; ornamento & firmamento esse existimamus, ut muris turribus, vallo, fossis, portis, cataractis, aliis, quæ recentiorum solertia invenit, muniatur. Judicio enim Aristotelis λίαν ἀρχαίως nimis priscè de rebus judicant (prisca ferè rudia, stulta) *qui munitiones rejiciunt, quorum plerique ipsi sua se condemnârunt stultitiæ.* Den q, *qui mœnibus circumdantur, eis licet in utram q, partem uti urbibus & tanquam muros habentibus & tanquam non habentibus.* Dearcibus, probamus judicium Bodini: *Arces*, inquit, *præsidiis affirmatas habere* 6. Munitio. l. 7. cap. 11. l. 5. de Rep. cap. 5.

bere periculosum est, libertatem popularem amantibus præter urbem ipsam; in quâ sedes & domicilium popularis imperij collocatum sit; ne quis hostium vel etiam civium ac domesticorum imperandi cupiditate inflammatus arces occupare possit, unde eversio Reip. *sequitur.* Et paucis interjectis. *Idem quoq; in puriori optimatum statu relinquitur judicandum, ne unius imperandi cupiditas arce capta dominatum arripiat, aut suas opes ad potentiorum exitium cum plebe conjungat. Quæ vero imperia regionibus, ac provinciis latissimè patent, ut unius dominatu teneantur, nec urbes valdè munitas, nec arces ædificare, præterquam in ipsis regni finibus necesse est; ut regnum & adversus hostes, & contrà civiles motus facilius tueri possint. Hoc etenim natura ipsa nos docuit, quæ cum animantium extrema unguibus aut cornibus, aut solidiore ossium compage armaverit, cætera exarmata reliquit. Sed absurdè princeps urbem validissimis mœnibus cinxerit, nisi arcem quoq; agris & urbi imminentem præsidio firmârit.*

l. 7. cap. 12. Adde quæ sequuntur, & præcedunt: & confer, quæ habet Arist. qui duplices magistratus constituens, *alios, qui urbi præsint, alios qui agris & regioni, quos vocat ὑλωρούς seu sylvarum custodes it. ἀγρονόμους: his vult constitui debere certis locis φυλακτήρια* i.e *castella quædam ad arcendam vim & irruptionem hostium.* Nunc de ædificiis publicis privatisq; agendum esset, de viis: de sylsitiis civium privatorum, magistratuum, sacerdotum: de foro duplici, alio libero, in quo conveniant viri graves, liberi & ingenui, colloquanturq; de rebus, vel sacris vel bonum publicum spectantibus, in hoc

loc. cit. Arist. vult exstrui debere gymnasia senum, juniorumq; adde Nymphea, ut virorum gravium præsentia omnes in officio contineat, addatq; calcar virtuti; alio rerum venalium: de templis, quæ habeant *θέσιν τῆς δέσεως*, i. situm magnificum propter devotionem: de curia, quæ templis vicina propter veneration̄ esse solet: de Scholis, hospitiis, balneis, armamentariis, granariis, bibliothecis, rerum antiquarum & mirarum gazophylaciis, de quibus videantur Arist. aliiq;

l. 7. cap. 11. harum rerum intelligentes scriptores. De dispositione ædium privatarum & platearum duplicem sententiam Arist. proponit. recentiorem & antiquiorem, quem vide. De ædificiorum materia, *συμμετρίᾳ*, situ, commoditate, splendore alij videantur. Coronidis loco monemus, axioma Politicum non è postremis esse ut *Cives quâcunq; ratione ad ædificia exstruenda, exornanda & alliciantur: quæ res & ad loci tutelam & totius civitatis augmentum incredibile momentum adfert.*

De DEO Duce. Reg. pub. earum q. Formis

§. 1.

EXorsi Politicas Exercitationes à fundamento sumus, domibus sive familiis, sine quarum congregatione nec proxima civitatis causa pagi, nec ipsa coire aut existere potest. Sed nec hominum congregatio, bonorumq; sive domi natorum, sive aliunde importatorum communio, ad Beatitudinem, quamin civitatis definitione includi ex Aristotele eâ quæ præcessit disputatione diximus, aspirare atq; ab adsurgere sine Republica potest. Scilicet, quemadmodum in Logicis Enunciatio per Veritatem, quæ est Logicæ finis externus, definitur, nec eam tamen sine ope Syllogismi assequi valet, qui Logicæ est finis principalis internus: ità Civitas per beatitudinem, finem τῆς πολιτικῆς externum, ad quem cuncta instrumenta Politica collineare oportet, rectè definitur, nec assequi tamen hanc ipsam potest nisi per Rempublicam, Finem illum, Politicæ internum, de quo nunc commodo rectoq; ordine agendū est.

Ratio ordinis

§ 2. Nam ponamus multitudinem hominum in locum ad habitandum congregatorum (ità Civitatem Plato definit) ut communicent præstentq; vicissim alius alii eas res, quibus ad vitam est opus, nisi accesserit unio animorum atq; consensus, nec consistere multitudo aut durare, multò minus beata esse poterit. Docet infinitis locis Cicero, in ordinum Reip. Rom. trium, senatorii, equestris, plebeji consensu Reip. salutem, dissensu pestem atque perniciem esse. Quam harmoniam, quia primus disturbavit C. Gracchus, depresso ordine Senatorio & attenuato, amplificatis duobus reliquis, primus quoque Reip. Rom. eversor ab historicis notatur. Cum verò mobiles sint hominum voluntates, insitumq; animo nostro vitium sit variare, ante omnia accurandum est, ut alienationibus intestinis & dissidiis procul habitis vinculum Civitati

Civitas esse sine consensu nequit. 2. de Rep

aptetur, quo sistatur Voluntatis fluxus ac alternatio, firmusq; animorum consensus nec temerandus constituatur.

Aut iste sine ordine.

§. 3. Simul apparet consensum sine ordine, qui imperio & paritione absolvitur, esse non posse. Quod si singulæ familiæ durare nequeunt, ubi ἀδὲς ἀδενὲς ἀδὲν ἀκέει, ubi confusio regnat & ἀπειξία, quanto minus civitas durabit si removeatur ordo, quippe quo ut domus, ita pagi & civitatis membra unicè conglutinantur & vigent? Pulcherrimè Aristoteles, in omnibus rebus, quæ partibus constant, imperium & paritionem docet duplici inductione, quarum altera est inanimatorum, altera animatorum. In illis responsus est materiæ parentis & formæ dominantis. In his luculentiora ordinis vestigia colligimus. Animalia videmus, quæ corpore & anima constant, illo parere hoc imperare apto nato, inprimis hominem, de quo eleganter Salustius: Animi, inquit imperio, corporis servitio magis utimur: quod ipsum in principe quoque hominis facultate evidenter relucet, quæ in appetitum imperandi munus exercet. ὁυκοῦν τῷ μὲν λογιστικῷ ἄρχειν προσήκει, σοφῷ ὄντι, καὶ ἔχοντι τὴν ὑπὲρ ἁπάσης τῆς ψυχῆς προμήθειαν; τῷ δὲ θυμοειδεῖ ὑπηκόῳ εἶναι καὶ ξυμμάχῳ τούτῳ; Marem quoque & fœminam Natura condidit, ut hunc ordinem tuerentur; ille imperando, ista parendo, quod & corporis utriusq; ratio ostendit. Ipsa animantia si comparemus, alia aliis imperare conspicimus, hominem imprimis, qui altæ mentis capax in cuncta dominatur. Obiter ex Aristotele loc. cit. notamus, inter homines iis deberi imperium, qui instar animæ se habent, ejusq; excellentia super alios evehuntur, iis verò servitutem, qui præter corporis usum nihil præstare possunt.

1. Pol. c. 5.

Plat. de Rep. 4.

Vid. Arist. oecon. 3.

Aut hic sine Legibus.

§ 4. Ordini tuendo Leges necessariæ sunt, quæ jubeant facienda & contraria prohibeant, pœnas delinquentibus, præmia rectè facientibus, denique unicuiq; suum tribuant, ligentq; civitatem, ne dilabatur, aut instar ruinosæ domus concidat. Hoc nos docet magnus Præceptor cum in civitate certum ordinem requiri, hunc autem nihil aliud esse ait, quàm δίκην. Sed occurrunt in textu tria vocabula ab Arist. cum curâ posita, δικαιοσύνη, δίκαιον, δίκη.

Arist. lib. 1. Polit. c. 2.

δίκη. Primum se habet ut forma. Est enim justitia forma Civitatis, sine qua consistere civitas nequit. Ab hac forma fluit τὸ δίκαιον, justa actio, quæsit secundum decreta atque præcepta certa: & hæc δίκης nomine veniunt. Alibi Aristotel. quintam democratiæ, quæ mera Anarchia est, speciem, Rempublicam esse negat, addito pulchro Emblemate: ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. *Nam ubi leges non imperant, ibi nulla est Respubl.* Plato de LL. *Necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant. Nam si absque hâ viverent, nihilo à feris atrocissimis discreparent. Cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ità natura institutum est, ut, quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat: & si cognoverit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit.* lib. 4. Polit. cap. 4. lib. 9.

§. 5. Plato apud Diogen. Laert. τῆς εὐνομίας tria constituit genera: Legum descriptionem, legum defensionem, & legum observantiam. Arist. duo constituit genera, unum, quo leges benè scribuntur, alterum, quo Legibus rectè paretur. Illud sine hoc Reip. noxium, imò inutile esse dicit. ἔστι δὲ εὐνομία τὸ εὖ κεῖσθαι τοὺς νόμους, μὴ πείθεσθαι δὲ His gemina habet Æschines: *Hoc convenire & conducere existimo, ut quando ad leges ferendas accedimus, eò animos & mentes dirigamus, ut primum bonas & Reip. accommodatas Leges statuamus. Deinde ut illis pavere cives cogamus, refractarios coerceamus. Id enim omnino necesse est fieri, si benè se Respubl. habere debent.* Cum ergo vita visq; legum & civitatis in observantia earum sita sit: Nam *Quid tristes querimoniæ si non supplicio culpa reciditur? Quid leges sine moribus vanæ proficiunt?* ultrò sequitur legum custodiam Magistratibus commendandam esse, hosq; ipsos potestate juris dicundi & exsequendi armandos, ut summis infimis, medioximis ex æquo justitia administretur, nec detur venia corvis vexet censura columbas. Minimè enim debent esse leges aranearum telis similes, quod olim Zaleucus dicere solebat, in quas si musca incidat, teneatur, vespa telam dirumpat, h.e. humilis & pauper plectatur, dives & factiosus vim legum pervertat aut eludat. Aut hæ sine Magistratibus. Orat. in Timarch. Horat. Op. 24. l. 3.

§. 6. Diximus νόμον ἔμψυχον sive Leges animatas esse Magistratus debere, & in hunc finem potestate ornandos atq; munien- Aut his sine

Majestate.

dos. Quia verò potestas vel nostra est nec ab alio pendet, vel aliunde communicata est, manifestum est, sine potestate summâ, quam Majestatem vocamus, à qua Magistratuum dependet potestas, nullam civitatem consistere multo minus ad optatam beatitudinem provehi posse. Quemadmodum enim in causis necessario subsistendum est in aliquâ primâ, abhorrente ab infinito Naturâ pariter & Arte: ità quoq; in potestate res habet, in quâ ad summam pervenire necessum est, quæ inferiores potestatis gradus disponat, iisq; plenum robur adferat. Primum enim censendum est, quod cætera gubernat, ipsum à nemine potestatem habet communicatam: cui opponi æqualis potestas nequit: sic enim neutra summa erit. Quare Aristoteles qui alibi docet, *legem quidem omnibus civibus magistratus vero singulis imperare oportere*, cum Rempubl. definit, Inferiores δεχὰς magistratus ad summam potestatem revocat quam vocat κυρίαν πάντων, item & κύριον, πολίτευμα quod ejus est, qui rerum potitur, sive unus sit, sive pauci, sive omnes.

4. Polit. 4

3. Pol. 6.

Hinc emergit Reipubl. Definitio.

§. 7. Quæ cum ita sint, nihil obstare potest, quò minus suis exigatur ponderibus Reipublicæ definitio, quam rectè Aristoteles assignat loco proximè citato. *Respublica*, inquit, *est ordo civitatis cum aliorum Magistratuum tum in primis summæ potestatis*. Rectè genus ordinem ponit, qui forma civitatis est. Nam ut in physicis materia est ἀόριστον τι, atq; à Forma determinatur: ità Civitas nullo negotio difflueret, nisi Republ. contineretur. Porrò rectius τάξιν per Ordinem verti censemus, quam per ordinationem: hæc enim veluti transitorium quiddam innuit, motum videlicet Respub. vero & Ordo quiddam consistens est. Cætera ex dictis clarent. Quia enim Ordo earum rerum est, quæ se habent ἐφεξῆς, ideò refertur ad unum primum, à quo cætera cuncta pendent, quod in Republ. est Majestas ἡ κυρία πάντων seu, in omnia, ut loquitur Tacitus, regimen. Recte ergo, ordinem hac differentia Aristoteles restringit, cum maximè sit summæ potestatis, à quâ per medios Magistratus in omnes subditos regimen fluit. Quæ ut verissima ac lucidissima censenda sunt, ita errorem notant vulgarem, quo Respubl appellare solemus civitates, quæ in ditione superioris sunt v. g. Lubecam, Saxoniam, cum, quæ summam non habent potestatem sive urbes

urbes sint, sive provinciæ non Respublicæ sed Reipubl. partes sint dicendæ. Sed quæ ad summam potestatem attinent, cum res sit operosa, in sequentem cum DEO disputationem rejicimus.

§. 8. Nunc, quæ sint Reipublicæ divisiones, paucis attexamus. Aristoteles gemino fundamento superstruit primam atq; generalem Reipublice divisionem. Alterum est civitatis finis, bene beateq; vivere: alterum domus est, in qua duplex cernitur imperium Patrium & Herile. Illud utilitatem spectat eorum, qui parent primariò: Hoc utilitatem spectat primariò & per se dominantis, per accidens servi, ne, sic hic pereat, perire dominum quoq; necessum sit. Ità Respubl. alia est, in qua is qui imperat, & præest, omnia refert ad Bonum publicum & utilitatem subditorum: alia in quâ, qui præest, non publicum directe, sed suum commodum quærit. Illas Arist. vocat ὀρθὰς rectas atq; laudabiles vocat: has ἡμαρτημένας καὶ παρεκβάσεις depravatas atq; exerrantes. Prima Reipubl. divisio. 3. Pol. 6.

§. 9. Hæc divisio generalis est, & in omnibus Reipub. formis conspicitur, cætera rectè habens, nisi quod universim dominicum Imperium παρέκβασιν appellare videtur. Sunt populi naturâ servi, quos heriliter regi ipsorum interest, nec à bono publico aut utilitate eorum, qui præest, deflectit vel exerrat quales Brasilienses plerosq; fuisse tradunt, qui res Americanas literarum monumentis tradiderunt. Quemadmodum Philostratus quoq; in vita Apollonii *stultum esse ait Thraces, Mysos, Getas in libertatem vindicare quâ non gaudeant.* ὅσοι δὲ πολιτείας, τὸ κοινῇ συμφέρον σκοπῶσιν, ἀυτοὶ ὀρθοὶ τυγχάνουσιν ὄντες ut ait cit. loc. Aristoteles. Sunt alii naturâ quidem ingenioſi sed quos variis de causis contingere potest dominico imperio subjici, sive in pœnam belli jure, sive majoris mali vitandi, sive alia de causa. Nec est, quod dicas, hoc imperium futurum injustum eò quod servitus illa videatur contrà Naturam esse. Resp. disp III. naturam legibus & conventionibus hominum non adversari. Quædam mandavit jus Naturæ, quædam vetuit, quorum utrumq; oppugnare nefas est. Alia porro sunt, quæ suasit potius quam mandavit, ut scil. ingenio valentes & prudentia non servitiis sed imperio admoveantur: qui tamen propter causas, quas modò enumerabamus libertatem amittere possunt; quod ipsum Naturæ Explicatur & retinetur. *Conf disp. nostram III. & VII.*

juri non adversatur, ut, qui v. g. temerè bellum suscepit, & sanguinem humanum nulla justâ de causâ profudit, temeritatis culpam libertatis deliquio luat. Atq; ità fieri potest, ut quis in populum aliàs ingeniosum imperium herile, etiam hæreditarium habeat. Exempla justi dominatus in imperio Unius, paucorum, omniũ, multa sunt, eaq; omni dubitatione clariora.

Secunda divisio.

Disp. Altorph. 51. th. 16. seqq.

§. 10. Secundam Republ. divisionem Celeberrimus Piccartus his verbis proponit. πολίτευμα, inquit, *sive summa potestas illud primum est, quod Respubl. præcipuè attendit: inde divisio desumitur rectarum & pravarum Reipubl. formarum. Quod si enim illud penes unum sit, boni publici studiosum, Monarchia dicitur sive Regnum: Si penes unum publici commodi negligentem, sui studiosum, Tyrannis. Si verò penes paucos Viros bonos, boniq; publici amantes, status ille Reipubl. Aristocraticus vocabitur: sicut ex adverso, si penes paucos, privati commodi studiosos τὸ πολίτευμα resideat, status Oligarchicus dicetur. Si deniq; penes populum, ex eadem respectus diversitate vel recta atq; laudabilis existet Politia, vel prava Ochlocratia, aut Democratia. Atq; hæc est secundaria divisio & consequens primam, atq;, ut sic loquar, accidentaria.* Tandem: *Hinc igitur, ut concludamus, oriuntur nobis sex formæ Rerumpublicum. Tres rectæ & laudabiles: Regnum sive Monarchia, Aristocratia, & Politia: Tres item exerrantes & vitiosæ: Tyrannis, Oligarchia & Democratia.*

Examinatur.

§. 11. Non desunt, qui hanc divisionem Essentialem vocent, & utriusq; tam rectæ quàm pravæ sine desumtam. Quod tolerari non debet. Est enim divisio æquivoci in æquivocata, ac si consequentiam dividas in bonam & vitiosam, quæ propriè & univocè consequentia non est, unde Aristoteles, quoties vitiosam appellat consequentiam, dicit οὐκ ἐστι συλλογισμὸς. Quemadmodum ergo deflorata virgo nomen mentitur, ita Respublica vitiosa nominetenus Respubl. est, reapsè confusio, *prævaricatio & abusus merus*, ut loquitur Paraphrastes: quod alibi agnoscit Cl. Piccartus, cujus hæc sunt verba: *Tot autem Rerumpublicarum formas seu species statuimus, quot finem præscriptum observant, qui est Benè & Beatè vivere: qui ex Virtutum actionibus quasi ex limpidißima scaturigine prosilit, igitur quæ hunc finem & media ad illam non habent præscripta, Re-*

Disp. Altor 30. th. 31.

spublica

publicæ adpectari negarunt. Alij seorsim sentiunt, inter quos Cl. Arnisæus, qui, ut omnia in Politicis ita Rempubl. indifferenter patere ad usum & abusum asserit retinereq; essentiam integram, etiamsi injustè adhibeantur, adeoq; Rempubl. prolapsam nomen Reipubl. & definitionem non amittere, hacq; fini Aristotelem Rectitudinem in definitione Reipubl. non posuisse, quia ad ejus essentiam minimè spectat.

§. 12. Nobis contra videtur, Reipubl. nomen sanctum esse, ut ab ea non latronum tantum & piratarum cœtus, sed quorumcunq; commercium, qui *Rem populi* (hæc enim Respubl. est) negligentes, ad libidinem cuncta moderantur, arceri fas sit. Id enim evincit positus finis interni sub externo, cujus amplitudinem ille egredi non potest, adeoq;, quicquid in Politicis præcipitur, sive de Rep. sive de mediis ad eam, nisi faciant ad finem externum, qui in Ethicis pertractatur, consequendum, media esse Politica desinunt. Nec in Aristotele perfugium ullum est, qui propterea in Reipubl. definitione non posuit rectitudinem, quia supervacuum erat. Nam dum esse dicit ordinem Civitas, jam rectitudinem implicat, cum civitas non vivendi tantum, sed & benè vivendi, atq; ex virtute cojerit, ut disp. præc. dictum est Unde consequitur. quicunq; cœtus virtutis rationem non habent, essentiam nec civitatis, multò minus Reip. habere posse, cum materia multò universalior & communior sit quàm forma. Quod si ergo Tyrannorum, latronum, piratarum cœtus civitatis notione excidit, Republ. quoq; excidere necessum est. Neq; obstat, multas Respubl à latrociniis exortas fuisse sicut Eutropio Romani ante Numam dicuntur *consuetudine prælierum latrones & semibarbari:* inde enim ipsæ Respubl. non sunt vitiosæ, quemadmodum N. T. Ecclesia mala dici nequit, etiamsi, qui primi in eam dederunt nomen, publicani, meretrices, latrones, notorij peccatores fuerint.

Ostenditur, lib. 1.

Reipul. Essentiam Disp. 5. thes. 3.

§. 13. Sed præstat audire Piccartum, qui, cur exerrantes Respublicas sub generali divisione collocaverit, nec contentus fuerit rectis hanc rationem reddit. *Id videlicet ex eo fieri, quia non omnes homines sunt viri boni, sed plures ambitione laborant, & sicut cæci comite & duce via semper indigent: ità illi, ut olim Cato dicebat, nolunt nisi cum licteribus ire, & magistratu gerere atq; imperare.*

Quod

Quod animi vitium ut celent, jure quodam speciose sese & cupiditates
Vid. l. 5. Pol. cap. 1. & l. 2, c. 7. *suas velant, cui sic innituntur, ut & merito petere & obtinere debere credantur.* Hæc pluribus ex Aristotele diducit qui lib. 3. cap. 9. tria justorum genera inter se confert, quorum primum est Oligarchiæ, Opes scilicet (eadem Nobilitatis ratio) ex quarum possessione divites vel Nobiles sibi imperium arrogant: alterum est democratiæ justum, Libertas, cujus prærogativa pauperes nituntur, atq; in omnibus rebus æqualitatem Arithmeticam observari volunt. Utriq; errant errorem capitalem & civitati exitialem. cujus causas Aristot. adjicit duas. Una est, quod quisq; nimium se amet suaq;, unde hominum judiciis caligo suffunditur. Χεῖρον δ' οἱ πλῆθει φαῦλοι κρίται περὶ τῶν οἰκείων, & tam bona nostra vero majora, quàm mala minora vero esse arbitramur. Altera est incuria: Quia cum jus aliquod habeant utriq; mancum, plenum & perfectum habere se putant. divites enim, quia ratione opum reliquis inæquales & superiores sunt, putant, se absolutè inæquales & superiores esse. Itaq; sibi solis imperium deberi, quod inæqualibus inæqualia debeantur, præstantioribus plura, majora, præstantiora. Contrà vulgus, quia libertate est æquale melioribus civibus, putat se ex omni parte æquale esse. Itaq; sibi quoq; imperium deberi.

Vitia excludere.

§. 14. Hæc præclarè Aristoteles cap. cit. Sed numquid inde sequitur, Rempubl. esse dividendam in rectam & prolapsam, quod sancto Reipubl. nomine multi ad suam libidinem abutuntur? Numquid inde conficitur, Rempubl. esse indifferentem ad bonam & malam? Audiamus ipsum Aristotelem, qui dexterrimus est suæ mentis interpres. *Jus* inquit, *quod principem locum obtinet, præter mittunt. Oligarchici* sc. & Vulgus. *Si enim bonorum & facultatum gratia societatem coierunt, & in unum convenerunt, tam sunt participes civitatis, quantum & facultatum rei familiaris habent. etc. Sin non solum vivendi gratia coierunt, sed potius vivendi (esset enim servorum & aliorum animantium civitas: nunc autem non est quia non sunt beatitudinis, neq; vitæ ex consilio degendæ participes) neq; belli societatis causa etc.* paucis interjectis *Atque de virtute & vitio civium diligenter cogitant, qui sibi vigilandum atq; elaborandum esse putant, ut civitas bonis legibus temperetur & gubernetur. Ex quo etiam intelligere licet, civitatem eam, quæ revera nominetur civitas,* ET

NON

NON ITA DICATUR VERBO TENUS, *virtutù curàm habere debere.* Ex quibus verbis rectè Piccartus tale argumentum formatur: *Cujus rei causa & coëunt & permanent civitates, & cujus respectu præsentù, verè Civitas aliqua dicitur, absentù impropriè & homonymos, illa res est verum fundamentum æqualitatù inæqualitatisq; personarum, pro cujus modo ac mensura distribui Magistratus debent aut non debent. Sed Virtutis est id, cujus gratia, &c. Ergo.* Concludimus, civitates, in quibus dominatur excluſa Virtute Nobilitas, dominantur divitiæ, dominatur libertas, Jure, quod principem locum obtinere debebat, omiſſo inani Civitatum & Reipubl. nomine ſuperbire, ipſam eſſentiam atq; medullam non magis habere quàm Hominem pictum humanitatis. Nec ubi ſinguli ſe tantum ſpectant, RES POPULI agi poteſt. *An ignoras,* inquit alicubi Plato, *omnem ſingulorum generationem illius gratia fieri, ut univerſi ipſius beata vita ſit? Ejus ſubſtantia non tui gratia eſt, ſed illius tu gratia factus es* Ὁ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, Ὁ δὲ ἴδιον διαπράττεται τὰς πόλεις, quod alibi idem habet. *thes. 38.* *lib. 10. de LL.* *l. 9. de LL.*

§ 15. Nunc diviſionem Reipubl. in ſpecies inferiores expendamus. In qua re variantes ſunt Dd. ſententiæ. Alij tres ſpecies conſtituunt, Monarchiam, Ariſtocratiam, democratiam: alij & plurimi quidem, iidemq; maximi Viri Quartam addunt, Mixtam. Nec in aſſignando differentiæ fundamento conveniunt, quod alij petunt à numero Imperantium, alij ab opibus & egeſtate, alij à fine Civitatis, qui conſiſtit in actione Virtutum, quæ arctiſſimo nexu copulatam habent prudentiam, ut nec ſine prudentia virtutes, nec ſive Virtutibus prudentia eſſe poſſit. De formis ſeu ſpeciebus Reipubl. priùs agemus: quarum tres ſimplices agnoverunt Philoſophi ſapientiſſimi tum Græci tum Latini. Plato tres ponit, Monarchiam, i. e. *principatum unius, paucorum potentiam, & gubernationem multitudinis*: quanquam has tres duas ex ſe parere, mox tres affirmat, & ſeptimam mixtam ſuperaddit. Ariſt. quoq; tres facit. Et Tacitus, *Cunctas,* inquit, *nationes & urbes, aut populus, aut primores aut ſinguli regunt.* Auguſt. de Civitate DEI, *tunc eſſe Rempubl. h. e. Rem populi, cum benè ac juſtè geritur, ſive ab uno Rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo Populo.* Tres ſunt Reip. formæ. *1. Pol.* *8. Eth. 12.* *lib. 2. c. 2.*

ijus divisionis fundamentum alienum.

§ 16. Unde vero differentia sumenda est? Qui à divitiis & paupertate desumunt, nec adæquatum assignant differentiæ fundamentum, nec rectam instant viam. Non adæquatum. Opibus enim & paupertate tantùm differre videntur Oligarchia, & democratia: illa, cum pauci divites rerum summam ad se pertrahunt, hæc cum vulgus inops. Quod autem fundamentum assignabitur harum vitiosarum formarum à rectis differentiæ? Sed & ob divitias Monarchiam invadere quis potest, (sic Cosmus Medices Florentinus civis auctus opibus, partim mercatura, partim thesauris Johannis Pontificis Constantiensi concilio abrogati, sedeq; Pontificali moti apud ipsum defuncti, longoq; intervallo cives omnes Florentinos post se relinquens, coacto exercitu post cædem Alexandri propinqui senatum Florentinorũ, ut se perpetuũ ducem crearent coegit) nec ob has tantum, sed & alias qualitates robur, formam, pinguedinem; & contingere potest, ut pauperes pluribus ditioribus imperent vel plures ditiores pauperibus paucis. Nec recta rem reputant via. Reipubl. verarum formarum differentias, unde desumi debeant, inquirimus: obtruduntur spuriarum differentiæ, à quibus exulat ordo, quia non attenditur virtus. Alia plura Bodinus & alij accumulant, quibus convellitur divitiarum & paupertatis hoc fundamentum.

Fundamentũ remotum.

lib. 3. Pol. cap. 9.

3. Pol. 4.

§ 17. Propiùs ad Veritatem accedere videntur, & subtilius rem exigere, qui à Virtute, cujus directrix Prudentia est, distinctionis fundamentum accersunt: inter quos palmam omnibus dubiam facit Eximius Vir Piccartus. Dum Aristotelem interpretatur, sententiam ille primam propugnare videtur alibi tamen Prudentiæ gradus (*quæ propria est Virtus imperantis*) variare Rempubl. & importare differentias primarias, numerum autem imperantium non nisi secundario & externâ quadam & accidentali ratione formas Rerumpl. discernere contendit. Verba ejus digna, quæ adscribantur, visa nobis sunt. *Cum gradus prudentiæ varient, alius sit perfectissimus, & præclarissimus alius verò mediocris, alius communis, & inchoatus: si unus ea præ aliis excellat, meritò ei uni imperiũ committitur, acinde Monarchia: Mediocriũ vero prudentia, cum pluribus convenire possit, qui pauci sint cæteroriũ civiũ respectu, hi si præficiantur propter utilitatem publicã, oritur Aristocratia: Communis autem*

Disp. Alsorph. 30. th. 46. seq.

& in-

& inchoata Prudentia multùm convenire potest itaq; si multitudo imperat, inde democratia oritur. Verum ut maximè bene hæc se habeant, adhuc tamen remotum fundamentum positum tantum est, quo dari quoddam propius & significantius potest debetq;. Ut taceamus, prudentiæ gradus ad Monarchiæ, Aristocratiæ, Democratiæ essentiam non pertinere, (de Scipione Africano Livius: *Periculosum erat in Republ. præsertim libera, unum hominem esse caput & columen Imperij, sub umbra Scipionis urbem terrarum dominam latere, nutus ejus pro decretis Patrum esse &c.*) aut ad τὸ κύριον seu summum illud, quo Resp. definita est: sed potius ad summæ potestatis exercitium; quæ duo quam sint distincta mox audiemus.

§. 18. Nos, quod Aristoteles ponit, genuinum & proximum esse fundamentum, existimamus. Nimirum πολίτευμα seu τὸ κύριον summa potestas sive majestas Reipubl. essentiam, ut dictum est, absolvit, ex cujus πολιτεύματος diversitate diversæ nascuntur Respubl. seu diversæ Reipubl. formæ: Unam enim esse Reipubl. formam non posse à diversis civitatis partibus & specie differentibus argumento ducto probat, idemq; egregia similitudine à partibus animalium desumto illustrat Arist. libro Politicorum quarto. Quare aut summa potestas reapse & non titulo tenus (cavendum enim est, ne decipiamur ambiguo nominis sono) est penes unum, aut non est penes unum. Si hoc, aut penes omnes, aut non penes omnes. Quæ divisio optima est, & adæquata, cum inter contradictoria volvatur. Quod si penes unum est summa potestas publici commodi studiosum Monarchia est: Si penes paucos tales, Aristocratia: Si penes omnes tales democratia. Tres ergo sunt Reipubl. formæ germanæ, eæq; omnibus seculis commendatæ, non plures nec pauciores.

Genuinum est numer⁹ Imperantiũ cum summâ potestate. *lib. 3. Pol. cap. 6. 7. cap. 3. & 4.*

§. 19. Plurimi sunt, iidemq; summi nominis Philosophi, qui quartam adjiciunt Reip. formam, Mixtam. Ubi prænotamus, *mixtionem* secundum Arist. *tum factam esse, quando mixtione factarum res perdidit speciem, miscibilia ita inter se sint contemperata, ut amissis nominibus propriis adsumant alienum*: Arnisæus aliquot mixtionis modis rejectis veram mixtionem in juribus majestatis attendendã esse monet. Fac; inquit, *eorum quædam Regi quædam paucis quædam*

An detur Respubl. mixta? *lib. 4. c. 9. de Rep. l. 2. c. 6. sect. 1. num. 39.*

dam omnibus attribui, dum singuli ab ἀκεραιότατα perfectæ Majestatis quicquam remittunt, ad temperatam mediocritatem amicè conspirant. Nobis propositum est Aristotelem maximi facere, sed cum ea libertate, quam ipse in Præceptores suos veri studio sibi indulsit, quæ verba sunt Hugonis Grotij, ὁ γὰρ πρόγε τῆς ἀληθείας τιμητὴς ἀνὴρ. Veritati vir non est præferendus. Nec jam disputabimus, an mixtio rectè fuerit descripta, multò minus an populariter loquendo Respubl. aliqua mixta esse dici possit. Philosophorum enim est loqui accuratè, non populariter ut in Politicis quoq; Aristot. agnoscit: qui alibi ἀκεραιολογεῖσθαι καὶ μὴ ἐκ παρόδου τοὺς λόγους ἀποδέχεσθαι, Philosophis tribuit.

In Proleg.

Plato 10. de Rep.

lib. 4 c. 2. lib. 3 de Cœlo Gr. 8. tex 63.

Negatur.

§ 20. Quamobrem accuratè loquendo Formarũ mixtionem nec unquam contigisse nec contingere posse, adeoq; cũ Cl. Piccarto hoc quoque dicimus, Ideam Platonicam nobis videri hanc mixtionem, & præter necessitatem factam formarum Reipubl. multiplicationem. Formæ enim indivisibiles sunt, nec sine contradictione mixtio illarum cogitari potest. Aut enim, quod supra diximus, summa potestas est penes unum aut non est. Rursus, si non est penes unum, aut penes omnes est, aut non est. Quis non videt, si quis v. g. velit dicere, in Imperio Rom. Regnoq; Germaniæ, Poloniæ SUMMAM POTESTATEM esse penes unum, (quod verissimũ est) nec tamen esse penes unum, præterquam quod rem falsissimam proloquatur manifestissimæ contradictioni talem involvi?

Disp. Alt. 30 num. 50

Sed cũ distinctione.

§. 21. Cæterum pro controversiæ hujus dextra decisione, ut defœcato judicio utamur, prænotandum est longè aliud esse summam potestatem & ejus exercitium: quod alij ita efferunt, ut distinguant inter statũ (qui nihil aliud est, quam una forma ex tribus recensitis) & administrandi modum. Summa potestas penes unum vel omnes esse potest, ut exercitium ejusdem sit penes paucos. Hodie in regno Galliæ penes pupillum summa potestas est, cujus exercitium Reginæ matri, Patruo, aliis incumbit. Sic Reges Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Hispaniæ &c. summam potestatem habent, cujus exercitium in rebus gravissimis non Regum tantum est, sed ordinum quoq; & Parlamentorum. Vacante Imperio summa potestas penes Imperium est, exercitium penes Vicarios. In democratia,

cràtia, ut Romæ olim, potestas penes populum, authoritas est penes delectos, v. g. Senatum, status: Imò penes unum, qualis in Rom. democratia dictator. Ampliùs notandum est, exercitium summæ potestatis esse vel cum jure quodam manente (non tamen summo, sed dependente & communicato) ut in Vicariis & ordinibus Imperij cernere licet: vel simplicis administrationis, cujus in Regina Galliæ designavimus exemplum. Sed plura super hac re ad nos non spectant, qui de summâ tantum potestate soliciti sumus; cum hinc, ut dictum est, formarum differentiæ pendeant.

§. 22. Distinctioni, quam præmisimus facem allucet Aristoteles, fieriq; sæpe ait, ut non respondeat τὸ δέον καὶ τὸ γινόμενον, & sit *Respubl. legibus quidem Monarchica* (1. summa potestas residet penes unum) *sed moribus Aristocratica.* (1. exercitium penes delectos.) Rationem hanc reddit. Fieri videlicet hoc solere, quando Respubl. immutantur. Tum non uno tumultu omnia invertuntur, sed sensim. Exemplum in Rom. Rep. præbet Augustus, qui cum summam suscepisset potestatem, idem summæ potestatis exercitium, eosdem magistratus, qui sub democratia fuerant, retinuit. Idem Tiberius fecit, de quo Tacitus memorat, quod *sub initium imperij omnia commiserit patribus ad quos comitia ex campo revocavit: semperq; Senatui assurrexerit, ac publicè dixerit, plures facilius munia Reipubl.* sociatis laboribus *exsequaturos.* Caligula, Nero, alij *magistratibus liberam jurisdictionem concesserunt sine sui appellatione.* Quæ ipsa *Simulachra libertatis & inania imperij* usu ità invalescere solent ut revocari sine ruina Reip. nequeant. Neq; tamen ex eo, quod diximus, sequitur, Cæsares summa potestate vel caruisse vel dimidiata (quo nihil absurdius dici potest) tantum usos esse, adeoq; imperium Romanum non fuisse Monarchicum sed mixtum.

Quam præit Aristoteles. *lib. 4. Pol. cap. 5. & alibi.*

§. 23. Neq; enim alia ratione liberis populis quales Europæi sunt imperatur, quam ut summæ potestatis exercitium cum eis cummunicetur. Expedit enim Rebuspubl. ut v. g. Monarcha absolutum exercitium potestatis non habeat: hæc enim absolutio perimere & exstinguere Respubl. solet, ut prælatissimè Arist. docet. Nec in Germania tantùm & Polonia Daniaq; hoc temperamentum

Et exempla firmat. *5. Pol 9. & de mixtione passim*

mentum reperitur, in queis tantò magis exercitium summæ potestatis cum ordinibus communicatur, quanto liberior est electio cujus solet esse comes individua μίξις, sed in regnis quoq; quæ hæreditario jure devolvuntur. Inter Leges Galliæ (eadem ratio est Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, de qua temporum horum intemperies testatur) fundamentales prima est, *ne quid, quod ad universi regni statum pertinet, sine publici consilii authoritate Regi statuere fas sit.* Imò inter Asiæ populos, qui addictissimè regnantur, hoc invenias temperamentum. Apud Judæos summa dubio procul erat potestas penes Regem, sed ejus exercitium penes Synedrium quoq; erat, cujus rei argumentum præbent cum alia, tum Jeremiæ Historia, quem cum proceres ad mortem poscerent, respondit Rex, *Ecce, in potestate vestra est, nam contra vos rex nihil potest.* Notant enim Judæorum Magistri ad Synedrium, cujus erat nonnunquam præses ipse Rex, pertinuisse cognitionem de tribu, Pontifice, Propheta. Quin Persarum quoq; Rex summâ potestate fuerit præditus, ne dubitandum quidem relinquitur: quanta fuerit procerum abthoritas abundè discimus ex Daniele.

Hottoman lib. 1. de Antiq. Jur. Gall. cap. 23.

Jer. 38. f. Conf. Schickard de Jur. Reg Hebræ. cap. 1. theor. 2. & Append. cap 6. v. 7.

§. 24. Fatemur ergo, exercitium summæ potestatis frequentissimè communicari ipsâ salvâ: quam communicationem si quis velit vocare μίξιν seu mixtionem non repugnamus: videmus ita loqui veteres Isocratem v. g. qui Athenienſium Rempubl Solonis temporibus vult fuisse δημοκρατίαν ἀριστοκρατίᾳ μεμιγμένην, *potestatem optimatium populari mixtam.* Hanc tamen ipsam revera Democratiam fuisse, Aristoteles nos docere potest. Sed ut magis, quæ de mixtione diximus clareant, per Respublicas tam exerrantes, quàm Rectas eamus, & videamus, an ulla in iis formarum simplicium mixtio locum habere possit. Mixtionis modos nonnullos proponit Arnisæus, quem suprà citabamus: non erit præter rem, si ipse adeatur.

Alienè Resp. mixta dicitur.

lib. 2. Pol. cap. 12.

§. 25. Vel ergo miscebuntur pravæ cum pravis, vel rectæ cum pravis, vel demum rectæ cum rectis. Pravæ cum pravis, si maneant pravæ (quod omnino, ut fiat, mixtio requirit) meram confusionem gignunt. Rectas verò cum pravis si misceas, quemadmodum Arist. Carthaginenses ob mixtionem Aristocratiæ & Oligarchiæ

Mixtionis genera.

lib. 2. Pol. cap. 11.

chiæ taxat, non magis efficiet quartam Reip. formam, quàm si Papistas, quatenus tales, nobiscum in unam Religionem compingere moliaris. Non, inquam, miseri vitiosæ Resp. cum rectis magis possunt, quàm Vera & Catholica Religio, quàm *semper ubiq; omnes* (hæ sunt Notæ tres, quibus verum à ficto discernitur) Apostolorum successores coluerunt, cum novitiis figmentis conciliari, cum omnimodâ Papæ jurisdictione tàm in secularibus, quàm Ecclesiasticis, ejusq; arbitrio in determinandis fidei rebus minimè fallaci, cæterisq; dictatibus Hildebrandinis: item cum Transsubstantiatione, & hinc pullulantibus dogmatibus veteri ævo inauditis, Adoratione panis, communione sub una, Sacrificio formaliter tali, de radendis (proh nugas!) Clericorum barbis &c. Quare ut Religio sibi constet, utq; conciliatura Papistarum cum Catholicis ineatur, sicut requiritur, ut Primatus ille Papæ, & Transsubstantiatio, duo Papatus, quatenus talis fulcra removeantur, ita ut Respubl. cujus essentia in ordine sita est, sibi constet, oportet, quicquid ordinem hunc turbat imò tollit, (neq; enim cum Vitiis Virtus miseri potest) prorsus removeri. *Vid. Vincentium Lirinensem.*

§. 26. Relinquitur, Rectas miscri debere, vel **Omnes**, vel **Monarchiam Aristocratia**, vel *hanc Democratia*, vel *hanc Monarchia*. Quorum quatuor modorum primus ab Authoribus ità proponi solet, ut in mixta Rep. Rex habeat jus belli gerendi, cudendæ monetæ, paciscendorum fœderum, imperandi tributa, distribuendi præmia: Senatus leges ferat, corrigat, exsequatur, judicia publica procuret: plebs deniq; ærarij publici rationes repetat, agris distribuendis præsit, creet magistratus &c. Respond. si de potestate ipsa summa hæc intelligas, figmentum esse, cujus ab orbe condito nullum exstet exemplum: facilè hanc partitionem instituì in umbrâ, sed cum ad rem deventum fuerit, tum demum vanitatem ejus pellucere, adeoq; accommodari res opinionibus nostris, & juxta perpendiculum poni saxum. Quod si de ipso exercitio summæ potestatis loquaris, ut fatemur esse posse συνέλευση βασιλείας, ἀριστοκρατίας καὶ δημοκρατίας, sive mixtum aliquid ex tribus formis impropriè sic dictum, ita ad rem pertinere negamus, cum formæ Rerumpubl. ut sæpè dictum est, metiendæ sint secundam ipsam **Proponuntur.**

ipsam summam potestatem, quæ ita partiri nequit. Dices: in Rom. Imperio divisam fuisse summam potestatem in plures. Resp. vel semper unum fuisse summâ potestate, cui reliqui tantum destinabantur: vel intelligi unam Monarchiam quasi in duas divisam, fuisse, quemadmodum si Rex Hispaniæ in plures Filios Regna Hispaniarum, Indiarum, Neapolitanum &c. divideret, singuli suæ terræ summa cum potestate præsiderent. Audiatur hic Arnisæus.

Vid. disp. 7 §. 2.

lib. 1. de Maj. cap. 3

Ut multitudo, inquit ex Athanasio, *Deorum nullitas est Deorum ità quoq; necesse est multitudinem principum id efficere ut nullus princeps esse videatur, quoniam, cum summum sit quiddam indivisibile, impossibile est, ut pluribus separatim distribuatur, nisi in utroq; summi natura diminuatur. Pone populum in regem & vice versa hunc in illum habere æqualem potestatem, constat, neutrum pro summo venditari posse, quia imperio superioris subjicitur: aut si posuerit duas potestates æquales, easdemq; distinctas, quarum neutra in alteram imperium habeat, sed utraq; separatim in inferiores & subjectos, jam ordinis natura convellitur* (NB) *quæ semper aliquid primum exigit, ne oriatur confusio, quam divisa id genus imperia sequitur.* His observatis, non dubitamus, quin ab objectionibus veritas nostræ sententiæ facilè vindicari possit, adeoq; concludimus, nullam mixtionem efficere posse ut desinat Majestas vel esse penes unum vel non esse; vel esse penes omnes, vel non esse, sive, quin omnes Respubl. quæ sunt, fuerunt, futuræ sunt, ad simplicem vel Monarchiam, vel Aristocratiam, vel democratiam debeant referri.

Concluditur, mixtam Remp. esse non posse.

Corollaria.

I. *Circa mixtionem tria jubent attendere Politici. Primo ne cum ingeniis hominum, nebe cum consuetudine inveteratâ pugnemus. 2. ut, si forte virtute præstantes pauci sint, & gubernationi non sufficiant, nobilitatis quoq; & divitiarum (non tamen solarum) ratio habeatur. 3. ut populus quoq; aliquid administrationis publicæ habeat, ne servire videatur, sed communicato potestatis exercitio delinitus quiescat, & sine motu quæstui suo sit intentus.*

II. *Regnum Laconicum non erat nisi principatus militaris, qui in omni forma Reipubl. locum habere potest. In Gallia Dux exercituum est Constablius. Poloni quoq; habent bellicum suum Imperatorem. Talis Venetorum quoq; Dux: & apud fœderatos Belgas Princeps Arausionensis.*

III. *Statum Imperij scire non tantum est leges administrandi imperij atq; adeo officium Cæsaris & ordinum nosse, item quantum illis hodierni mores vel congruant, vel adversentur: sed & originem & occasionem cum legum latarum, tum eorum, quæ contra sunt, intelligere. Quod absq; historia nostræ gentis fieri non potest.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0084
DFG

DEO DUCE!

§. 1.

CUm in infinitum ordo ire nequeat, sed referatur semper ad aliquod primum, sive id reverâ sit, seu mente tantum constituatur, manifestum est, ipsam Rempubl. quam per τάξιν seu ordinem modò definiebamus, ad aliquod primum, κύριον, seu summum, quod adjectionem non recipiat, aut permittat adscensum, referendam esse, sive illud unum suâ naturâ tale sit, sive plurium conspiratione & ἀναλογίᾳ. Est autem scientiarum disciplinarumq; utpote queis κάλλιστα καὶ ῥᾷστα rem cognoscimus hæc indoles, ut ab universalibus ad particularia fiat processus: δεῖ γὰρ ἐκ τῶν καθόλε ποιεῖσθαι ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα: ne eadem sæpius oggerendo fastidium obrepat; tum ut præmittatur illud, sine cujus cognitione secutura vel difficulter vel vix intelligi possunt. Τὸ κύριον ergo seu summum illud, quam Majestatem vocamus, cum Rerumpubl. species singulas amplitudine sua exsuperet, cumq; sine ejus cognitione intelligi cætera nequeant, imò, cum Definitio Reip. quam Disp. præc. evolvimus, summum illud explanari jubeat, sine mora, quod leges ordinis deposcunt, exequemur.

Ratio ordinis

Aristot. 1. Phys. cap. 1. & 7.

§. 2. Ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων σκέψις, ut præclarè Epictetus. Quod habere semper locum debet, ubi eo ingenio voces sunt, ut, nisi cum cura & solicitè prænoscantur, nonnihil obscuritatis Rei ipsi, cujus signa sunt, offundi necessum sit. Dicitur Majestas à magnitudine, quod Ea in humanis nihil sit majus, sive potestatem spectes, seu Venerationem, quippe Vicaria DEI cuncta gubernantis: Unde est, quod sacra dicatur & sancta majestas, quodq; sacratissimi Reges, Imperatores, vocentur. Nos ut τὸ πολύσημον Majestatis seu varia significata lubentes præterimus, cum

Majestatis Etymologia.

ubivis ea occurrant, ita haud præter rem esse censemus, si quod Romani Majestatem appellant, Græcis σεμνὸν ἀξίωμα, μεγαλειότητα, Aristoteli τὸ κύριον, item πλήρωμα, quod Piccartus reddit summam imperij seu summum imperiū dici hic à nobis repetatur.

l. 3. Pol. cap. 6.

Majestatis definitio.

§. 3. Est autem Majestas SUMMA IN CIVITATE POTESTAS. Quam definitionem, pictores imitati, primo delineabimus, quod Aristoteli est ὡς ἐν τύπῳ, mox colores addituri, quod idem vocat διαρρήτως ἀναγεγράφειν. Aristoteles summæ potestatis lineas veluti ducturus tres ejus notas atq; tesseras facit, *consultationem de Rep. curam creandorum magistratuum, & Judicia: Consultatur autem de bello, pace, societatibus, fœderibus, legibus jure vitæ necisq;, animadversione & ratione repetundarum.* Dionysius Halicarnasseus enarrans, quo pacto domesticæ turbæ inter patritios & plebem recruduerint, Consules pacis authores inter alia hæc quoq; persanandæ offensæ attulisse in Senatu discordi atq; tumultuoso verba dicit. *Scitù sane legem nobù esse jam inde ab urbe condita quæ omnia in Senatus potestate ponit præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi deponendiq; arbitrium. horum trium potestatem esse penes populi suffragia.* Hæc tria qui habet Majestatem habet: quam ipsam deinceps κατὰ μέρη atq; articulatè considerabimus.

lib. 4. Pol. cap. 14.

Antiquit. Roman. lib 6. c. 58.

Ejusdē subjectum

§. 4. Quanti sit momenti rem genuino subjecto assignare, non uno loco docet Aristoteles, cum demonstrandi scientiam exactissimis, nec unquam convellendis præceptis complectitur: quem secutus Filius Rois medicos reprehendit, quod in ipso limine demonstrationum suarum impingant, sanitatem soli humano corpori tribuentes, quæ toti animantium generi conveniat. Est autem subjectum, quantum quidem ad nostram pertinet institutum, duplex, aliud quod, aliud quo, ut loqvuntur Scholæ: quæ illud Totale quoq; & denominationis, item mediatum subjectum; hoc partiale & immediatum vocant. Concipiatur pro emolliendā verborum hac asperitate & scabritie aliquod Hominis accidens v. g. intellectus, visus: Horum accidentium duplex est subjectum, aliud quod denominatur intelligere, videre, aliud quo intelligimus, videmus. Prius est Homo, subjectum demominationis, totale,

tale, quod, mediatum: Posterius est anima, oculus, subjectum quo, immediatum, partiale. Non dissimili ratione res hic habet. Majestatis subjectum quod est Civitas: Subjectum quo, vel una persona, vel pauci, vel ipsa Civitas. Pro priori consideratione Majestas Realis dicitur, quæ sempiterna est, & quamdiu Civitas ipsa durat, manet: posteriori dicitur Majestas Personalis, quod in Personas transferatur, cumq; iis intereat.

§. 5. Civitatem cum dicimus, perfectam neminiq; subjectam intelligimus, quam Thucydides tribus vocibus circumscribit, dum esse dicit αὐτόνομον, αὐτοτελῆ, αὐτοδίκον *suis utentem legibus, magistratibus, judiciis.* Excludimus ergo civitates, quæ in alienam potestatem transierunt, quales olim provinciæ erant, quæ Roma magistratus & judices annuos cum imperio & securibus accipiebant, qui juxtà mores & præscripta Romanorum eos vivere jubebant propriis institutis & legibus deletis: idq;, quò magis servitutem agnoscas, lingua non sua, sed Romanà. Quam servitutem Civilis Batavus apud Tacitum Treveris exprobrans, *Vos autem Treveri*, inquit, *cæteraq; servientium animæ, quod pretium effusis toties sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa & Dominorum ingenia?* Quæ tria servitutem suis numeris absolvunt. Tales populi Civitas non sunt, qualem descripsimus sed membra viliora civitatis, quomodo serviunt membra familiæ. Est Civitas quæcunq; perfecta,

§ 6. Non sunt audiendi, qui soli Imperio Romano vel Imperatori tantùm Majestatem tribuunt: multò minus cum dictatibus suis Hildebrandus audiendus est. Neq; enim propterea Pop. Rom. princeps terrarum Livio dicitur, & Romani rerum Domini Virgilio, quasi jus aliquod in universum orbem aut potestatem habuissent: quin aliud jus non habuisse censendi sunt, quàm quod Gentium mos populis atq; bellantibus porrigit. Quemadmodum ipsi Romani negant suum esse, quod bello non acquisiverunt, & Prusiæ Bythiniæ Regi *agrum de Antiocho captum quem nulli datum Galli possiderent, sibi concedi petenti*, responderunt: *Si ager Pop. Rom. fuerit, nec cuiquam datus sit, dignissimum eo dono Prusiam habiturum populum &c.* Et quis nescit, Romanos modò Taurum montem, modo Euphratem & Danubium, Elephantinem ac Syenem terminos Imperij & daustra posuisse? Non tantùm Romana,

Majestas est potestas.

§. 7. Porrò Majestatis genus posuimus Potestatem. Quæ vox largè quamvis facultatem agendi de jure concessam sive in personam sive in rem directam significat, estq; privata vel publica; vel inferior, quam vocant legitimam, vel summa, quam vocant absolutam, de quâ mox dicetur. Hic addimus, de Majestate judicaturis non honestamenta nominis, sed insignia potestatis inspicienda esse. Quemadmodum enim Monarchæ adeoq; Majestatis titulo abstinere ob certas causas aliquis potest, ut ipsam rem non amittat, quod feciſſe minuendæ invidiæ & suspicioni ereptæ libertatis primos Imperatores ingenioso sophismate legimus, qui tamen ipsi & Legem majestatis reducebant, & Domini, cujus nomen tanquam contumeliam se abhorrere simulabant, ritu absoluta potestate utebantur: ita multos legimus superbîsse Majestatis sono, cum ipsa potestate vacui essent, de qua re legatur H. Grotius.

de Jur. P. & B. lib. 1. cap. 3. n. 10

Eaq; summa.

§. 8. Tandem differentia additur, cum SUMMA dicitur esse potestas. Summa vocatur, quia nullius hominum juri subest, ità ut ad alterius arbitrium summæ potestatis actus mutari, infringi aut irriti reddi possint. Nota alterius arbitrium nos dixisse. Nam quin ipse populus vel Rex, qui Majestate præditus est, mutare voluntatem possit, & quæ antea placuerunt, quæve à prædecessore (cum eo enim eandem habet potestatem) constituta sunt, ingruentibus incommodis atq; urgente publica salute, quæ suprema lex esse debet, rescindere, ne dubitandum quidem relinquitur. Atq; hoc pacto quælibet potestas summa ἀνυπεύθυνος est, i. ad rationes reddendas nulli alteri obnoxia: adeoq;, qui summam habet potestatem αὐτοτελὴς καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτῷ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε οἷα βέλτιστα ποιῇ, καὶ πανθ' ὅσα ἂν μὴ βέλτιστα μὴ πράττῃ, *liber est, suiq; ac legum potens, ut & quod vult faciat, & quod non vult, non faciat.* Rectè Antonius, cum apud ipsum Herodes de interfecto Aristobulo reus ageretur, *Non oportet*, inquit, *eum qui Rex audit, factorum suorum rationem reddere, alioquin pro Rege non habendum. Postquam enim semel ille regius honos est concessus, æquum est, ut potentia quoq; Regia, h. e. plena & libera ipsi indulgeatur.*

Vid. Arnisæ. de Jur. Majestat. lib. 1. c. 7.

Dion. l. 53.

Joseph. Antiq. l. 5. cap. 4.

§. 9. Hic

§. 9. Hic maxima se ingerunt dubia, à nobis singulatim discutienda. Dubitari primò potest, annon Majestas imperantis ubiq; sit subjecta Majestati imperij, s. annon Rex ubiq; populo sit subjectus, ut si malè præsit Reip. coerceri ac puniri possit? Negativam validè atq; curatè propugnat Hugo Grotius in opere nostra laude majori. Verba ejus (integra enim, sed contracta, apponere placuit, cum nostra tantum roboris non sint habitura,) hæc sunt. *Licet homini cuiq; se in privatam servitutem, cui velit, addicere: ut & ex lege Ebræa & Romana apparet quidni ergo populo sui juris liceat se uni cuipiam aut pluribus ità addicere, ut regendi sui jus planè in eum transferibat, nulla ejus juris parte retenta? Sive quia in periculum vitæ adductus aliâ lege, qui se defendat, reperire non potest: aut quia inopia pressus aliter habere non potest copiam, unde se sustentet. Accidere etiam potest, ut Paterfamilias latifundia possidens neminem alia lege in suas terras habitatum recipere velit, aut ut quis magnam servorum copiam habens eos manumittat, sub imperij ferendi & census pendendi legibus. Adde quod populi quidam eo sint ingenio, ut regi quàm regere norint rectiùs. Est & interdum ù civitaiu status, ut videatur nisi sub libero unius imperio salvus esse non posse. Tandem bello justo sicut acquiri potest dominium privatum, ita & dominium civile sive jus regendi non aliunde pendens.* Si dicas, liberorum hominum civitatem ut ait Arist. esse, non servorum, distinguere oportet inter libertatem civilem & personalem, sive singulorum & universorum. Sic sub quovis imperio Dominico (vid. disp. seq.) universi serviunt, non sublato dominio singulorum, & quanquam exspiraverit libertas civilis, relicta tamen est personalis, & qui publicè servi sunt, privatim Domini esse nondum desierunt. Alias objectiones dissolvit Grotius loc. cit. quas præterimus, cum non sint adeò magni momenti.

Potestas Imperantis an sit subjecta populo?

de Jur. b. & p. l. 1. c. 3 num. 8.

lib 3. Pol. cap. 6. in fine.

§. 10. Maximi vero est, quod nos paucis interjectis idem Grotius docet, adeoq;, ut summa sibi constet potestas, quàm diligentissimè attendendum est. Non sunt confundenda summam potestatem habere, & plenè eandem habere, cum res & modus rem habendi diversa sint. Alij summam potestatem habent pleno jure proprietatis, alij jure tantum usufructuario. *Reges*, inquit, *qui eliguntur, & electi legitimo ordine succedunt, summam potesta-*

Distinguenda est summa potestas ab ha-

bendi plenitudine.

tem habent jure usufructuario: at quidam reges pleno jure proprietatis, ut qui justo bello imperium quæsiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitandi causa, ità se dedit, ut nihil exciperetur. Hi alienare populum possunt, (quanquam rectius dicatur alienari ipsum jus populum regendi, quà est populus) & vel totum alij dare, testamento legare, in dotem tradere, vendere, hæredes, tutoresq; quos volunt, constituere, vel partem. At in regnis non patrimonialibus secus res habet, quæ nec alienari possunt, nec hæredes institui aut dari tutores, nisi quos Lex publica vel Populi consensus facit. *Quæ hactenus*, inquit Gr. *monuimus, adeò vera sunt, ut non modò pleraq; imperia summa non plenè habeantur, sed & multa non summa habeantur plenè: quò fit, ut Marchionatus & comitatus facilius, quàm regna vendi & testamento relinqui soleant.*

An adversetur Majestati subesse legib⁹?

§. 11. Præterea dubiũ cooritur, an adversetur Majestati subesse legibus? Arist. regno πάμβασιλικῷ Legum imperium præferre videtur, qvum præstet DEUM & mentem divinam imperare nobis, quàm belluam. Lex quippe effatum est mentis divinæ, vel, ut Cicero definit, est *Recta atq; à numine Deorum tracta ratio*, quæ cupiditatibus libera est: Homo contrà perturbationibus & affectibus ut bellua circumagitur. Rectè ergo Plato: *Quibus*, inquit, *civitatibus non DEUS sed homo imperat, ibi malorum nullum est effugium.* Verum cum Lex multas res non attingat aut definiat: *Leges* enim, ut loquitur Tacitus, *in facta constitutæ sunt, futura in incerto sunt*: præterea in universalibus hæreat, &, quæ indies accidunt, non determinet, cumq; gubernatio tota Reipubl. in singularibus occupetur, remq; sæpe immutent circumstantiæ præstat Regem imperare quam Legem, sed ità, ut legeslatas libenter juxta se ferat & exequatur, quod si deficiant, expleat, aut novas condat, priores abroget, & mutet, si illæ vel insufficientes fuerint, vel esse conducibiles Reip. desierunt. Hac mente Cicero: *Ut Magistratui leges, ità populo præsunt magistratus: vereq; dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.*

l. 3. cap. 6.

7. de Rep.

3. Ann.

3. de LL.

Distinguitur

§. 12. Sed hic discrimen notandum venit inter leges nobiscum natas, leges Gentium, leges imperij, leges longà consvetudine observa-

ſervatas, ac demum leges poſitivas atq; tabulis incriptas. Leges naturæ tentare homo, cujuscunq; ſit conditionis, non debet: nec Gentium Legibus ſoluta Majeſtas, quales conventionum fides, pacta, contractus &c. nec Regni legibus ſuperior Majeſtas, eſt, quibus ſocietas civilis colligatur, quæq; velut ſpiritus vitalis ſunt, quem omnia membra etiam digniſſima attrahunt. Porrò cum fundamentalibus legibus leges nô ſcriptæ magnam cognationem alunt, quarum major eſſe debet quàm ſcripti juris authoritas, propterea, quod ab ævo authoritatem ducunt & uſu plus valent, ex quo legum vis dependet. Unde rectè Plato ἄγραφα νόμιμα καὶ πατρίους νόμους vocat δεσμὸς πόσης πολιτείας 1. *vincula conſervantia Reſpubl.* De his legibus omnibus illud Taciti imbibatur. *Piſſimis principibus velut ſine fine Dominationem; ita egregiũ MODUM LIBERTATIS placere.* Lex, ait Lactant. *eſt recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, vetando, à fraude deterret quæ & omnes gentes & omni tempore ipſa una & immortalis & ſempiterna continet: unusq; eſt quaſi communis magiſter & imperator omnium DEUS, legũ hujus inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atq; hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia QUÆ PUTANTUR effugerit.* & negatur. 7. de LL. l. 2. Ann. lib. 6. c. 8.

§ 13. Alia deniq; ratio eſt Legum poſitivarum & merè civilium, quæ non quidem à Jure Naturæ & Gentium in totum recedunt, nec per omnia ei ſerviunt, ſed aptantur circumſtantiis temporum, perſonarum, rerum, ideoq; mutabiles ſunt, & pro re natâ corrigi aut expleri poſſunt. His ipſis Majeſtas ſuperior eſt tam coactivam quam directivam vim ſi reſpicias: quippe quibus eximere alios quoq; poteſt, & contra jus commune diſpenſare. Neq; eſt, quod dicas Juri naturæ, cui illigata eſt Majeſtas, Leges civiles congruere. Differt enim Jus naturæ, quod ineſt, à jure civili, cui ineſt: adeoq; Majeſtas legem civilem abrogando, vel derogando eidem aut ſubrogando illud tantum tollit, addit vel detrahit, quod anteà Juri Naturali & Gentium additum vel quodammodo detractum, atq; hoc ipſo Jus civile effectum fuerat, ipſo Naturæ & Gentium Jure manente ſalvo & illibato. Aliàs commodo publico conſona & *digna Majeſtate Imperantis vox eſt, legibus ſe alligatum profiteri.* Quin adfirmatur quoq;

Publica

Publicâ nimirum tum res sibi constat, & æquum Imperium, cum Rex, quod jubet, ipse facit.

lib. 2 in fin. *Princeps optimus*, inquit Paterculus, *rectè facere cives suos faciendo docet, cumq; sit imperio maximus, major exemplo vult esse.* Verba Mæcenatis Orat. ad August. huc spectant. *Ea ages, quæ præfectos agere velis. Id enim facilius eos officium docebit, quàm metus legum, cum alterum imitatione constet, alterum timore: ac facilius meliora imitentur homines, cum ea in re ipsa conspiciunt, quam pejora vitent, verbù* (tantùm) *ea prohibita audientes.*

Principis & aulæ moves universæ sunt civitatis.

Conclu ditur non adversari.

§. 14. Unde liquet, quantum fallantur, qui arbitrantur potestatem summam non esse, quæ non sit ità absoluta, ut agere licenter omnia, quæ lubet, possis: (minimum quippe decet libere, cui nimium licet) existimantq; cum Bodino precariò Reges esse, qui absolutam omnium rerum non habeant potestatem. Nam & in regno Galliæ Parlamentorum atq; ordinum non est exigua authoritas, neq; tamen precaria incipit esse vel ipso Bodino judice majestas Regis, sed frænatur licentia imperantium, ne in Tyrannidem procurrant. Sed præstat ipsum audire Bodinum. *Inepti sunt,* inquit, *qui quod à Natura vel ab honestate alienum sit, Principem efficere posse putant; eum Principis potestas justitiæ ponderibus semper exigenda sit: sic enim Plinius Junior ad Trajanum Augustum: Ut enim, inquit felicitatis est, posse quantum velis, sic magnitudinis velle quantum possis, hæc ille: quibus verbis efficitur, nihil Principes posse quod naturâ turpe sit, aut injustum. Jam verò ineptè loquatur, qui potentiæ summæ tribuat aliena diripere aut vi stuprum inferre, quæ ab animo fracto libidinis & cupiditatis impotentia proficiscuntur. Capitalior certè fraus est, hac disciplina Principes imbuere, quam prædari.*

lib. 1. de Rep. cap. 8.

in Panegyr.

An adversetur Procerum necessarius assensus?

§. 15. Hinc amplius relucet, non perire summam potestatem, cum Reges nihil nisi de communi procerum consensu gerunt. Nam & in iis regnis, quæ absoluta habentur (Vide disp. præc. §. 23) quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari oportere videmus. Itaq; ex hoc capite argumentari non licet ad destruendam summam potestatem Imperatoris Nostri, Regis Daniæ, Poloniæ &c. *Multum enim falluntur*, Judice Hugone Grotio, *qui cum Reges acta quædam sua nolunt esse rata, nisi à Senatu Regni probentur, partitionem*

loc. cit. num. 18.

tionem fieri poteſtatũ. Nam quæ acta in eum modum reſcinduntur, intelligi debent reſcindi Regis ipſius imperio, qui eo modo ſibi cavere voluit, ne quid fallaciter impetratum pro vera ipſius voluntate haberetur, quale erat Antiochi Tertij Regis reſcriptum ad Magiſtratus ne ſibi parerent, ſi quid legibus adverſum juſſiſſet. &c. Egregiè Ariſtoteles agens de cauſis conſervantibus regna, ſtabiliri ait, ſi mediocritate quadam contemperentur. Sicut enim evertuntur regna, ubi licentia invaleſcit, nimisq; intenditur regia potentia, ità firmari ait, ſi ipſi ſibi Imperij leges ponant, nec nimium permittant. Nam primò Reges hac ratione fiunt modeſtiores: deinde ejusmodi regibus ſubditi minus invident, præſertim ſi videant, quædam à Regibus ſibi quoq; relinqui, adeoq; in partem curæ cives vocari. Quo facit judicium de Antonino Pio Julij Capitolini: *Imperatorium*, inquit, *faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit, unde plus crevit.* *lib. 5 Pol. cap. 11.*

§. 16. Non arbitramur, aliquem, qui, quæ dicta ſunt, æquâ lance penſitaverit, futurum tam rigidum, ut ſummam poteſtatem minui aut tolli pertendat, ſi jurejurando privilegiis Patriæ Rex ſemet obſtringat. Olim quidem in officio regio vel injurati Reges verſabantur, nemine in tanto faſtigio ſcelus locum habiturum auſo præſumere; vel jurisjurandi vicem ſceptrum elevabant, quomodo Achillem jurantem Poëtarum utriusq; linguæ Prineipes introducunt. Cujus rei ratio inde videtur deſumi poſſe. Sceptrum in Hieroglyphicis Majeſtatis ſymbolum: cui oculus impoſitus DEUM Rectorem univerſi κὴ ἐκδικον notat: ad cujus imitationem ſe judicaturos hac ipſa cerimonia Reges ſignificabant. Lapſis in deteriora rebus humanis iisdem jurisjurandi Religio impoſita eſt, ut ſub regno graviore ſuum eſſe ſemper meminiſſent, atq; divinæ metu vindictæ à mutanda fide retraherentur. Juramentorum regiorum aliquot genera recenſet Arniſæus, interq;, alia leges, quas pactionatas vocant, majeſtati damnoſas eſſe oſtendit. Contra obſervat H. Grotius *non deſinere ſummum eſſe imperium, etiamſi ù, qui imperaturus eſt, promittat aliqua ſubditù aut* DEO, *etiam talia, quæ ad imperij rationem pertineant. Nec jam*, inquit, *de obſervatione jurù naturalis & divinæ, adde gentium, loquor, ad quam reges omnes tenentur, etiamſi nihil promiſerint, ſed de regulis* An Majeſtati detrahat jurare? *l. 1. cap. 6 loc. cit. num. 16.*

quibusdam, ad quæ sine promisso non tenerentur. Adducit pro suæ sententiæ firmamento Reges Persarum, Æthiopum, Ægyptiorum, Epiri, Sabæorum, quorum reges ἀνυπόδυτοι & liberrima potestate præditi, si regiâ exirent, poterant lapidari. De Christianorum Regibus Johannes à Chokier in Thesauro Politicorum Aphorismorum, *Perspicuum est*, inquit, *Regem Galliæ regnum capientem, in solenni coronationis sacro* (de quo vide Sleidanum) *jurare, promittere q3, se omnia jura, libertates, privilegia publica & privata juri communi non contraria, Ecclesiis, Principibus, Baronibus, nobilibus, civibus, incolis, per suos decessores Reges justè donata, ab ordinibus q3 tempore interregni statuta observaturum &c. Justitiam q3 omnibus incolis juxta jura publica administraturum. Quod si Sacramentum violârit, nullam illi incolæ obedientiam præstare teneantur &c. Eadem q3*, inquit, *reliquorum Regum Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, Imperatoris Germaniæ in suis Christianis regnis & Imperiis conditio.* Adde appositissimum Johannis Angliæ Regis initio patriæ leges & libertates confirmare juramento renuentis, mox, ut id faceret, compulsi exemplum.

Lib 2. c. 2.

An fœdus inæquale?

§. 17. Nunc id quoq; considerandum pro materiæ præsentis complemento venit, an, qui fœdere inæquali tenetur, summa privetur potestate. Duo sunt genera fœderum propriè dictorum. Alia pari jure feriuntur, ut nec dentur leges nec accipiantur, sive hostes fuerint, qui in amicitiam veniunt, sive non fuerint. Tale Antiochus cum Romanis contrahere cupiebat, & cum Alexandro Darius: tale primis vicibus Romanos & Carthaginenses ligabat, ut mutua utriq; populo & utriusq; sociis amicitia esset, nec uni liceret, quod alteri negatum esset. Et quanquam postmodum in pejus Carthaginensium res corrueret, ut magna ditionis parte multarentur, & duo millia atq; ducenta talenta in decem annos iis imperarentur, Majestatem tamen non amiserunt, quippe quæ latitudine imperij aut pensionibus non est æstimanda, sed summa in civitate potestate. Sed de hoc genere fœderum, quæ æqualia dicuntur, etsi, qui fœdus faciunt, non sint semper æqualis potentiæ, nulla esse dubitatio potest, quin utriusq; populi Majestatem relinquant salvam. Alia fœdera inæquali jure constituuntur, quæ

ex

ex ipsa vi pactionis prælationem quandam alteri parti præbet, ità ut alter populus alterius majestatem comiter conservare, h. e. majoris in fœdere salutem & honorem non gravatè procurare, & quæ his adversa sunt, avertere, quantum potest, teneatur. Unde dictus κατ' ἀναλογίαν inferior in fœdere Cliens est, superior Patronus.

§. 18. Hæc difficultas expediri nequit, nisi prius constiterit, quæ fuerint apud Romanos leges clientelæ & patrocinij, quæve clientum & Patronorum officia, quæ ipsa dilucidè explicat Dionys. Halicarnasseus, quem audire operæ pretium erit. Verba ejus ita habent. *Jus illud Patronatus à Romulo tunc præscriptum, diuq; à Romanis observatum, hujusmodi constabat officiis. Patronos oportebat clientibus respondere de jure, cujus illi rudes essent, & absentium æquè ac præsentium curam gerere, facientes, quicquid pro filiis patres solent facere quod ad pecunias & pecuniarios contractus attinet; & lites pro clientibus suscipere, si eis contrà jus in contractibus afferretur detrimentum: Itidemq; si in jus vocarentur, sustinere accusatoris impetum: & ut compendio dicam, quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à privatis publicisq; negotiis. Vicissim clientum erat, patronos in elocandis filiabus juvare, si eis parum esset pecuniæ; & si ipsi vel eorum filij capti essent, pretium hosti dependere: privatarum quoq; litium perditarum æstimationes & mulctas publicas pecuniarias pro eis solvere, idq; sumtu proprio, non fœnere, sed gratis: in magistratibus item & muneribus gerendis, cæteris q; publicis impendiis sumtuum partem non minus quàm genere propinquos sustinere. Commune autem utrisq; erat, ne fas aut jus esset alteris accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut cum inimicis examinari &c.* Adde, quæ cap. sequenti habentur.

Prænotantur clientis & Patroni officia. *lib. 2. Antiquit. Rom. c. 10.*

§. 19. Quibus præmissis Clientes non amittere summum in suos imperium respondemus. Apertè Cicero *penes priscos Romanos patrocinium fotiorum fuisse ait, non imperium.* Et passim à Livio distinguuntur *in fide* esse, & *in ditione* esse. In fide est qui obsequio & reverentia Patrono & defensori devinctus est. In ditione, qui alteri subjectus est. Atq; duo hæc Samnites apud Livium accuratè distinguunt, *se* videlicet *in fide, Campanos in ditione Romanorum esse dicentes.* Adeoq; sicut cliens privatus libertatem non amittit personalem: ita cliens populus non amittit libertatem

Cum Majestate stare cliente la potest. *lib. 2 offic. lib. 8.*

tem civilem ſ. ſummam poteſtatem, quatenus cliens tantum eſt. Tales erant Reges, quibus patrocinium & auxilia Romani præſtabant, non deminuto ſummo, quod habebant, in ſubditos jure imperioq;. Ideo cum Herodes filios ſuos ad Auguſtum detuliſſet, Alexander excuſationem ſic orditur: *Si animus tibi fuiſſet ſupplicio nos afficere, non deduxiſſes nos ad eum, qui audit ſervator omnium.* *Joſeph. lib. 16. c. 7.* *Poteras enim de nobis ſupplicium ſumere tua poteſtate quam in nos habes, quà Rex, quà Pater.*

Objectio diluitur. *loc. cit. num. 21.*

§. 20. Dices, ſi accuſari potuerunt Reges apud Patronos, quomodo ſummum imperium non amiſerunt? *Sciendum eſt*, inquit H. Grotius, *quatuor incidere poſſe controverſiarum genera. Primum eſt, ſi ſubditi populi aut regis qui in fide eſt alterius dicantur feciſſe contrà fœdus: deinde, ſi ipſi populi aut reges accuſentur: tertio, ſi ſocij, qui in ejuſdem populi aut regis fide ſunt, inter ſe litigent: quarto, ſi ſubditi conquerantur de injuriis eorum, quorum ſunt in ditione. Prima ſpecie ſi peccatum appareat, tenetur Rex aut populus, eum qui nocuit, aut punire, aut ei, cui nocitum eſt, dedere: tum operam dare, ut damna reſarciantur. Secunda ſpecie jus habet ſocius cogendi ſocium, ut ſtet fœderis legibus, atq; etiam puniendi ni ſteterit. Neutra ſpecies majeſtatem infringit, cum hæc in æquali quoq; fœdere locum habeant. Tertia ſpecie ſicut in fœdere æquali ſolent controverſiæ deferri ad conventum ſociorum, aut ad arbitros, aut ad principem fœderis tanquam communem arbitrum: ita in fœdere inæquali plerumq; convenire ſolet, ut controverſiæ diſceptentur apud eum, qui ſuperior eſt in fœdere. Quare ne hoc quidem oſtendit imperij poteſtatem. Nam & reges apud judices à ſe conſtitutos judicio contendere ſolent.* Quomodo Senatum Rom. controverſias civitatum ac gentium ad earum patronos remittere ſolitum eſſe eorumq; judicia rata habuiſſe, ſcribit loc. cit. Halicarnaſſeus. *In poſtrema demum ſpecie* ſi jus eſſet cognoſcendi ſociis, revileſceret atq; minueretur Majeſtas: Sed nullæ hic ſociorum partes, *nullum cognoſcendi jus eſt.* Neq; obſtat, quod *parere* clientes aut *dicto obedientes* eſſe dicantur: unde pro Dejotaro Cicero: *Venit ad Pompejum vel legatus, ut amicus, vel accerſitus, ut ſocius, vel evocatus, ut is qui Senatui parere didiciſſet.* *Imperata* autem *non facere, ſignum libertatis eſt*, inquit Iſocrates. *in Archid.* *Aut enim agitur*, inquit Grotius, *de rebus*

rebus ad commune bonum societatũ pertinentibus aut de utilitate privata ejus, qui superior est in fœdere. In rebus communibus extra tempus conventus, etiam ubi fœdus æquale est, solet is, qui lectus est princeps fœderũ, sociis imperare: Unde non est mirum, si in fœdere inæquali idem faciat, is, qui superior est fœdere. Imperium ergo hoc sensu, libertatem aliorum non tollit. In iis vero rebus, quæ ad propriam utilitatem spectant superiorũ, postulata solent imperia dici, non ex jure, sed ex effectus similitudine, sicut regum preces imperia sæpe esse dicuntur, & ægrotũ imperare medici &c. Interim verum est accidere plerumq;, ut, qui superior est in fœdere, si is potentia multum antecellat, paulatim in perium proprie dictum usurpet, præsertim si fœdus perpetuum sit & cum jure præsidia in opida inducendi, &c.

§. 21. Tandem & hoc quæri solet, an feudataria regna v g. Bohemiæ, Neapolitanum summam retinere potestatem possint? De censualibus quoq; seu tributariis regnis multi litem intendunt, sed vanam: cum aliud sit tributum, quod exigitur à subditis, aliud sit pensio, quæ conventionis & societatis jure à fœderatis vel finitimis servandæ paci, tollendisq; incursionibus & populationibus finium exsolvitur, quomodo in Rep. Rom. Decebalum Dacorum Regem cum armis vincere non posset, annui tributi (quod honestiori nomine munus aut stipendium vocabant, Herodian. σύνταξιν, Nostri ein præsent) pensitatione placavit, quod secuti Trajanus & Hadrianus, aliiq; deinceps Principes: hodie non noster solũ Imperator Turcæ, sed Turca quoq; Regi Æthiopũ & populis, qui Arabiæ montes tenent, magnam pecuniam quotannis solvere cogitur. Tributa ergo qui pendit, hoc quidem nomine Majestatem non amittit. Verum quid eis fiet, qui feuda à manu Domini recipiunt, num Majestatem retinere salvam possunt? Qui, quæ de clientibus diximus, credula aure imbibit, eum multò æquiorem Vasallis fore arbitramur, cum inter clientes & Vasallos magna intercedat similitudo. Differunt tamen in hoc, quod pleno jure clientes bona sua possiderent, Vasalli non item: sed ad quæstionem propositã respondeat H. Grotius, cujus verba consulto toties in hoc argumento usurpamus. *In hoc,* (loquitur de nexu feudali) *contractu, qui proprius est Germanicarum gentium, neq; usquam invenitur, nisi ubi Germani* loc. cit. num. 23.

An Vasallus majestatem retineat?

sedes posuerunt, duo sunt considerandа, obligatio personalis, & jus in rem. Obligatio personalis eadem est, sive quis ipsum jus imperandi (ut Rex Bohemiæ) *sive aliud quidvis etiam alibi situm* (ut Rex Daniæ respectu Holsatiæ) *feudi jure possideat. Talis autem obligatio sicut privato non erat demtura jus libertatis personalis, ità nec regi aut populo jus demit summi imperij, quæ libertas est civilis, quod apertissimè conspici datur in feudis liberis, quæ Franca vocant, quæ nullo jure in rem, in sola personali obligatione consistunt. Hæc enim nihil sunt aliud quàm species fœderis inæqualis, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præsidium & tutelam. Pone etiam adversus omnes promissam operam quod feudum ligium vocant, nihil id de jure summi imperij in subditos detrahit: ut jam taceam, semper inesse conditionem tacitam, dum justum sit bellum. Jus vero in rem quod vttinet, id quidem tale est, ut ipsum imperandi jus, si feudi jure teneatur, aut familia extincta aut etiam ob certa crimina amitti possit. Sed interim summum esse non desinit: aliud enim est res, aliud rem habendi modus. Et tali jure multos video reges à Romanis constitutos, ità scilicet ut deficiente regia familia imperium ad ipsos rediret, quod de Paphlagonia aliis nonnullis Straboni notatum.*

lib. 12.

Majestatis Jura.

§. 22. Definitionem Majestatis vidimus: tempus & pagina monent, ut explicandis Majestatis proprietatibus, quas Jura dicimus Majestatis, accingamur. Ut in anima nostra se res habet, ita in Majestate. Anima nostra simplex est & impartibilis, multis diversisq; instructa potentiis, intelligendi, volendi, sentiendi, generandi &c. quarū potentiarum exercitium, usus sive actus secundus in corpore non ubivis apparet, sed certi actus in certis membris v. g. actus intelligendi in cerebro, videndi in oculo, audiendi in aure: quamvis ipsæ potentiæ indivulso nexu animæ, quæ ubiq; eadem est, tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte, cohæreant, sitq; v. g. potentia videndi in calcaneo quoq;, ibi visura, simul ac idoneum isthic organum ponatur. Ad eundem modum Majestas in Reip. corpore est, tota in toto, tota etiam in qualibet ejus parte, ubiq; potestate & juribus, quæ paulo post enumerabimus, instructa: quorum exercitium ibi demum apparet, ubi organum sibi constituit Majestas. Et sicut anima, quæ in semine est, corpus sibi fabricat, quale ex usu sibi futurum esse novit, singula membra apto ordine

locat,

locat, singulis usibus unumquodque destinat, ipsa universam corporis perfecti molem replet, actuat & quoquoversum agit: Ita Majestas, quæ civitatis & legum anima est, sine qua civitas cadaver futurum esset, ipsa sibi constituit & disponit organa ad gubernanda pacis belliq; tempora, atq; hoc consilio populum in classes, Rempubl. in Ducatus, Comitatus, Urbes distinguit, & velut Spiritum vitalem animalemq; in universa diffundit. Quæ clarebunt magis, ubi, quæ & quot sint Majestatis jura, subjunxerimus.

§. 23. Duo sunt Reipub. tempora, otium & Negotium, seu Pax & Bellum. Spectatur ergo Majestas tum regendo Rempub. quod fit pacis tempore, tum defendendo, quod fit bello. Jura Majestatis, quæ in pace magis exercentur, Legibus constant & officialibus: quanquam utraq; certa ratione ad bellica quoq; tempora porrigatur. *Primum* ergo *Majestatis jus* est potestas condendi Leges, easq; tollendi tàm in secularibus, quàm in Ecclesiasticis, quatenus horum quoq; externa dispositio ad Majestatem spectat. Huc spectat potestas privilegia concedendi, nobilitandi, veniam criminosis indulgendi, famæ restituendi, legitimandi: imò huc rectè refertur jus monetam cudendi, quæ est quædam lex (numus sc. ἀπὸ τοῦ νόμου) & mensura omnium Reip. possessionum. *Secundum Majestatis jus* in Officialibus (sine quibus Leges, quod corpus sine anima, sunt) constituendis occupatum est. Officiales tempora pacis gubernant vel cum potestate, vel sine ea. Sine potestate est Senatus, quatenus talis: Cum potestate sunt, eâq; vel ordinariâ, ut Magistratus, Judices, (huc refertur extrema provocatio) censores &c. vel extraordinariâ, ut Legati. *Tertium jus Majestatis* in armis situm est, ut tum interna tum externa vis propulsetur. Huc pertinet potestas bellum indicendi, componendi, fœdera ineundi, exercitus conscribendi, bellicos creandi officiales, legatos mittendi, recipiendi, & si quæ sunt his similia. *Quarta classis Majestatis jurium* velus confinia pacis & belli attingit, atq; Dominium eminens s. universale complectitur, cujus domi militiæq; usus longè clarissimus est. Huc rediguntur jura, ut vocantur, fiscalia, quæ in triplici sunt classe. In prima *sunt viæ publicæ, &c.* In secunda *multarum penarum & compendia &c.* In tertia *vectigalia, &c.* De quibus omni-

In quatuor classes divisa:

Leges:

Vid. Disp. 3. §. 17. num 8 9.

Officiales

Bellum.

Fiscus.

lib. 3. de Jur. Maj.

ap. 3. sub fin. omnibus videatur Arnisæus. Quanquam enim unicuiq; in rem suam dominium privatum, quod vocant proprietatis, competit, exigente tamen salute publica cessare privatum dominium vel in toto vel in parte potest, & dominium eminens, quod universale vocant, prævalere. De quibus omnibus sequentibus Disputationibus agendum est.

Quomodo distinguantur à Majestate? Et, an queant communicari?

§. 24. Quomodo, quæ ordinavimus, Jura Majestatis ab ipsa Majestate distinguantur, & num ab eâdem separari possint multi satis intricatè disputant. Nos proposito exemplo insistamus. Ut se habet anima ad potentias, ita Majestas ad sua Jura. Potentiæ ab anima nunquam separantur, imò secundum acutiores Philosophos ne separari quidem possunt, quippe cum ab ipsa anima secundum rem non differant: nec communicantur potentiæ animæ cum corpore, ità ut fiant propriæ corporis & desinant esse propriæ animæ: quæ communicatio propriorum inepta est & absurda. Dices, nonne in oculo v. g. est potentia videndi, quæ tamen ipsa est [animæ proprietas? Tenendum, potentiam vel spectari posse formaliter: vel materialiter, adeoq; organicè. Quæ in oculo est potentia, tantum materialis est & organica, secundum essentiam suam ab anima pendens. Ad eundem modum Jura Majestatis sunt à Majestate inseparabilia, formaliter ea si spectes: quod tamen ipsum non obstat, quo minus communicari materialiter possint, h. e. quin per certa organa v. g. ordines regni (in quibus est potestas materialis & dependens, ac subinde confirmatione eget) Majestas propriam potestatem & summam in actum educat. Quomodo extrema provocatio cum Senatu, Præfecto prætorio, hodiè cum Electoribus nonnullis communicata legitur. Quomodo item v. g. Duces imperij, Liberæ urbes, jus monetæ, aliaq; obtinent non potestate propria, (quod est formaliter) sed ab Imperatore concessa confirmataq; (quod est materialiter) adeoq; eminentissima sunt organa Magni Imperatoris. Communicatio ergo jurium Majestatis ad indolem communionis propriorum sic instituenda est in Republ. quæ ordine absolvitur, (in Anarchia quivis quidvis invadit) ut non desinant esse propria Majestati, nec unquam fiant propria subditorum.

Disp. VII. Respond. Nisseno Joh. Nissen / Holsato.

DEO DUCE!

DE Monarchia

§ I.

Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt, ut ait Cicero: cum quo Sacræ consentiunt literæ, quæ imperium antiquissimum in Assyria Nimrodo Principe constitutum, in Ægypto, Palæstina, Arabia, imperium unius viguisse docet. Prima ergò Reipubl. forma atq; summa species est Monarchia, eademq; simplicissima, &, ut infrà pluribus dicetur, perfectissima, adeoq; ipsi Naturæ consonantissima: quæ causa est, cur post tractatam in genere Rempubl. hæc primum sibi vendicet locum.

Ratio ordinis 3. de LL.

§. 2. Est autem Monarchia Respublica, in quâ τὸ κύριον sive summa potestas est penes unum. De potestate summa, quam Majestatem vocamus, singulari disputatione egimus. Nunc, quod penes unum illa sit, atq; esse debeat, paucis ostendendum. Divisas olim Monarchias in duos pluresve loquuntur historiæ: sed cum monstrosâ quâdam ἀταξίᾳ, cumq; grandi Monarchiæ detrimento. Nam quod Aristot. *iis, qui duo principia ponebant, necessarium esse* dicit: *ut unum principium principalius* ἀρχὴν κυριοτέραν *ponant*, id verò hic imprimis valet, cum, ut disp. præc. dictum est, ut omnis ità civitatis quoque ordo (ἐν γὰρ τάξει τὸ εὖ) referatur ad unum primum. *Arduum est*, ut ait Tacitus, *eodem loco potentiam & concordiam esse*: quin *in sociabile regnum esse, raramq; in eo fratrum quoq; concordiam esse* Neronis & Britannici exemplo firmat. Romulum hæc causa in Fratris necem egit: quò minus mirandum est, eum Tatii necem, minus ægrè, quàm dignum erat tulisse, ut loquitur Livius, additq;, seu ob infidam societatem regni, seu quia haud injuria cæsum credebat. Nam *si violandum est jus, imperii gratiâ violandum est: aliis rebus pietatem colas.* Quos versus ex Euripide vertit & expressit Jul. Cæsar.

Monarchiæ definitio.

12. Met. cap. 10.

4. Annal.

Suet. in Cæs.

Ejusdē divisio.

§. 3. Monarchiæ species sunt, Regnum & Dominatus. Regnum est Monarchia, primò ad publicam, secundario ad Regis ipsius salutem directa. Quemadmodum Nauta, dum alios vehit, se quoq; secundaria intentione vehit: ità Rex, dum publicum curat primò, consequenter suam ceu capitis rem, non potest, quin agat. Non enim Rex est, nisi qui rectè facit. Pulchre Plato:

1. de Rep.

Quid Regnū.

Profecto pastorali arti nihil aliud curæ est, quam ut id, quod custodit, se optimè habeat: sic necesse est principatum nullius alterius bonum prospicere; nisi ejus quod sub illo sit, & ab eo curetur, sive privatus sit sive publicus. Paulò ante idem dixerat: ἐδεὶς ἐν ἐδεμία ἀρχῇ, καθόσον ἄρχων ἐστὶ, τὸ αὐτῷ ξυμφέρον (sive τὸ τῷ κρείττονι συμφέρον) σκοπεῖ, ἀδ' ἐπιτάττει, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένῳ, καὶ ὧ ἂν αὐτὸς δημιεργῇ καὶ πρὸς ἐκεῖνο βλέπων καὶ τὸ ἐκείνῳ ξυμφέρον καὶ πρέπον (quod alibi τὸ τῇ πόλει βέλτιστον vocat) καὶ λέγει ἃ λέγει, καὶ πράττει ἃ πράττει ἅπαντα. Paucis officium regis & generatim complectitur, quod particulatim percensēt Bodinus, dicitq; Regem nominis mensuram sui repleturum, *si pura religione Deum, pietate patriam, caritate propinquos, benignitate egentes, æquitate singulos, justitia universos complectatur: Si prudentia & altitudine animi in consiliis; fortitudine in rebus gerendis & alacritate; modestia in prosperis; constantia in adversis utatur: Si denique erga fœderatos amicum se; adversus hostes formidolosum; erga bonos amabilem; in sceleratos terribilem; in utrosq; admirabilem; in socios fidum, adversus humiles facilem; in arrogantes excelsum se præbeat.*

de Rep. 3.

lib. 2. cap. 3

Regni genera ex Arist.

§. 4. Regni genera quinque proponit Aristoteles, quæ tamen omnia πρώτως καὶ κυρίως regna non sunt. Primum est Laconicæ Reip., in quâ Reges similes Imperatoribus Romanis erant, quorum potestas bello tantum valebat, pace valde in arcto

lib. 3. Pol. cap. 14.

nec pro Monarchis erat: hoc superficietenus non reverà regnum est. Secundum est eorum, qui plenam quidem habent potestatem, sed talem, quâ abuti ad suum commodum, quamq; corrumpere possunt: quod si faciunt, umbra regii nominis superbiunt, ipsâ re vacui. Tertium Æsymnetarum (qui dicti ὡς ἄισυμα νοοῦντες justa cogitantes) qui non uniusmodi erant: modo namq;

in

in perpetuum eligebantur, modo in certum tempus, quales dictatores Romani; aliquando rerum omnium liberâ potestate armabantur, aliquando certarum solum, quibus respondent Protectores. In hac varietate quinam Reges dicendi sint, qui non, ex iis, quæ diximus, constat. Quartus modus Regni Heroicus, 1. Heroum tempore usitatus dicitur, cum quis ob ingentia merita concordibus populi suffragiis unà cum posteritate Rex designabatur, imperio non prorsus libero aut absoluto, sed ad arbitrium belli, sacrorum, eorumq; non omnium, controversiarum præterea civilium restricto. Deniq; Quintum, adeòq; propriè dictum Regnum est, quod Arist. vocat παμβασιλείαν, cujus conditiones sunt duæ: Prior hæc, ut penes unum sit summa plena liberaq; rerum cunctarum communium unius vel etiam multarum civitatum aut gentium potestas. Secunda est ut talis omnia administret ad exemplum domestici regiminis, quod Patri in liberos est, adq; eorum commoda unicè & principaliter spectet. Dicitur autem παμβασιλεὺς, cum, ut loquitur Livius, *ubiq; Regi nutus pro Lege habetur*, sine tamen hujus violatione: neque inanimâ Lege, tum opus esse videtur, cum Lex est animata, qualem modo depingebamus Regem. Neq; si ex hac norma Reges essent, inviti passuri essent populi, *Leges in arbitrio Principis perinde esse ut in potestate gubernatoris ipsa gubernacula, quæ essent inutilia, nisi ad omnem cæli faciem & oportunitatem moveri & converti possent, ne ipsa navis cum gubernatore prius naufragium patiatur, quam vectores consuli possent*, ut Sextus Cœcilius dicere solebat.

§. 5. A Regno dominatus differt. Imperium enim, quod procurat commodum illius, qui præest, primaria intentione, dominatus dicitur, eò quod non secus ac in familia dominus subditis ut servis utitur & mancipiis ad suum commodum, non autem ut servis inde quid accedat, nisi per accidens. Sicut ergò Rex, qui Patris imaginem præfert expressam, liberis atq; ingenuis imperat, ut eorum commoda primò intendat: Ità dominus primò sua procurat commoda, &, ne his ipsis aliquid decedat, secundariam curam ad subditos deflectit. Est quidem æqua utriusq; potentia, sed Rex illa non utitur, nisi, ubi publicum exædificari bonum po-

Regni & dominatus differentia. *Arist. 7. Pol. cap. 14*

test; Dominus etiam utitur, ut suis compendiis inserviat. Quamobrem verus Rex etiamsi possit & liceat, subditos bonis non exuit, sed dominio contentus eminenti, cuiq; rerum suarum proprietatem relinquit: Dominus contra, ubi libet & visum est sibi profuturum bona subditorum invadit, nec quicquam *nisi suo beneficio* possideri patitur. Tales Reges Persarum, qui ut apud suos omnium rerum domini & Personarum, quas ità addictè regebant, ut *jussi*, verba sunt Ambrosii, *abire in ignem, cunctari* non possent, nec sibi parcere, si quà ferrum in propria jussi essent expedire corpora: Ità à devictis gentibus petebant sibi tradi terram & aquam: quasi πάντων τῶτων κύριοι fierent: ὅπ τὸ διδόναι γῆν καὶ ὕδωρ, ut ait Arist. δουλεύειν ἐστί. Quæ causa est, cur à suis adorarentur.

Quibus conveniat dominat⁹. *Vid Arist. 7. Pol. cap. 7.*

§ 6. Hinc claret, gentibus servire natis dominatum competere Asiaticis magis quam Europæis: nisi quod & inter hos Gothi, Vandali, Longobardi, Hunni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, & si quæ aliæ nationes Germanicæ partes optimas Romani imperii bello occupârunt, dominatus formam in Europam quoque induxisse videntur; dum noluerunt quenquam terræ glebam, nisi suo beneficio possidere. Dominatum tamen, quem adductissimum habent Reges Æthiopum, item Persarum, Indiarum, Parthorum & universæ Asiæ, pleræque jam dictæ nationes vel metu defectionis populorum libertati assuetorum & servire nesciorum, vel potentia diffisæ suâ inflexerunt nonnihil & remiserunt, fertilissima, ut loquitur Bodinus, quæq; prædia sibi reservantes: cætera fiduciæ nomina veteribus colonis ruenda permiserunt exigui vectigalis lege dicta, si possessorem mutarent. Hodie dominatus in Europa præterquam Turcorum & Moscovitarum cum Regnis commutatos esse videmus. *lib. 2. cap. 2*

An dominat⁹ sit just⁹. *lib. 2. c. 2. l. 3. Pol. c. 17. Vid. Arist. 3 Pol. c. 6 7*

§. 7. *Neque iniqvum censendum est*, verba sunt Bodini, *ut, qui hostes justo ac legitimo bello fregerit, ac domuerit, personarum ac rerum dominus sit; dum subditis, non aliter, quam bonus Paterfamilias servis utatur; ut quidem gentium ferè omnium moribus ac institutis receptum videmus: qui verò injusto bello fractos imperio subjecerit, eorumq; bonis ac personis servilem in modum & ad libidinem abutitur, tyrannus est.* Quo sensu Arist. qui alibi herile & dominicum Imperium pro justo habet, non dubitat exerrans appellare.

Sed

Sed audiamus Bodinum, qui sub finem capitis nodum proponit & dissolvit. *Hic*, inquit, *dubitet aliquis, nam tyrannidis appellatione veniat etiam rerum ac personarum dominatus, quod naturam ipsam & hominum societatem, quae uniuscujusq; libertatem ac rerum dominia tuetur oppugnet. Id quidem quodammodo cum naturâ, cumq; ipsa hominum consociatione pugnare videtur. Sed cum ea sit hominum vis seu innata cupiditas, ut in otio ac tranquillitate diu vivi non possit, & identidem bella gerantur, magnam partem injustè illata; nonne aequum est eos, qui aliis iniquè bellum inferant, victos, vel rerum suarum damno vel morte, vel servitute coërceri? Haec justa dominandi lex est, dum jure, quoad potest, agatur, & abstineatur crudelitate.* Videatur Disputatio nostra de Herili societate.

Olim provinciis imperabatur militiae delectus tributa, tum Româ quotannis mittebatur, qui Rom. lingua jus diceret.

§. 8. Hactenus de Monarchia, ejusq; speciebus: nunc, quibus illa modis deferatur, considerandum. Inter alias, quas enumerat Bodinus, primariae sunt ad Monarchiam viae Electio, successio, Sors. Plato principatum, qui sorte obtingit, DEI gratia & felicitate eximia constare, justumq; esse ait, ut quem sors delegerit, imperet, quem repulerit, pareat. Et procedente sermone Spartanae Reip. felicitatem DEO deberi & sorti adscrit. Enimvero utilius esse nonnunquam sorte quàm suffragiis Principem duci rectè probat Bodinus: quod ad semina discordiae tollenda plurimum sors valeat, sc. ubi vel ea est necessitas, ut nec ratio nec consilium adhiberi possit, aut etiam aequalitas duorum pluriumve Candidatorum, ut, uter genere, virtute, opibus praestet, nequeat dijudicari. Praeter hos casus sorti rem tantam committere esset DEI providentiam experiri, adeoq; fortunam solicitare velle, ubi consilio locus est: quod temerè fieret & profanè.

Viae ad Monarchiam. *lib. 2. c. 3. lib. 3. de LL.*

Sors. *Vide Plat. 6. de LL.*

§. 9. Ordinariè ad Monarchiam venitur Electione vel successione. Utra praeferenda sit, dimicant Autores maximi, gravissimiq;. Hodie Viri summi pro successione pronunciant, à quibus recedere, nisi urgentissima sit causa, non debemus. Arist. Electionem praeferre videtur apertè, quando Carthaginenses praefert Spartiatis, ob jus liberae electionis: Simul consilium promit ad instituendam electionem unicum, dum *satius esse ait, neq; ex eodem perpetuo genere, neq; ex quovis & forte fortunâ oblato sed aliquo praestanti Reges* (NB. de regno, quod primaria est Monarchiae species & regula quaedam, loquitur, non de dominatu: hujus enim est successio)

Electio temperanda successione. *l. 2. Polit. cap. 11.*

sumi. Scilicet ne vilescat Regia potestas in minutos aut viles collata, Generi præstanti & benè merito hæc gratia referenda est, ut, quoad potest, ex eo successores eligantur. Nam, ut Medici, ità Principis mutatio periculi plena est, & imperio assvetis familiis videtur aliquod sacrum inesse, gratioresq; sunt, qui ex stirpe leguntur. Imò quod caput est, Electionis hoc temperamentum efficiet, ut & Pater devinctiorem sibi accurata administratione populum reddere laboret, & Filij ad Virtutem constantissimè colendam excitentur. Sic respondetur palmario argumento eorum, qui pro successione pugnant, atq; in hunc modum arguunt: Regem aut peregrinum aut civem electurus est populus. Si civem, factiones existent atq; ferocissimus quisq; cupiet emergere; Si peregrinum, rerum omnium mutatio & conversio erit. Jam diximus, electionem esse continendam, quantum potest, in regia stirpe. Hac extincta eadem difficultas premit, imò major, successionem quàm Electionem: & vel tandem deficiente regia stirpe quanquam invitis ad Electionem, eamq; quò magis inusitatam, eò magis periculosam veniendum est.

Ratio Prima pro Electione 2, off.

§. 10. Sed amplius videamus rationes, quas afferunt Electionis propugnatores, easq; ab objectionibus vindicemus. Præclarè Cicero: *Omnino, qui Reip. præsunt, duo præcepta Platonis teneant. Unum ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliqua deserant. Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gubernanda est.* Subjungimus ipsum Platonem: *Qui rectè magistratus accepturi sunt, eos* dicit *oportere satis ab adolescentia probatos fuisse tam ipsos quam suos usq; ad ipsam electionem.* Electionem svadet: quia optimi & dignissimi eligi possunt. Nam qui non didicit ἄρχεσθαι nescit ἄρχειν: *qui nunquam servivit, is laude dignus dominus esse non potest: Et qui benè imperat, paruerit aliquando necesse est, & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.* Plinius cum dixisset, *omnibus imperaturum, eligi ex omnibus debere,* addit: *Miserum enim est, si Senatum Populumq; Rom. exercitus, provincias, socios uni transmissurus è sinu uxoris eum accipias, summæq; Potestatis hæredem tantum intrà domum tuam quæras, non per totam civitatem oculos circum-*

l. 6. de LL.

Arist. lib. 3. c. 4.

Cic: de LL. 3

in Paneg.

circumferas, & hunc tibi proximum, hunc conjunctißimum existimes, quem optimum quemq; diis similimum inveneris. Non enim servulis tuis dominum sed principem civibus tuis daturus es. Ergo præstat vitam cujusq; spectari, non genus, nec natalibus imperium tribui, sed virtuti.

§. 11. Dices: Posse quidem optimum eligi, at obstare, quod Electores affectu præpediantur, vel externa eorum, quos regno destinant, specie fuco circumlita frustrentur; fieri quoq; sæpius, ut electi vi imperij convulsi ex optimis insolentissimi fiant. Resp. electionem legibus & prudentia plurium atq; religione gubernari oportere. Quod Plato monet verbis, quæ modò citabamus, salubre monitum, statim subjungens: *Deinde eos, qui suffragia laturi sunt, legitimis esse oportet moribus educatos: ut facilè queant admittendos & repellendos cognoscere, & erga utrosq; pro dignitate se gerere.* τὰς μὲν ἂν ἄλλας (ἀρχὰς) κὴν βραχύτερον ἔργον· νομοφύλακας δ' ἂν ἡμῖν πρώτας αἱρεῖσθαι ἀναγκαιότατον ἁπάσῃ πρᾶξιν. Nec minus consultum quàm usitatum est, ut jurejurando prius adstringantur Electores quàm suffragia ferant. Quod ultimis verbis torquebatur telum in Electione melius eliditur, in successione quî potest? Quem regem primores elegerunt, eundem Tyrannum & degenerantem deturbare de fastigio possunt: successor, si in pessima labatur, quo pacto revocabitur? Ne jam dicamus, frequentius degenerare successores, quàm Electos, qui nec innutriti semper potentiæ sunt, & ab Electoribus leges & fræna immodicæ potestatis accipiunt. Tandem quid moderatius Dario? quid Xerxe & Cambyse tumidius? Quis nescit, Imperatores fermè omnes, qui hæreditario jure imperium adierunt, excepto Tito, sceleratos homines fuisse; qui vero eligebantur, Viros bonos & laude dignos se præstitisse? Quamobrem *adjurabatur in Senatu Tacitus, ut, cum mori capisset, non liberos suos, sed optimum quemq; principem faceret, ut memorat Vopiscus.*

Remoto obstaculo

l. 6. de LL.

§. 12. Contrà à Successione quid exspectari commendatione digni ac præclari potest? Tralatitium est: ἡρώων παῖδες βλαβαὶ non solum, quod ante patræ à majoribus gloriæ acquiescunt ipsi desides, obscuri, turpes, sed quod recte atq; ordine adeòq;, prout decet

Vibratur in successionem

decet, severâ lege educari inter aulæ pestes delitias atq; blanditias
de LL. 3. difficilimum sit & propemodum ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Plato causam cur Persarum Reges postremi nomine potius quam re magni exstiterint, expromit, *& non fortunam fuisse causam ait, sed vitam malam,*
1. Eth. 3. *quam filii valdè divitum tyrannorumq; τὰ πολλὰ vivunt.* Politicus ea quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fiunt respicit) ὃ γὰρ μήποτε γένηται παῖς καὶ ἀνὴρ καὶ γέρων ἐκ ταύτης τῆς τροφῆς διαφέρων πρὸς ἀρετήν. Neq; tamen negamus, ex institutione aulica optimos quoq; prodiisse principes: quamvis frequentius multò sit, nimiam licentiam, rerum copiam, aulicos vel stultos vel detestabiles corrumpere benè quoq; nata ingenia, imò doctrinâ malitiam armari. Porrò, quanti facturum existimamus institutionem & virtutem, qui scit, sive bonus sit, sive malus, indubium se Paterni Principatus hæredem? Contrà nonne contentissimè vivet, sibiq;, quantum assequi diligentia humana potest, admoderabitur, qui prudentum & gravium Virorum judicia vel extimescit vel sperat?

Secunda ratio pro Electione.

§. 13. Deinde Electio Virum dat non minus perfectæ ætatis quàm virtutis. At in successione sceptra ad fœminas, pueros, furiosos transeunt. Inde quæ incommoda in Rempubl. impendent, ubi vel fœminæ imperant, vel pueris ipsæ sive Tutores præficiuntur! Et de pueris audiatur Metus Falconius apud Vopiscum: *Dii avertant principes pueros. & patres patriæ dici impuberes! quibus ad subscribendum Magistri literarii manus teneant quos ad consulatus dandos dulcia & circuli & quæcunq; voluptas pueriliter invitet!* De imperio fœminarum paulò post agendum est. Hoc successionis incommodum tantum abest, ut negare aut avertere queant Successionis Patroni, ut *grande* fateantur: *quod immittit DEUS, ubi ei visum est punire regna & immutare.* Sed hoc ipso incommodo quid usitatius? In uno regno Galliæ quot exempla intrà ævi spatium colligere licet?

Odi tutores qui ipsi Tutore egent Lipsl. lib. 2. Monit. & ex polit. cap. 4.

Dubiũ amovetur.

§. 14. Dices: majus incommodum futurum, si extincto Rege res ad Interregnum recidat, nec ad Electionem protinus veniri queat, quæ res non unam Rempubl. in casum dedit. Resp. huic Anarchiæ paratam esse in mundo medicinam per Vicarios, quorum potestas, ne regnum invadant, certis cancellis circumscriben-

da

da est, adeòq; efficacissimè circumscribitur ipsa temporis brevitate. Magnum enim ad continendos in officio Magistratus vim habet, quod magna imperia non sunt diuturna, quodq; temporis modus imponitur, quibus juris non potest. Quod si regni lege perpetua ex corpore Senatus electi certi Vicarij & expressi sunt, rectius nascentibus malis obviam ibitur: semperq; tutissimum adversus Anarchian & Tyrannidem remedium erit, si duo tresve Vicarij, ut mutuo metu frœnentur, suscipiant vacantis regni administrationem. Quin incidere ea tempora possunt, ut expediat Reip. ne successor sit in incerto: quod ipsum quoq; tollendis interregni incommodis comprobatissimum remedium est. Cumq; duo quæri possint, 1. An expediat Reip. ne sit successor in incerto? 2. An expediat Principi? ad singula distinctè respondendum esse censemus. Ad primum resp. expedire. quia successore destinato manet gubernationis forma non interrupta: quâ fini successores à Tacito aliisq; dicuntur munimenta Imperij, custodes *perpetuitatis, subsidia dominationis*. Ad secundum distinguimus principes & successores. Vel enim Illi honestimæ mentis conscientia rerumq; benè gestarū freti sunt, &, qui hinc manat, subditorum amore; Hi ingenio, assvetudine & fide tales, ut exspectare malint, horreant præripere destinatum: Vel in contrarium omnia habent. Et quanquam minus sit periculum, si Princeps talis sit, qualem diximus, & successurus itidem modestus, tamen cum *cupidine dominandi nullus sit*, ut loquitur Tacitus, *affectus flagrantior*, quiq; citius homines convellat mutetq; *ut pudorem, decus, corpus, cuncta regno viliora habeant*, approbamus prudentiam Elizabethæ Anglæ, quæ, cum ordines sæpius de nominando successore interpellarent, sibi respondit ante mortem non esse fodiendum sepulchrum, operam se daturam, ne regnum incerto sueceſſore periclitaretur. Hactenus, quantum sat est, vel amplius, Electionem cum successione commisimus atq; miscuimus: deinceps, quæ sit in Regno succedendi ratio, paucis attexemus. 15. Ann. 12. Ann.

§. 15. Hugo Grotius in admirando opere *distingui debere in regnorum Successione ait regna quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt ab iis, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu.* (Vid. disp. præced.) *Priorum generum regna dividi posse etiam inter mares* Ratio succedendi.

le Jure Belli & pacis lib. 2 cap. 7. num: 12. seqq.

& fœminas, nec adoptatos minus veris liberis succedere posse: Item in talibus regnis alienabilibus s. patrimonialibus exhæredari primogenitum posse, abdicari regnum &c. exemplis probat. Quod si dictum sit, ne dividatur regnum, nec, cui cedere debeat expressum sit, ut quisq; natu est maximus, mas aut fœmina, regnum habebit. Quomodo apud Trogum Pomp. *Artabazanes maximus natu ætatis privilegio regnum sibi vendicabat: quod & ordo nascendi & natura ipsis gentibus dedit.* Sed nos regna quæ populi liberi consensu facta sunt

num: 22. & 23.

hæreditaria, quidq; in his fieri expediat, videamus. De successione lineali duplici vide Grotium.

Regna ne dividantur.

§. 16. In minoribus quidem hæreditatibus æqualitas laudatur, ne fratres cæteri, cum omnia cedant primogenito, ut in Anglia fieri solet, vel insidias huic struant (unde Nobilis olim: Unicus globulus plumbeus plus valet, quàm Natura & mater mea) vel latrones fiant, aut piratæ, vel turpes ludicrasve exerceant mercaturas, aut sordido quæstu vitam sustineant. Sed in Regnis hæc æqualitas atq; divisio in plures minimè Reip. profutura est: discerpetur ea & spargetur Regnum, fietq; oportunum ad prædam, quod individuum virium satis & ad tuendum regnum & ad civium concordiam habuisset. Prorsus in hanc rem est, quodpari verborum ipsiusq; rei amœnitate narrat Barclajus, cum Saxonia inter fratres divideretur,

Satyr. dart. 4. sap. 5.

evenisse. Ibi de tunica scissa Morio, *Incolumis*, inquit, *me decebat, ridetisq; discerptam: Ita Saxonia integro corpore viget, armis & opibus gravis, cum eam per partes laceraveritis, nemo pristinam dignitatem agnoverit.*

Regnũ debetur primogenito.

§. 17. Demonstrato, *quod firmius futurum sit regnum*, ut loquitur Justinus, *si penes unum remanserit, quam si portionibus inter filios dividatur*, amplius quæri potest ad quem ex liberis regnum devolvendum sit. Si jus divinum, naturæ & Gentium consulimus, non est dubitandum, quin majori natu regnum debeatur, utpote cui DEUS hunc honorem habuit, qui Natura prior est, quem cultiorum gentium mos ad sceptrum poscit. Sed quid si jubeat utilitas publica præferre minorem, eò quod hic dignior sit? Ut taceamus, *tum demum judicari posse, an quis meruerit honorem, postquam adeptus est*: hoc dicimus sufficere, si major non sit prorsus

Plin. in Paneg.

ineptus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0110
DFG

ineptus. Alioqui semper præsumitur natu major judicio aut jam perfectior, aut talis futurus esse. Quod si relicti sint gemelli nec certum sit, uter primogenitus sit, ad sortem vel electionem veniendum esse prudentioribus videtur. Atq; in tantum jus primogenituræ valet, ut nec in præjudiciũ primogeniti legitimatio locum habeat, nec omnio Pater filio jus suum, quod à Naturæ & Gentium lege dependet, auferre possit. An & quomodo renunciare suo Juri Primogenitus possit, alia quæstio est & ubi res præjudicio caret, nec adversatur legibus regni, affirmanda. Quod si primogenitus Filius decedat, relicto filio impubere, contentio inter hunc & Patruum oriri de regno solet, nec ubiq; eandem servatam esse consvetudinem legimus. Est, ubi viget vicaria succession, quæ repræsentatio vel jus subitionis dicitur: est, ubi non viget. Summatim, Nepotem jure divino, Naturæ (pars enim Patris est, & idem censetur cum eo) plurium Gentium subnixum esse affirmamus. Alia contentio est inter eum, qui ante regni adeptionem natus est, & eum, qui natus est in regia fortunâ. Illum præferendum esse huic affirmare non dubitamus. Neq; enim minus Regis filius est, quàm alter; neq; minus hætes, cum proximum hæredem æstimemus ex articulo, quo mortuus est, cujus hæreditas cernitur. Demum fac alios posteà natos non esse nemo prius natos excludendos dixerit. Ultimò hoc monemus ex Gratio, *non debere succedere, nisi qui nati sunt secundum patriæ leges: non naturales tantum, quia ad contemtum patent, quorum matrem pater justo conjugio dignatus non est, & præterea, quia minus certi habentur: at in regnũ expedit populo haberi maximam certitudinem, quæ haberi potest ad vitandas controversias &c.* de quibus aliisq; videatur ὁ Ἰουμάσιος Grotius.

An nepos patruo præferendus?

An is, qui ante regni adeptionem?

num: 16. An filij Naturales succedere debeant?

§. 18. Detestandos esse Primogenitos qui à cæde fratrum Regni primordia ducunt, fatentur omnes, qui communi sensu præditi sunt. Valeat hic ratio quam adducebamus §. 16. & valeat eò magis, quo gravius concuti Respubl. solent, ubi ultima desperatione in furorem animi impelluntur. Quod primo genitus succedit solus, ad utilitatem publicam & robur imperii spectat: Sed non potest esse cura salutis publicæ tanta quæ evertere Naturæ & gentium jura possint quibus alimenta genitis debentur ab jis, qui genuerunt, pro

Qui cæteris frat. & soror. prospicere tenetur.

personarum dignitate & facultatibus, ut supra latius disputatum est Nec tamen sufficere videtur ut certi reditus fratribus cæteris constituantur, cum non videatur ex dignitate Principis futurum, si careat ditione & principatu. Quantum ergo per conditionem Regni fieri potest, pars feudi assignetur minoribus fratribus: quod alibi per paragium fit, ut fratri majori eo nomine neq; fidelitatem neq; hominium debeant: alibi rectius & conducibilius regno per Homagium. Unum observandum est ne vires regni sic diminuantur vel comminuantur, quod factu facilimum esset si munita loca & extremæ oræ fratribus cateris committantur, quos credibile est imperij fraterni citò pertæsos defecturos atq; in vicinorum Regum fidem & clientelam spe melioris conditionis se commendaturos.

De successione fœminarum.

§. 19. An mulieri sceptra sint committenda diversæ fuerunt Gentium opiniones. Quædam prorsus arcuerunt tum quod à minoribus officiis publicis repellantur, videanturq; ad parendum natæ fœminæ, quodq; ad bellum ineptæ, tum ob alia illius sexus decantata vitia atq; pericula, potissimum pudicitiæ lubricitatem. Adde novum incommodum, quod Bodini verbis lubentius expromimus, quam nostris. Sic ille. *Aut nubet, aut manebit cœlebs. Si nupserit, ea lege nubet, ut maritum habeat sub sua potestate.* (Civi enim se non submittet: peregrino autem rerum summa minimè committenda videtur) *atq; adeò contrà naturam marito imperet. Sin autem nuptias regina recusarit, quæ verissima Gynæcoratia est, Rempubl. in summo discrimine versari necesse est: quoniam magno & forti animo subditi muliebre imperium & contumeliosum, nec diu tolerandum sibi putabunt. Nihil autem Reip. pernicioſius, quam eos, qui Majestati præsunt à subditis contemni.* Quanta pericula imminent ex pugnis procorum? quomodo nubet ex sua an ex populi voluntate? Quid si nubat & sterile sit conjugium, quomodo abigi à regno maritus imò quomodo retineri sine Reip. conversione potest? Et plura sunt quæ in hoc argumento convehunt Politici scriptores. Aliæ nationes deficiente masculo sexu, muliebre imperium non horruerunt, cum præstet Rempubl. à Fœmina gubernari, quam nullam esse, quam intestinis motibus dissolvi. Quod si naturæ vitia à sceptris arcere aut excludere successuros possent, valdè

lib. 6. de Rep. cap. 5.

metuen-

metuendum esset, ne multis quoq; maribus aditus ad regna præcludatur. Quid? quod multas fœminas *natura, ut ait Tacitus solertes, industria literatas educatio pias, experientia Sapientes* & prisco & recenti ævo fecerit. Non possumus, quin Platonis locum hic apponamus. *Nullum est*, inquit, *inter eos, qui civitatem administrant, officium mulierũ proprium, quâ mulier est, aut viri proprium, quâ vir: sed æquè dispersæ in animantibus utriusq; naturæ: & omnium quidem munerum natura particeps est fœmina, omnium & vir: in omnibus autem imbecillior viro fœmina.* de Repub. 5. in quem vid. Marsil. Fic.

§. 20. Egimus de Vocatione Regum: de Inauguratione, cujus multi sunt actus & apud Politicos obvij, eò brevius agemus, quò minoribus illa difficultatibus obsepta est. Quas ipsas succidit Barclajus, cujus verba, quod rem mirum in modum illustrent, digna, quæ hic adscriberentur, judicavimus. *Quod nobis debetur*, inquit, *id non statim nostrum est. Et apud Israëlitas quidem Reges, quos ipse DEUS inungi dudum antè jusserat, inauguratione tamen pòst peculiari populi consensu confirmati sunt, ut Saul, David, Hazael. Quippè DEUS, quos deligit Reges, offert populũ, non obtrudit. Hi quoq; quibus natura & Gentium jure paterna regna deferuntur, Reges tamen non sunt, antequam ritu patrio & more majorum inaugurentur. Nisi forte populus alicubi jus aliud in Regum suorum favorem vel expressâ lege constituit, vel tacito & diuturno consensu introduxit. Quemadmodum apud Francos in more positum est, ut, qui ad sceptrum jure hæreditario vocatus est, ante solenuem inaugurationem pro inaugurato quoad jus & honorem regium habeatur.* Est enim constitutio Principis quasi quædam conventio, quæ non initur consensu tacito, sed signis certis atq; evidentibus, & fidem facientibus verbis expresso. Atq; tametsi dum Pater v. g. inauguratur, Filius quoq; in Regem assumatur consequenter, non tamen plures Reges fiunt, cum in uno tantum Regis perfectio essentialis insit, in hæredibus vero aptitudo quædam & potentia tantum remota, per inaugurationem, ad proximam potentiam, qua Reges definiuntur, evehenda. De Inauguratione. lib. 3. de Reg. Potest. cap. 3.

§. 21. Quemadmodum in Ethicis de Vitio agitur, quia contrariorum eadem est scientia, ut juxta se posita contraria magis elucescant: Ita in Politicis, postquam de Veris Rebuspubl. De Tyranno

tractatio peracta est, ad περιεκβάσεις exerrationes & cadavera Rerumpubl. deveniendum est. Contrarius Regi Dominoq; est Tyrannus qui nec primaria nec secundaria intentione salutem publicam spectat, adeoq; Reipubl. rationem prorsus tollit, quæ in ordine sita & Legum observantia, quarum non sunt Principes domini sed ὑπηρέται καὶ νομοφύλακες, ut Plato ait. & pulchrè Jamblichus τὸν ἄρχοντα, inquit, δεῖ σωτῆρα καὶ φύλακα τῶν νόμων εἶναι ἀδιάφθορον. Arist. Tyranni quatuor notas facit, quando ait, Tyrannum 1 ἀνυπεύθυνον εἶναι, *h. e. nullum factorum suorum reddere rationem.* 2. *Imperare vel similibus vel etiam melioribus se* 3. *Tyrannum dicit non publicam sed privatam curare tantum utilitatem* 4. *imperare dicit nolentibus & invitis.* Prænotamus amplius, stuporem, negligentiam, oscitantiam vel nimiam facilitatem non efficere statim Tyrannum: nec crimina privata sed publica, eaq; 3. non tantum semel admissa; sed continuata, quæ faciunt Tyrannum ἀνιάτως ἔχοντα s. insanabilem, cui omnino contradistingui ἰάσιμῳ s. sanabilis debet. Cujus distinctionis usus tum apparebit, cum de curatione Tyrannidis acturi sumus.

4 de LL. in Epist. lib. 4. c. 10.

Definitio & Divisio

§. 22. Hinc conflatur Tyrannidis definitio: Quod sit imperium unius in similes, meliores, invitos, nullis rationibus obnoxium, omnia ad privatam utilitatem referentis. Sunt autem Tyranni alij sola occupatione, qui Tyranni tituli sive juris dicuntur, h. e. tales qui imperium nullo jure invadunt: alij sola administratione, qui dicuntur Tyranni exercitii, qui legitimè partum imperium tyrannice administrant: alij simul & occupatione & administratione, qui sunt omnium pestilentissimi. De tyrannis tituli hoc notamus, posse eos consensu populi subsequente veros Reges fieri; Et quanquam injustè potestas agendi data illis sit, justè tamen illos agere, si ex ea potestate & secundum eam agant. Sic Cæsar injuste occupavit Imperium Rom. sed postquam eo potitus est, per & propter imperium justè imperavit.

Origo & Instituta

§. 23. Omnis Tyrannis, inquit Arist. *vel à Regno oritur vel à magno magistratu*, h. e. vel legitimi Reges in Tyrannos degenerant, vel magistratus magni violenter imperia occupant. Subjungit

git Arist. alias Regni & Tyrannidis differentias, à consilio & intentione utriusq;, à fine & hinc ortis mediis, à custodia diversa desumtas, quas spatii angustia excludit: & porro ostendit Tyrannidem ex vitiis Oligarchiæ & Democratiæ conflatam esse Hæc agit Arist. cap 10. Sequenti institutа Tyrannorum fusius percenset. Primum est de Viris præstantibus vel necandis vel urbe pellendis, vel gradu dejiciendis: Inprimis autem de tollendis eis, qui alto & magno animo videntur esse. Secundũ est, prohibere omnes sodalitates, convivia, conversationes, & conventus publicos subditorum, ne conjurare possint, quod difficile nequaquam foret, si tàm amice conversarentur. *Notitia* enim, ut hic ait CL. Piccartus, cujus verbis crebrò utimur, nec puder, *fidem gignit, fides consiliorum graviorum mater est.* Tum etiam ne illa mutua conversatione rectius instituantur: nam ut rectè Plato ait, *non conducunt tyrannis ea studia, quæ subditorum mentes acutas generosasq; reddunt, quæve amicitias inter eos indissolubiles, societates q; frequentes faciunt.* Tertium, ut cives qui in urbe præsto sunt, semper in propatulo versentur & præsto sint atq; in ipsis veluti foribus tyranni, ad parendum, quæ cunq; imperata fuerint. Quartum ut diligenter inquirat in dicta factave civium, constitutis ad eam rem delatoribus. De quibus quæri posset, an tyrannorum proprii sint? Nunc cursim & properantes Taciti verbis respondemus, qui *delatores adpellat hominum genus publico exitio repertum, nec pœnis unquam satis coërcitum.* Quintum est, de serendis inter cives discordiis. Sextum, ut opes subditorum tum operibus publicis, diuturno labore & magnis sumtibus faciendis, tum perpetua & rigida exactione tributorum immjnuat. Septimum ut semper bellum moveat, nec subditis otium unquam permittat: sic fiet, ut bello occupati subditi nihil moliantur, & ut mitius Tyrimum, quo Imperatore carere nequeunt, ferant. Octavum est, ut nemini se credat Nonum ut licentiam permittat, quam leges in veris Rebus publ. cohibent. v. g. γυναικοκρατίαν licentiam præterea servis &c. Decimum, ut sit μυηρόφιλος, delectetur improbissimorum hominum conversatione, aversetur viros graves & libertatis suæ studiosos: qualis Tiberius, qui *eminentes virtutes non sectabatur* ut ait Tacitus, Undecimum institutum divisum est. Alii enim

ex Arist. lib. 5. cap. 10. & 11.

in Convio.

Ann. 4.

3. *Annal.*

enim Tyranni conscientiæ stimulum habent, alij non habent, seq; in perpetuis voluptatibus volutant. Utriq; solitudinem aversantur, secum esse volunt epulatores adulatores maximè peregrinos, quibus cordi non est Respnbl. quibus etiam corporis custodiam sui committunt. Quæ undecim institutaad tria generalia capita revocat Arist. 1. huc respicit Tyrannus, ut subditi sint animo servili & abjecto nec altum sapiant. 2. ut ne sint conjuncti, sed dissideant animis & alant inter se simultates. 3. ut sint infirmissimi.

Tyrannorum miseria Svet in Tiber.

§. 22. Ultimum punctum occupat Tyrannorum miseria, de quâ audiantur ipsi. Tiberius literis ad senatum: *Quid scribam vobis* P.C.? *aut quomodo scribam? aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dij me deaq; pejus perdant, quam quotidie perire sentio; si scio.* Addi possent aliorum voces indices atq; testes, laniatuum & jctuum atq; cruciatuum, quæ in mente. Omnia tormenta exsuperat, quod postquam semel ad malitiæ summum pervenerunt Tyranni, revocare gradum non licet. *Perseverandum est*, inquit Seneca, *nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo infelicius, cui jam malum esse necesse est? O miserabilem illum, sibi certè, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit tam externa quam domestica, cum arma metuat, ad arma confugiens, non amicorum fidei credens, non liberorum pietati! Qui ubi circumspexit quæq; fecit quæq; facturus est, & conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit sæpe mortem timet, sæpe optat, invisior sibi quam servientibus.* Conculdimus verbis Xenophontis. Talis, inquit, *est vita Tyrannorum, ac si adversus hostilem phalangem perpetuo in acie starent, quorumvis jctibus impunè prostituti, quandoquidem per opida non secus aeper castra hostilia proficisci coguntur, armigeris jugiter stipati, aequot intuentur cives, tot sibi paratos timent hostes. Et quidem civium privatorum cædes cæde acriter vindicatur. At tyrannicidæ non solùm non afficiuntur supplicio, sed & magnificis insuper decorantur præmiis. At, cum templis ejiciantur, qui privatos homines occiderunt, Tyrannicidis statuæ in templis ipsis ponuntur.*

in Tyr.

Quem metuunt, oderunt:
Quem quisq; odit, perisse expetit.

DEO DUCE!

§. 1.

HActenus de Monarchia, quantum fert instituti ratio, egimus: nunc ad secundam Reip. formam accedimus, eamq; mediam, in qua nec penes unum nec penes omnes summa residet Potestas, h. e. ad Aristocratiam. *Eam enim gubernationem*, dicente Platone, *in qua non multi imperitant mediam censere debemus, quemadmodum quod paucum est, inter unum multave medium locum obtinet.* Cæterum non aspernandum videtur judicium Cl. Piccarti, qui *Aristotelem* ait *toto opere Politico de Regno perplexè loqui & ambiguè, ut, quid sibi velit, ne conjectura quidem assequi possis. Credo*, inquit, *ne vel Alexandrum offenderet, si regni formam improbaret; vel Græcos suos, si Monarchiam altius extolleret.* Forte non penes Aristotelem ejus obscuritatis potissima culpa residet, sed lacunas sensim in Politica Aristotelis temporum injuria illatas, quæ nonnullibi textum malè sanum & incohærentem effecerunt. Eandem fortunam experta est Aristocratia, & Oligarchia: quanquam hæc curatè satis & clarè descripta fuerit, ut officio nostro factum esse satis arbitremur, si, quæ Aristoteles super proposito negotio sparsim tradita nobis reliquit, nostra hac dissertatione potissimum persequamur.

Ratio ordinis in Polit.

§. 2. Est autem Aristocratia *Respublica, in quâ pauci summam habent potestatem.* Dum Rempubl. generis tenere locum jubemus, simul illos paucos rem populi, non suam tantum curare subindicamus. Nequè enim, ut ex iis, quæ supra disputata sunt, clarissimè liquet, Respubl. nisi æquivocè illis hominũ cætibus tribuitur, in quibus unicè privata compendia sive divitum, sive nobilium sive quorumcunq; aliorum, regnant, salute populi prorsum neglecta. Additur, penes paucos futuram potestatem: quo ipso à Monarchia & Democratia distinguitur: ut enim hæc penes multos (τὰς πλείους

Aristocratiæ Definitio.

1. populum) sive omnes, ita illa penes unum summam collocat potestatem. Perinde vero est sive pauci illi triginta sint, quot olim Tyrannos Lysander victis imposuit Athenis, exemplum secutus Lacedæmoniorum (qui omnes Respubl. sui similes, h. e. Oligarchicas esse volebant, ut Athenienses omnes volebant Democraticas esse) quorum Senatum duo Reges & viginti octo Cives absolvebant, sive decem, quot sibi Correctores esse Roma turbatis rebus voluit, sive duo tresve, modo nec unus nec omnes summam obtineant Potestatem. Neq; vero, cum paucis Majestas competere dicitur, intelligenda ea est inter eos dividi: hæc quippe sita est ἐν ἀτίμῳ, omnibusq; optimatibus nō seorsim aut divisim sed junctim spectatis una ineſt eaq; indivisa Majestas, ut, si duo fuerint, neuter sine altero de rei summa aliquid statuere queat. Et quanquam in optimatum Republ. unus imperio alterius intercedendi potestatem habet, non magis tamen ex hoc capite dividetur Majestas, quam si Rex, quæ nunc probat consilia & imperia, mox retractans atq; recoquens suo ipsius imperio intercedat.

Vetustas Aristocratiæ. *lib. 3. Pol. cap. 15.*

§. 3. Non est autem ea Aristocratiæ diuturnitas, quæ est Monarchiæ. Multo enim priscis seculis fuit facilius unum aliquem reperire, cui fasces traderentur, Virtute & Prudentia præstantē, quàm plures. Hac mente Aristoteles: *Idcirco fortasse sub regibus*, inquit, *antea vivebant, quia rarò licebat reperire viros plures longè cæterīs Virtute præstantes, præsertim cum etiam tunc in parvis urbibus habitarent. Præterea vero ob beneficentiam Reges creabant: quod virorum bonorum opus ac munus est. Postea quam verò multi virtute similes exsistere cœperunt, ferre jam Regum Dominatum non potuerunt, sed commune quiddam quæsiverunt, & Reip. administrandæ formam instituerunt.* Circulum subjungit Rerumpubl. atq; ex Aristocratia natam esse dicit Oligarchiam, ex hac Tyrannidem, quæ Democratiam peperit: quibuscum conferantur quæ habet experientiæ consona Machiavellus de mutationibus Rerumpubl. de quibus hic non est dicendi locus. Hoc tamen ex iis, quæ locum Aristotelis citatum præcedunt, addendū duximus, Civitatibus, quæ fulgent pluribus viris bonis & quorum animus integer ac sanus est, ὅτινες σπουδαῖοι τὴν ψυχὴν optabiliorem videri Aristocratiam, quam regnum, quod

libr. 1. discurs. in Liv cap. 2.

plures

plures uno rectius in medium consulant,& à periculo corruptionis longiùs absint. Atq; hinc patet, cur sacro populo DEUS non unum aliquem, sed plures præficere voluerit.

§. 4. Prius,quam progrediamur,repetendum existimamus,de Aristocratia judicaturo cavendum esse, ne ambiguo nominis sono decipiatur. In omnibus enim Rebuspubl. summa potestas per optimates vel exercetur, vel exerceri debebat, neq; hinc tamen sequitur, omnes Respubl. vel Aristocraticas vel Aristocratia mixtas propriè & verè dici posse. In Germania, Polonia aliisq; regnis Christianis summæ potestatis exercitium & plurima jura penes ordines sunt,neq; tamen concludi nisi valde impropriè &aliene,ut ex superioribus Disputationibus patet,potest,hæc regna Aristocratias, vel Aristocratiâ mixtas esse. In Hollandia & toto fœderato Belgio penes status Generales,Provinciales, Gubernatores,Principem Auraicũ jurium Majestatis exercitium est,eorũ nomine summa quæq; negotia geruntur, adeoq; quicquid est juris publici, ab ordinibus gubernatur,vel singulatim per alios,vel universim per se comitiis coactis, verum hinc non sequitur, Aristocratiam in Hollandia vigere, cum à toto populo penes quem summa potestas est, mittantur cum Nobiles, tum Civitatum deputati. Ita in Geldria supremum regimen Nobiles & urbium deputati obtinent: Idem in Zelandia, Transisalana provincia & Ultrajectensi obtinet, nisi quod in hac ultima veteri consvetudine Clero primum suffragium competit,& in Westfrisia cum Nobilitate & opidanis, plebs quoq; agrariaus suffragij habet. Nam, ut hoc obiter addamus, Belgium fœderatum non una est Respubl. sed tot constat Rebuspubl. quot Provinciis, liberis illis, & in queis libertatis custodes non sunt optimates sed populus universus. Non enim jure civitatis, sed fœdere tantum συμμαχικῷ uniti sunt communemq; hostem & commercia habent, ut demonstrat H. Grotius. Idem de Helvetiis, & Ætolorum atq; Achæorum apud Græcos olim fœdere dicendum est. Ut autem è diverticulo iu viam redeamus, in omnibus Rebuspubl. fas esse, dicimus, ut imperent prudentia & Virtute conspicui sive optimates, non tamen in cæteris imperant cum summa potestate, præterquam in Aristocratia.

Optimates in omnibus Rebuspubl. imperare debent.

in Apologet. cap. 1.

Optimates quinā sint? *pro Sext.*

§. 5. Porro, cum Aristocratia ex vi nominis optimatum Imperium signet, quid optimates sint, & quomodo adscisendi, paucis explicandum est. Rem acu tetigit Cicero, cum *optimates* describit, *qui ita se gerunt ut optimo cuiq; sua consilia probent.* Patet ergo, Optimatum titulo indignos esse, qui Virtute & Prudentia, (hæc enim ab illa secreta versutia est) destituuntur: eos vero reapse optimates esse, sub quibus justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent, sub quibus etiam quantum homini prospicere datum est, opulenta civitas copia bonorum omnium abundat. Dices, paucos tales esse, adeoq; propemodum ὀκ τῶν ἀδυνάτων talem Rempubl. videri. R. paucos quoq; Reges tales esse, qualem ex Bodino disp. præced. describebamus: adeoq; illud Lipsij repetimus, quod non minus valet in fine totius Philosophiæ Practicæ, quam in fine Politicæ speciatim dictæ: *Ut is, qui exemplar, sibi proponit, emendatissimum cupit, etsi infra illud consistet, tale hic est, audeamus optima, aveamus optima, etsi imbecillitate hac insita retrahamur.* Et quanquam forte in uno non reperiatur consummata prudentia & absoluta virtus, adhuc tamen Aristocratia salva manet, si in universis, queis individuam Majestatem adsignavimus, omnes Prudentiæ & Virtutum numeri atq; nervi insint. *Nam cum sint plures, suam quisq; Virtutis & prudentiæ partem habet, ut congregati fiant tanquam unus homo, multorum pedum & multarum manuum & multis sensibus instructus, itemq; multis moribus & cogitationibus præditus*, quæ sunt Aristotelis memorabilia verba. Atque, ut sunt humana, intercurrant licet nonnulli defectus, modo à rei summâ seu scopo boni publici non penitus aberretur, à potiori parte & præponderante adhuc Resp. denominanda est: quemadmodum Aristoteles ipse Respubl. in quibus magistratus leguntur & creantur, habita non solum divitiarum, verum etiam virtutis ratione, non dubitat Aristocraticas appellare.

prim. libr. Manduct. diff. 16.

Philosophi non sunt Vitiorum, humanorum famuli.

3. Polit. cap. 11.

4. Polit. cap. 6.

Alibi eliguntur.

§. 6. Cæterum in Judæorum Republ. optimates electi fuerunt. Nam cum Moses oneri ferendo solus impar esset, ex DEI scito elegit septuaginta Seniores, qui in curarum atq; summi imperij individuam societatem venirent. Nec dubitandum relinquitur, quin consvetudo eligendi optimates, qui erant Synedrij assessores, in populo sacro ad ejus internecionem duraverit. Oligarchiam quidem,

Num. 11. v. 16.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0120
DFG

dem, hoc est, Aristocratiæ abusum sapere videtur, si optimates eligantur ab ipsis optimatibus: verum cum omnia referant ad bonum publicum optimates, nulla supicio Oligarchicæ dominationis oboriri, etiamsi vel ab universo optimatum Collegio, vel ab aliquibus delectis, iisq; ut major constet fides atq; securitas, jurejurando devinctis novi optimates designentur, quos invenire difficile non est in eâ Republ. quæ bonis legibus juxta ac moribus, & inprimis dextra juventutis institutione floret. Talis Respubl. fieri nequit, quin plurimos spectatæ domi militiæq; fidei ac prudentiæ Viros pariat proferatq;. *Nunquam autem*, verba sunt Romani Sapientis, *quamvis obscura virtus latet, sed mittit sui signa: quòquò dignus fuerit, vestigiis illam colliget.* Puerilem & ridiculum modum eligendi Ephoros notat Aristoteles, quem Plutarchus in Lycurgo narrat. Omnis populus convocabatur in locum unum, cui loco adjuncta erat domus aliqua clausa, in qua erant scribæ & auditores. In locum illum, ubi populus erat congregatus, introibant illi aut certè sistebant se, qui petebant honorem illum Ephorias. Illi populus acclamabat, nunc frequentior, nunc rarior. Hunc applausum audiebant scribæ & auditores, cui datus esset, ignorabant: Itaq; pro modo plausus numeros ducebant, ex eoq; numero Ephori eligebantur. Apage temerariam & cæcam eligendi columina Reip. rationem!

de Tranq. Animi cap. 3.

lib. 2. Pol. cap. 9.

§. 7. In Republ. Venetorum Optimates non liberis votis, sed à stirpe leguntur. Nam, ut rectè Arnisæus de statu Reip. Venetæ contrà Contarenum disputat, Majestas (de novissimis loquimur temporibus) nec penes Ducem, si quis est, nec penes Concilium Precatorum, aut Collegium, aut Decemviros, sed penes Concilium Magnum est, quod ex Nobilitate colligitur. Anno enim 1217. cum Petrus Gradenicus jam in septimum annum Reip. præesset, Leonhardus Bembus & Marcus Badoërius præpositi Quadraginta Virûm, in hoc Collegio legem proposuerunt deliberandam, *ut quicunq; præsenti anno & quatuor præteritis Consilio Majori adscripti fuissent, sine novâ electione in illud cum tota posteritate admitterentur*, qnæ cum primum digna visa fuisset promulgatione Quadraginta viris, proposita deinde Consilio Majori, non minorem applausum meruit, eaq; factum est, ut inposterum iis familiis, quibus

Alibi succedunt.

l. 2. Relect. Pol. de Rep. cap. 4. sect. 2.

tum aditus in curiam patebat, dignitas illa & libertas in hæreditatem cesserit.

Non tamen in summos Magistratus.

§. 8. Verum tametsi ad Consilium Majus omnes Patritij Seculares majores XXV. annis admittantur, in summis tamen Magistratibus (penes quos Majestatis exercitium præcipuum est) creandis non præcisè generis nobilitatem, sed præcipuè Virtutem atq; Prudentiam spectant. Quo pacto rem gerant, operæ pretium est ex Contareno discere. Ejus summa huc redit. Quando consultatio incidit gravis, aut magistratuum electio, quæ non nisi consentientibus omnibus ordinibus definiri possit, eliguntur duo, qui in utramq; partem agitant id, quod in deliberationem propositum est, audientibus omnibus, qui in Concilio locum habent. Postea vero ubi satis agitatum est, circumferuntur urnæ artificiosè fabricatæ, quibus injiciunt singuli pilulas quasdam linteas in cellulam (duæ sunt) interiorem albam, si suffragari velint, vel in exteriorem viridem, si refragari: Istæ vero pilulæ occultius injiciuntur, quam ut à quoquam animadverti possit, utrum is, qui injicit, suffragetur, an vero refragetur. Et ita postquam omnes pilulas injecerint, depromuntur & numerantur pro quaq; sententia vota: fitq; conclusio istius sententiæ, in quam plures consenserint, absq; contentionibus, absq; offensionibus & jactura temporis.

An hi Nobilitatis aspectu conferendi?

§. 9. Dices: Omnino Nobilibus magistratus adeoq; τὸ κυρίως administrationem Nobilitatis aspectu committi debere. ἐσθλῶν γὰρ ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεται τέκνα, κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τοῦ πατρός: quos Euripidis versus transtulit Horatius: *Fortes creantur fortibus & bonis &c.* Nec ullis sumtibus parcere Nobiles videmus, ut liberi rectè atq; ordine instituantur, ad Virtutem componantur, atq; sic ad Rempubl. gerendam formentur. Deniq; Naturæ voci omnium gentium consensus videtur respondere, quæ Nobilitatem in maximo pretio & honore habet. Idem de divitibus dicendum: queis non minori jure Magistratus deberi videntur. Virtus enim est Aristocratiæ nota: ad quam diviti meliori informatione aditus patet, quæ pauperum spes votaq; destituit. Haud enim facilè emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi. Præterea non tantum patriæ amantiores sunt opum aspectu,

ctu, quas obsidis vice & pignoris apud Rempubl. habent, sed etiam causæ, propter quas à Virtute receditur, longius à divitiibus absunt. Habent enim opes, quarum acquirendarum causa hominibus nihil esse nefas solet: habent, unde cuticulam curent, ut ne voluptatis quidem causa, quæ maxima esse ad peccandum illecebra solet, improbi sint. Accedit ultimò hic quoq; hominum consensus, qui Viros divites καλοκἀγαθὸς καὶ γνωρίμους bonos & nobiles appellant. Nimirum *& genus & forma* & quid non? *Regina Pecunia donat.*

§ 10. Sed ad hæc facilis est responsio. Concedimus quidem, nobilitatis & divitiarum rationem esse habendam, si cætera sint paria. Nec negamus, avitæ virtutis semina in generatione liberis inseri posse: hoc tantum dicimus, experientiam testari, hæc semina sive Parentum indulgentia aut incuria corrumpi vel negligi, sive ipsorummet liberorum vitio velut summo jacta solo inarescere, quibus satius est, ante partæ majorum gloriæ acquiescere, & fumosas atq; araneantes imagines crepare, quam per laborem Virtutem propagare & perpetuare. Nec desunt, quibus Nobilitas omnis nequitiæ velamentum est, quiq; omnia sibi licere, quia sint Nobiles, putant. Idem de divitibus dicendum, quos ipsa experientia testatur divitiis fretos itidem omnem disciplinam excutere, effrænes esse, contumelioſos, injurioſos, turbulentos, & tandem facultatum alienarum prædones. *Nam crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Et, Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Nec semper concessas voluptates cupiunt: sæpe ingenij humani vitio vetitas concupiscunt, & cum aliorum contumelia conjunctas. Consensui hominum & favori, de quo dicebatur, ingens ille tumor & fastus nobilium pariter atq; divitum multorum reclamat: *subducamus sane calculos*, verba sunt Piccarti, *& nisi pro uno decem contraria adferamus, herbam adversæ parti porrigamus.*

Negatur.

in lib. 4. Polit. Arist. c. 8.

§. 11. Concludimus ergò, rationes § 9. allatas id efficere, ut habeatur nobilium & divitum ratio aliqua, si sint studioſi Virtutis & prudentiæ alumni; Verum ut absolutè divitiarum & nobilitatis solo aspectu aut tota Respubl. aut potissima Reip. munia, quæ Prudentiam Virtutemq; requiruut, iis committantur, id non tantum injustum est, sed & Rebuspubl. exitioſum. Busbequius apud Turcas

Obiter mores nostri taxantur.

Epist. 1. Turcas diligentes laudabilium institutorum custodes, nullam generis nobilitatem prævalere, solâ domo Othomanica excepta, reliquos non genere distingui, sed muneribus ait, quæ Princeps ipse distribuit, in quo non divitias non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judicium moratur, sed merita considerat, mores atq; ingenium intuetur. Ita suos ibi quisq; natales, suam fortunam quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Unde qui rerum primas à principe tenent, ferè sunt pastorum aut bubulcorum filij, de quo tantum abest, ut eos pudeat, ut etiam inter se glorientur, eoq; plus sibi tribuant, quo minus majoribus aut fortunæ natalium debent. Sic in ea gente dignitates, honores, magistratus virtutum & meritorum præmia sunt, improbitas, ignavia, inertia nullo honore pensantur, jacent, contemnunturq;: *Ergo*, concludit Nobilissimus Busbequius, *illi rebus gestis florent, dominantur, imperij fines quotidie proferunt: apud nos aliis vivitur moribus, virtuti nihil est relictum loci: omnia natalibus deferuntur, opinione natalium omnes honorū aditus occupantur.* Sed hæc ad disput. de Magistratu spectant.

Satius est plures esse optimates. *lib. 5. Pol. cap. 6.*

§. 12. In Aristocratia penes paucos Majestatem esse, suprà assertum est. Dubitari hic posset, an satius sit pluribus optimatibus in manum tradere Rempubl. quàm paucioribus. Ut hæc dubitatio, quantum potest, discutiatur, cum ut tradit Aristoteles, duæ sint causæ principes, cur mutetur paucorum status, injuriæ à paucis illis plebi factæ, sive sint contumeliæ, sive expilationes, & dissensiones Principum, quæ hic crebriores sunt, si optimates nominis sui mensuram semper expleant, perinde esse quivis videt, utrum pauci sint an vero plures. Verum cum virtus in omnium animis non æquè radices egerit, & sæpè boni ex occasione deterrimi fiant, palmam damus ei Aristocratiæ, quæ in plurium manu consistit. Plures enim non facilè in injuria conspirant, semperq; Valerius aliquis aut Horatius existit, qui Claudiorum, Fabiorumve rigorem mitiget: quod si injuriæ suspicio fortè exoriatur, ut solet ad suspicandum plebs esse proclivis, minus periculosa est invidia, quæ in plures dividitur. Deinde plures si sint optimates, pluribusq; ad magistratus summos pateat aditus, dissensionum tanta materia non est, quanta pauciorum potentiæ offertur. Quo consilio DEUS

Opt.

Opt. Max. non tantum in populo suo Aristocratiam, cui Aristoteles quoq; dat palmam, esse, sed hanc ipsam quoq; pluribus optimatibus constare voluit. 7. Polit. cap. 1.

§ 13. Modo dicebatur injuriam plebi factam & dissensiones Principum Aristocratiæ pestem esse. Hi scopuli quomodo præternavigandi sint, plenius nunc exponendum est. Nihil attinet generatim de optimatum officiis disserere: planum est, imperantium esse, ut tam erga æquales, quàm plebem adeoq; omnes rectè atq; decenter segerant, utq; dissidiis, & contentionibus Principum, aliisq; malis maturè sancitis legibus, earumq; rigida observantia occurrant, inprimis, ut cives à teneris rectè atq; convenienter statui Aristocratico instituantur, doceanturq;, quæ ad Aristocratiæ firmitudinem spectant. Ut in specie aliquid proferamus, & quidem à posteriori initium faciamus, primum monitū hoc esse jubemus: *In eâdem familia Magistratus maximos continuari non expedit.* Scribit de Q. Fabio Maximo Plutarchus: Cū majores ipsius consulatus in Republ. sæpius gessissent, ipse etiam quinquies eidem imperio cum laude præfuisset, cum eundem honorem in filium conferri vidisset, deprecatum esse, ne familia benè de Rep. merita potentissimorum civium invidiæ objiceretur, neve contra leges maximum imperium in una familia continuaretur. Neq; putavit avitæ quid decedere gloriæ, si imperio abstineret filius, sentiens videlicet cum Catone, qui magistratuum cupidos viæ ignaros dicebat, ideoq; semper velle cum lictoribus ire, ne errent. Veneti jam olim hoc caverunt, circumscripta Ducum potentia, & in exilium actis præcipuis familiis, quæ imperio assveverant. Impegerunt in hunc lapidem Florentini, Pisani, Patavini, aliæq; Italiæ Respubl. ista continuatione honorum sub servitutem redactæ. *Præstat* igitur *objurgare naturalem nobilitatis superbiam morandiq; in imperiis aut in filios transferendi cupiditatem fortiter reprimere & coercere*, quæ sunt Caji Marii apud Paterculum verba. Hoc monitum in eo quoq; observant Veneti, dum in constituendis triginta sex electoribus tantummodo binis ex eadem familia patritiis istius dignitatis consequendæ potestatem faciunt. Cui simile quid in Notibergensium Republ. occurrit. Hujus moniti neglectus, ut olim Augustæ Vindelicorum, ita nuper Lunæburgensi non exigua incommoda peperit,

De Aristocratia Monitum Primū.

perit, videturq; Venetis quoq; & Batavis aliisq;, quos suis tenebris & silentio malumus involvere, procellas minitari.

Monitum secundū.

§. 14. Secundum Monitum est, ut *caveatur, ne unus & alter summis honoribus aucti turbare compositam Reip. vel Tyrannidem invadere possint.* Solicitissimè id cavent Veneti, qui belli summam peregrino commendare malunt, & aliàs tum hujus tum ducis potentiam intra cancellos coarctant, ut res novas moliri non possint. Romani minus circumspecti fuerunt, qui, cūm aliorum tum potissimum Julij Cæsaris potentiam omni ex parte juverunt, prorogatâ ei contra leges per decennium provincia: quâre animus ipsi additus eò, ut penſitatis suis & inimicorum viribus uteretur occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupivisset. De Miltiade tersissimus scriptor Æmilius probus seu Cornelius Nepos: *Miltiades multum in imperiis magistratibusq; versatus non videbatur esse posse privatus, præsertim cum consvetudine ad imperij cupiditatem trahi videretur.* Nulli enim Magistratui tanta potestas attribui debet, ut consveta Reip. mūnia sistere aut impedire possit. Quod monitum suum Machiavellus illustrat exemplo Venetorum, quod nobis hic adjicere visum est, cum & inter bonos frigusculum oriri possit. *In Venetorum,* inquit, *Rep. penes Senatum, quem Magnum Consilium vocant, sita est potestas distribuendorum honorum, eligendorumq; magistratuum, qui cum in ipsa urbe,* tum foris *per ipsorum imperium ad rerum gubernacula accedant. Accidebat olim, ut Senatorum multitudo ex occasione aliqua indignata, aut iracundia commota, nec domi neq; foris successores iū, qui magistratibus abiissent, crearet: ex quo non sine magno Reip. periculo accidebat, ut civitates suū judicibus ac magistratibus carerent, idq; eō usq; durare solebat, donec aliqua ratio inveniretur eosdem senatores placandi. Quæ res successu temporis Reip. plurimum detrimenti afferre potuisset; nisi à sapientibus viris huic malo remedium excogitatum fuisset, qui arrepta occasione legem obtinuerunt, ne quisquam magistratus seu domi seu foris per ipsorum ditionem, ab sua sede & officij administratione discederet, priusquam novus in locum ipsius substitueretur: qua lege sublata est occasio, ne Senatorum multitudo ex aliqua causa incitata remorari queat, ea, quæ sine damno publici boni cessare in Rep. nequeunt.*

Lib. 1. discurs. cap. 50.

§. 15.

§. 15 Hactenus Machiavellus, qui eodem libro salutare hoc monitum suggerit: *Si quid mali vel in Rep. domi, vel forù adversus Rempubl. vehementer auctum sit, satius esse id ferre aliquandiu, quam in id eniti, ut violenter exstirpetur.* Exempli gratia, *inquit*, si in Rep. juvenis alicujus nobilisq; viri virtus emergere videatur: in eum omnes homines intentos habent oculos, favoreq; ejus studia prosequuntur: quod si ille clam ambitiosus sit, eo hominum favore ad tantum fastigium adscendit, ut antequam errorem suum agnoscant ii, qui tantopere ei favebant, non amplius extet remedium, nimiam illius potentiam minuendi: & si quis adversus eam quippiam tentârit, augendæ illius potius, quàm minuendæ occasionem dabit. Quod Romanis cum Jul. Cæsare contigit, cujus virtus à principio cùm Pompeji tum aliorum favore adjuta postmodum illis terrori fuit. Sed nimis tardè vel Ciceronis testimonio cùm cæteri, tum Pompeius ipse Cæsarem timere cœperunt: nam cum postea de minuenda ejus potentia cogitassent, eo ipso Reip. ruinam accelerârunt. Concludit Machiavellus: *Quæ cum ita sint, ac difficile sit hujusmodi morborum initia observare: quod rerum omnium principia tenuia ac debia sint: melius est, auctos jam eò usq; hosce morbos, ut agnosci possint, ferre, & commodam aliquam occasionem expectare, quàm eos subito oppugnare: quod temporis successu fieri queat, ut vel sponte extinguantur dum favor clientiam intepescit, vel certè ut hæc mala non tam cito erumpant.*

Cui annectitur cautio quædam. *cap. 33.*

§ 16. Tertium monitum est. *Ne imperia magna sint diuturna.* Nam ubi nimis diu summi magistratus prolongantur, fieri vix potest, quin cristas erigant homines, & in ordinem redigi detrectent: alii contrà se præteriri ægrè ferant, unde indignatio & dissensiones. Omnis autem pergravis est magistratus, ut inquit Brutus, cui nullum tempus certum est præfinitum, & qui nullis actorum suorum rationibus reddendis obnoxius est. Inde enim tyrannus nascitur. Mihi itaq; placet, uti magistratus potestas anni spatio contrahatur. Imperandi enim illa parendiq; vicissitudo ac potestas, antequam animum corrumpat, relinquanda, reprimit ingenia fastuosa, nec inebriari nimia licentia sinit. Atq; hic maximè à demagogis illis patritiis cavendum, qui in populi delinimenta conversi, ut imperij prorogatione gradum sibi struant ad Tyranni-

Monitum tertium.

Halicar. lib. 4.

cunnidem, fingunt plebis quæ novitatis nimium solet esse avida, ne gradu moveantur, interesse, qualem adulatorem repræsentavit Jul. Cæsar: vel Collegis suis tribus quatuorve adblandiuntur, reliquos despiciunt, ut olim Athenis extriginta Tyrannis fecit Chatides & Phrynichus. Dices, quomodo Optimates gradu moveri possunt, cum supra dictum sit, summam eos potestatem habere. Tenendum & hoc est, penes universos indivisim esse summam potestatem: quod si singuli spectentur, universorum subditos esse, quibus exercitium summæ potestatis seu summi magistratus committuntur, sed definito tempore deponendi. Atq; hæc monita sunt ex parte optimatium: quorum usus est in aliis quoque Rerumpubl. formis, Monarchia & Dimocratia, quarum interest & quæ monita sunt, & quæ mox monebuntur, observare.

Monitum Quartũ

§. 17. Quartum monitum plebem respicit: *Cavendum, ne plebs specie quoq; injuriæ feriatur.* Absit contemtus, procul esto contumelia, modus ponatur usuris, severius in lædentes nobiles animadvertatur, communicent connubia patritii cum plebeiis, hi quoq; non excludantur à summis magistratibus, vel si summis arcentur, minores & quæstuosi ut præfecturæ, quæ fuit Carthaginensium consvetudo, iis committantur, deturq; omnibus modis opera, ut penes optimates custodia sit libertatis, nulla autem suspicio servitutis. Quod si hoc pacto frangi plebs & domari bellua multorum capitum nequit, ferocior pars in colonias mittatur, attribuanturq; ipsis agri & aliæ commoditates è quibus lucrum capiant, ditescantq;. Hoc remedio Plato sæpenumero usus quasi salutari medicamento ad vitia urbis expurganda. Unde ἔκπεμψιν τῶν ἐπικίων vocat μηχάνημα. De aliis coloniarum usibus ita Bodinus: *Plebs tenuiorum quæ urbem onerabat, exhauriebatur; stirpes civium propagabantur; veteranis agri assignabantur. Jam vero materia seditionum ex Urbe sublata, coloniarum translatione etiam victi populi Romanorum moribus, legibus, imperiis assvescere: deinde connubiis ac propinquitatibus contractis cum Romanis sensim coalescere necesse habebant; aut si res novas molirentur, aderat colonia Romanorum veluti specula quædam, quæ hostes præoccupare ac præpedire aut Romanos exercitus arcessere solebat.*

Coloniarum deductio.

5. de LL. lib. 6. c. 2.

§. 18. Ul-

§. 18. Ultimum monitum eandem plebem respicit; *Cavendum, ne plebs adversum optimates insurgat.* Legibus ad hanc rem opus est, & censurâ morum, atq; inprimis bona juventutis & statui convenienti institutione. Præsertim, ut in omnibus Repuspubl. ita in hac optimatum valet vigeatq; lex, quam sanxit Amasis Ægypti Rex, Soloni quoq; Athenienſium legislatori usurpata, quâ qui Νομάρχαις, unde viverent, demonstrare non possent capitali supplicio, teste Herodoto, plectebantur. Draco ut in cæteris legibus ita hic quoq; durior erat, qui omnes otiosè in Rep. viventes occidi jussit. Duæ enim sunt teste Platone, Rerumpubl. pestes, Otium & Inopia. Bodinus *remedium majus nullum esse* dicit, *quam ejusmodi homines, qui propter desidiam in otio vivunt, & in turpi inertia voluptatibus diffluunt, è civitate ad bellum emittere, & veluti pravis ac corruptis humoribus plenum corpus vacuare.* Sed inprimis observetur illa lex, quam DEUS Opt. Max. populo suo, quem ab optimatibus regi volebat, commendavit, quamq; Moses tradidit, & ex eo videtur mutuatus Plato, cujus hæc sunt verba: *Nemo in nostra Rep. mendicus esto: quisquis id tentaverit, & miserabilibus precibus stipem victumq; collegerit*, (de validis mendicantibus sermo est) *eum præfecti è foro, ædiles totâ urbe, agrorum præfecti tota exterminent regione.* Sub nomine mendicorum fures, βλαπτοτόμοι seu erumenisecæ, sacrilegi, turbones & similium scelerum artifices atq; pestes Reip. in eam irrepunt. Miserabilibus vero personis, non desunt Viris prudentibus rationes, quibus succurrere possint. Deinde inter eos, qui Rempubl. turbare possint & velint, primum locum facilè tenent decoctores, alijq; his similes, foro cedentes, quibus exemplum Periclis imitari placet, qui, ne rationes ærarij male administrati redderet, patriam maluit bello objectare, quam domi paupertatem colere. Lex 12. tab. nota est de secando partiendoq; corpore debitoris vivi: quam pœnam fidei sanciendæ gratia fuisse impositam scribit Gellius, neq; pejus facinus habitum, quàm contra fidem egisse: nunquam tamen aliquem ea pœna punitum, eò quod horror illius effecit, ne crimen quis committeret. Contra Bancharios, qui cum fraude & periculo multorum sedes vertunt, exstat quoq; Romani Imperij constitutio, quâ comprehendi carcereq;

Monitum Quintũ

Deut. 15. 4.

lib. 10. cap. 1.

castigari ut fures jubentur nulla ratione habita salvi conductus, vel fidei publicè datæ itineris non impediendi. Et quid in sceleſtiſſima conſilia impulit Catilinam, ut de aliis nunc taceamus, quàm æs alienum? Nobis, inquit, eſt inopia domi, foris æs alienum, mala res, ſpes multò aſperior: deniq; quid reliqui habemus præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? en illa, quam ſœpè optaſtis, libertas. Tantum de monitis: cogimur enim abrumpere, & ad Oligarchiam accedere.

Oligarchiæ definitio.

§. 19. Oligarchiam definit Ariſtoteles, quod ſit *Reſpubl. ubi pauci divites plures tamen uno habent ſummam poteſtatem ad propriam reſpicientes utilitatem.* Eandem deſcriptionem ὀλιγαρχίας habet Plato: *Eam*, inquit, *voco potentiam paucorum, in qua magiſtratus à cenſus æſtimatione civibus tribuuntur, & in qua divites dominantur, pauperibus vero nulla eſt Reip. communio.* Hanc paucorum potentiam merùm abuſum eſſe & prævaricationem Reip. ex iis, qui diſputavimus Diſp. Quintâ, luculenter conſtare poteſt. Ibi quoq; tetigimus jus Oliarchici ſtatus. Scilicet, cum in confeſſo ſit, inæqualibus inæqualia deberi, Oliarchici ſibi ut ditiſſimis τὸ κύριον ſeu ſupremam poteſtatem deberi contendunt. Simul nouimus, quantum à vero jure & fundamento Rerumpubl. aberrent, dum opes pro puppi prorâq; habent, atq; earum aſpectu prima omnia invadunt: Cujus erroris geminam adfert cauſam Princeps Philoſophorum, alteram Philautien, alteram incuriam ſeu incogitantiam: de quibus cum abundè egerimus Diſp. citatâ, plura verba facere nihil attinet. Satis ipſe Ariſtoteles hoc fundamentum evertit, cum non tantum lubricum eſſe docet, ſed ipſis quoq; Oligarchicis tandem contrarium. Quod ſi enim aliquis ditiſſimus aut nobiliſſimus exiſtet, eodem jure ſubnixus præſentem rerum ſtatum evertet, totiusq; rei ſummam ſibi ſoli vindicabit. Ariſtoteli jungimus Platonis de Oligarchia judicium: *Neceſſe eſt*, inquit, *non unam hanc, ſed duas eſſe Reſpubl. unam quidem pauperum, divitum alteram, & homines intra mœnia eadem habitantes ſibi invicem ſemper inſidiari.*

lib. 3. Pol. cap. 7. de Rep. lib. 8.

§. 13.

lib. 8. de Rep.

Oligarchiæ diviſio.

§. 20. Oligarchiæ quatuor ſpecies recenſet Ariſtoteles, cujus integra verba apponemus. *Unum genus Oligarchiæ eſt, in quo magiſtra-*

gistratus mandantur ex censibus tam magnis, ut pauperes atq; egentes, numero plures, eorum participes non sint: sed ei, qui tantam rem habeat, Reip. administrationis participi esse liceat. Aliud, cum ex magnis censibus creantur magistratus: & ipsi eos, qui desunt, cooptant. Si igitur ex his omnibus, qui censu sunt æquales, hoc faciant: videatur hoc esse potius Aristocraticum, si vero ex quibusdam certis, Oligarchicum. Aliud autem Oligarchiæ genus est, cum filius in locum patris succedens, magistratum capit. Quartum, cum magistratus imperant, non leges: atq; hoc genus in Oligarchiis altera ex parte veluti tyrannidi respondet in monarchiis &c Subnectit Aristoteles capite sequenti de omnibus his Oligarchiæ speciebus judicium, quod verbis Cl. Piccarti proferemus. Prima cum habeat censum neq; tamen maximum, fit, ut nec in otio semper queant vivere, cum ex publico nihil capiunt. Itaq; legibus vigorem suum esse patiuntur, quo privata quoq; curare possint. Secunda species, ubi census est major, & proinde pauciores Reip. participes, major quoq; est paucorum potentia, non tanta tamen, quæ in omnibus sibi fidat, sed suspectam habeat multitudinem, itaq; legum rationem quoq; habet. Tertia est illorum potentium, qui ne in posteris suis occasum dignitatis suæ sentiant, jus successionis introducunt, & lege lata sibi cavent, quam ut obtineant, alias quoq; leges observare tenentur, ne, si nullam teneant, aboleatur quoq; lex successionis. Quarta est deterrima, quando pauciissimi potentes aucti divitiis imperium ad se rapiunt, & omnia libidine & arbitratu gerunt excussa legum reverentia. Nam opibus suis pauperes sustentant, ditiores paulo despoliant, sic plebeculam servire natam pane monstrato circumducunt, spoliati bonis sequuntur ejulantes. *lib. 4. Pol. cap. 5.*

§. 21. Nunc paucis deinstitutis Oligarchiæ, & quomodo ea fulri possit, agendum est. Inprimis hoc agendum est, ne plebs prorsus à Rep. excludatur, sed certo delectu & numero, nonnunquam sine omni census respectu ad magistratus minores admittantur. Quod si temporum ea felicitas est, ut plurimi ad censum definitum perveniant plebeji, vel major census est constituendus, vel plebejæ familiæ spectatiores in spem interitus patritiarum familiarum restituendi subrogandæ, exemplo Romanorũ, qui plebejas familias nobiliores quandoq; fecere patritias, quod urbes imperij nonnullæ ob- *De Institutis & fulcris Oligarchiæ.*

lib. 6. Pol. cap. 7. observare quoq; solent. Præterea hoc quoq; observetur, ut maximis magistratibus imponantur maximi sumtus, quos Aristot. λειτουργίας vocat, qualia sunt publica ædificia exstruere, templa, Scholas erigere, ludos, venationes, munera præbere: qua ratione plebs ab appetendis maximis magistratibus metu maximorum onerum deterrebitur: ipsi vero Oligarchici præclaram sui memoriam posteritati tradent. Cæterum de his aliisq; videatur Aristoteles capite citato septimo & sexto. Nobis breviter, quo pacto navis hæc cariosa, fissa & exitio vicina ὀλιγαρχίας sustentari inter fluctus & procellas possit, exequendum est. In oligarchia, siquidem stabilem eam velis, idem observandum est, quod pro firmamento Tyrnnnidis Aristoteles adducit, qui postquam unum modum conservandi Tyrannidem, violentum illum & non crebrum minus, quam sævum proposuerat, alterum mitiorem seu Sophisticum aggreditur, qui Tyrannidem nonnihil remittit, laxatq; & ad regiam gubernationem se conformat. Ad eundem modum Oligarchicis quoq; ea opera danda est, ut in consultationibus, magistratibus judiciis (hæ enim tres præcipuæ partes Reip. sunt teste Aristotele) plebis quoq; ratio habeatur, adeoq; hoc agant divites, ut ad Optimatum regimen quam proximè accedant. Neq; negamus, quandoq; ex usu publico esse ut σκέμματα seu Sophismata Politica Oligarchiæ aptentur, v. g. ut arma divitibus imperentur, pauperes vero hac re subleventur, prætextu ne impensis faciendis graventur, re ipsa ne quid turbare queant, item ut divites in militaribus exercitiis instituantur, quibus si non adsint, multentur (idem de consultationibus & judiciis dicendum) pauperes vero si absint, impunè habeant. Hoc pacto inescabitur & retinebitur in suam perniciem ruitura plebs, credetq; suo commodo & publico egregio, dum à mulctis est immunis, melius secum agi, pluribusq; privilegiis se gaudere, quam ipsos divites. Non enim forte de nihilo est, aut simpliciter rejiciendum illud Platonis: *Rempubl. administrantibus præcipuè, si quibus aliis mentiri convenit vel hostium vel civium causa ad civitatis utilitatem:* quomodo medicus si ægroto mendaciolum aspergat, aut Pater improvidam filij ætatem ludificet, nullum contrahitur vitium: de qua re agemus, cum DEO disput. penultimâ.

lib. 5. Pol. cap. 11.

lib. 4. Pol. cap. 14.

lib. 3. de Rep.

DEO DUCE. Democratia.

Disp. IX. Resp. 39. CHRISTOPHORO Vpheff/ Embdano.

§. 1.

PErgimus hinc ad Democratiam, ultimam quidem illam ut ordine ità dignitate, neutiquam tamen adspernandam, imò culuisimis olim Gentibus antepositam cæteris Reip formam. Non enim de nihilo est, quod habet alicubi F. Guicciardinus. *Liberæ civitates* DEO *summopere placere; eò quod in iis magis quàm in alio genere Rerumpubl. commune bonum conservetur, Jus suum cuiq; æqualiter distribuatur, Civium animi vehementius ad virtutem & laudem accendantur, Religio colatur, Sacra peragantur.* Quod de Virtute ait, comprobari amplius clarissimo cum Græcorum tum Romanorum exemplo potest. De utrisq; Dio: *Dum unius nutu in Græcia omnia gerebantur, nunquam res magnas gesserunt: postea vero qvum in illam alteram popularem potestatem devenerunt, clarissimi evaserunt. Nos quoq; Romani libertatem assecuti ad hanc magnitudinem nullo alio, quàm Reip.* (democratiæ) *bono freti, progressi sumus.* Et quis nescit, Rempubl. Athenienſium exclusis Archontibus perpetuis tulisse Draconem, Solonem, Thaletem, Miltiadem, Aristidem, Themistoclem, Niciam, Alcibiadem, Periclem, Cimonem, Demosthenem, aliosq; omni genere Virtutum inclitos & florentissimos Viros, quorum inire numerum difficile fuerit: Romanam verò Rempubl. Regibus pulsis singulari virtute ac prudentia eminentissimorum ducum copiosissimam lectissimamq; messem produxisse, qualem frustra quæsiveris in reliquo orbe universo? Sed hac de re pluribus agendi infra locus erit.

lib. 10. Histor.

lib. 52.

§. 2. De nomine Democratiæ prænotamus, non uno atq; eodem modo apud Græcos eam accipi. Plato democratiam generaliter usurpat tam pro recto atq; bono, quàm pro vitioso & prolapso Reip. statu: adeoq; quamcunq; τὴν πλήθους ἀρχὴν democratiam

De nomine Democratiæ.

in Polit.

cratiam appellat, quam dividit in eam, quæ legibus gubernatur, & eam, quæ legum nullam habet rationem, sed ex lubidine plebis, belluæ multorum capitum regitur. Polybius *illud esse populi imperium* (δημοκρατίαν καλοῦμεν) dicit *non ubi penes quamlibet turbam potestas est faciendi, quicquid voluerit aut proposuerit, sed ubi patrius mos viget Deos colendi, parentes honorandi, seniores reverendi, legibus parendi: ij sunt cœtus, aqud quos si vincit illud, quod pluribus visum fuerit, populi imperium esse jure dici potest.* Ad eundem modum alij quoq; Scriptores Græci democratiæ vocem sive generaliter, sive in specie pro Imperio populi recto accipiunt. Aquibus Aristoteles discedit, dum Democratiam vocat Imperium plebis, (δῆμον enim accipit pro viliore populi parte) totius autem populi imperium in quo tam flos populi quam fex rerum potiuntur æquo jure, Politiam seu Rempublicam vocat, nomenq; generis uni tribuit speciei: quanquam ipse Aristoteles fateatur, *quas nunc vocant Politias, majores τοὺς πρότερον Democratias appellasse.* Quam vero Politiam vocat in libris de Republ. eam Timocratiam ἀπὸ τῶν τιμημάτων seu à censu ità dictam alibi appellat, quatenus scilicet omnes censi pares sint & æquales. Nos Democratiæ vocem, prout οἱ πρότερον eam usurpârunt, & vulgus hodie capit, pro Imperio populi recto accipimus & à cæteris Rerumpubl. formis distinguimus; Democratiam vero prolapsam Ochlocratiam appellabimus.

lib. 6.

lib. 4. Polit. cap. 13.

8. Eth. cap. 12.

Democratiæ definitio.

§. 3. Est autem Democratia Respubl. in qua populus universus summam obtinet potestatem. Populus nobis est universa multitudo tam nobilitatem quam plebem complexa: à qua vocis latitudine non abhorret Græcum δῆμος, quodq; apud Athenienses erat βουλὴ καὶ δῆμος, id Romanis fuit Senatus Populusq; Romanus; quæ vocum complexio Senatum non tàm à populo distinguit, quàm populi primam facit & nobilissimam portionem, idemq; valet ac si dicam, Senatus, adeoq; totus Populus Romanus. Cum ergo ex æquo penes Nobiles atq; plebem Majestas est, Democratia existit. Nec valde nunc soliciti sumus de eo, quod ex Aristotele non minus communiter quàm operosè disputatur; Videlicet, ut existat democratia seu Politia in specie, quendam veluti

luti cinnum vitiosæ democratiæ & oligarchiæ, & tantùm non mixtionem fieri oportere, ità ut totus ordo patritiorum æquali jure censeatur cum toto ordine plebis, non habita numeri ratione, cujus si habenda ratio esset, jam plebe prævalente non videretur penes universũ populum summa residere potestas, sed penes viliorem ejꝰ partem. Hæc, inquã disceptatio nunc supervacua est, quando inquirimus in ipsam democratiam, h, e, formam & statum democraticum: discutietur infrà, ubi de institutis democratiæ circa *Magistratus*, *Senatum*, *Judicia* (quæ sunt tres primariæ Reip. partes Aristotele teste, ipsamq; Reip. administrationem seu summæ potestatis exercitium tangunt) agere necessum habebimus. *lib. 4. Pol. c. 14. & lib. 6. cap. 1.*

§. 4. Etenim si in alijs Rerumpubl. formis non est obscurum discrimen inter formam seu statum & administrationem, certè in democratia id ipsum omnium clarissimè relucet, in quâ summa quidem potestas penes universum est populum, sed exercitium illius & administratio penes delectos. Quomodo in Rom. Rep. Romulo mortuo penes Senatum authoritas, penes populum potestas erat. Et authoritatis quidem tanta vis erat, ut res ad comitia Senatus produceret, in curia prius deliberaret non tantum, verum etiam decerneret, ità ut nihil jubere populus posset, cujus Patres non fuissent autores. Et tamen penes populum totum & ejus suffragia potestas trium summarum erat rerum, magistratuum scil. creatio, legum latio, & belli inferendi deponendiq; arbitrium, teste Halicarnasseo, quæ sunt tres indubiæ potestatis summæ tesseræ. Genevates ex promiscuo ordine civium magnum, quem vocant, Senatum ducentorum constituunt, qui summum in Rep. locum obtinet, & non convocatur, nisi ubi de maximi momenti negotiis agendũ, aut aliquod Majestatis jus est exequendum. Quia vero ad hoc concilium omnium ordinum cives promiscuè admittuntur, & totum populum repræsentat, non est pro Aristocratia hæc Respubl. habenda, sed pro democratia: quippe totius populi suffragiis Senatores leguntur, magistratus summi creantur, leges feruntur, bella geruntur, pax & fœdera firmantur. Eadem fermè ratio Rerumpl. in septem cernitur majoribus Helvetiorum Cantonibus, in quibus Senatus sodalitiorum suffragiis, vel etiam sedecimvirorum & decurionum legitur, & omnes per populum aut ejus delegatos constituuntur

Aliud forma, aliud administratio.

Antiq. Rom. l. 6. c. 58.

Magistratus: quæ quidem Respubl. non secus ac Athenienſis olim, Senatui maximarum rerum procuratione concedunt, ſed ſalvo populi jure, ſalvaq; ejusdem majeſtate. Ad eundem modum in fœderato Belgio, quod non unâ, ſed diſtinctis Rebuspubl. conſtat, ut dictum ſupra, & in Hollandia quidem ſumma poteſtas penes populum, ejusdem vero exercitium penes Principem Auraicum & ordines eſt, quorum conventus ter quaterve anno, aut quoties res poſcit, indicitur, & Hagæ habetur. Auctis vero cum bello oneribus & negotiis alius quoq; conſeſſus inſtitutus eſt, qui perpetuo Hagæ agit & ærarium regit, resq; ad fœdus συμμαχικὸν & commercia ſpectantes judicat, atq; adeò, quando ipſorum ordinum conſeſſus non habetur, illum repræſentat, atq; ab ipſis deliberata exequitur, ordinum conventum, quum opus eſt, convocat, & articulos ſeu capita deliberandorum ſingulis membris ſubmittit. Quinam autem illi ordines? Nobiles & civitatum deputati, quorum moderator in Hollandia eſt jurisperitus, quem vocant Advocatum Hollandiæ, qui prima comitiorum die, de quibus agendum, aperit: ordines autem præſtito fidelitatis & ſilentij jurejurando de ſingulis deliberant, & quod major pars decreverit, id ratum habetur (præterquam in rebus maximi momenti, in quibus ſingulorum conſenſus exſpectatur) & ab eodem Jurisperito in acta refertur, quorum exemplaria octavo poſt peracta comitia die Nobilitati & ſingulis civitatibus mittuntur. Illi vero ordines, qui Hagæ perpetuo agunt, ut plurimum poſt triennium domum revocantur, & alij ſubmittuntur. Quæ omnia ſtatus in Belgio democratici non tam σημεῖα ſunt quam τεκμήρια.

diſp. IIX. §. 4.

An populo rectè tribuatur poteſtas? lib. 3. Polit. cap. 11.

§. 5. Atq; hæc ita ſe habent Dubitari poſſet, an rectè ſatis toti populo poteſtas jubendi competat, illi multorum capitum belluæ, in quo, ut Cicero loquitur, *nec conſilium eſt, nec ratio, nec diſcrimen, nec diligentia, quiq; ex veritate pauciſſima, ex opinione plurima judicat.* Reſpondet Philoſophus, ſi de plebe atq; fece multitudinis ſermo ſit, vera illa eſſe (& ſic Cicero ſua jubet explicari) ſi de ipſâ totâ, falſa. diſtinguit vero multitudinem, dicitq; aliam prorſus beluinam eſſe & virtutis omnis expertem, qualis in extremo orbe habitat; aliam modeſtam, ingenuam & quæ virtutis habeat guſtum, qualis in medio orbe Græcia, Italia, &c. exiſtit. Deinde, talis multitudo,

tudo, si conjunctim accipiatur, æquè ac pauci prudentes rectis consilijs atq; imperijs gubernare Rempubl. potest, imò haud paulò melius: in quam rem tria similia affert Aristoteles, queis totam hanc disputationem mirum in modum illustrat. *Quemadmodum cœnæ*, inquit, *in quas singuli Symbolam contulerunt, ijs, quarum sumtus ab uno suppeditatus, est, sunt copiosiores & lautiores. nam cum sunt multi, suam quemq; virtutis & prudentiæ partem habere, eosq; congregatos, & multitudinem illam fieri tanquam unum hominem multorum pedum & multarum manuum, & multis sensibus instructum, itemq; multis moribus & cogitationibus præditum. Quapropter de musicorum & poetarum operibus melius judicat multitudo: alij enim de alia aliqua particula, omnes autem de omnibus.* Alibi vero eandem resumit quæstionem, eamq; tribus potissimum rationibus decidit. Prima est, quod in rebus dubiis quisq; nostrum solet amicos convocare & in consilium adhibere, quo ostendimus plures rectius judicare de casibus singularibus, quàm unum. II. Compertum est, populum universum, quantumvis sæpè in universalibus errantem in singularibus ratius errare: cujus rei exemplum porrigit Romanus populus, qui, cum diu contendisset, è plebe quoq; tribunos consulari potestate creari, postquam id obtinuit, omnes patritios, nullum plebejum elegit. Adde memoria dignissimum exemplum Campanorum apud Machiavellum. III. Multitudo non ita facilè corrumpitur, quàm pauci, quemadmodum ingens stagnum non ita facilè turbatur, ac parva lacuna. *lib. 3. cap. 15.* *lib. 1. disc. cap. 47.*

§. 6. Prius, quam ad Instituta democratiæ accedamus, de æqualitate civili nonnulla dicenda sunt, quæ velut fundamentum democratiæ est, cui innituntur & superstrui debent instituta. Nam quia ex æquo penes omnes summam residere potestatem diximus, maximè propria & velut essentialis nota democratiæ est hæc æqualitas, quam Aristoteles ait consistere in duabus rebus, imperandi & parendi vicissitudine, & Libertate. Omnes enim cives æqualiter nunc imperant, nunc parent. Cumq; æquale sit duplex, ratione numeri & ratione dignitatis, ἴσον ἀριθμῷ, καὶ ἴσον λόγῳ s. proportione idemq; ἴσον κατ' ἀξίαν, (hanc vocant Geometricam cum personarum & dignitatis in magistratibus legendis fit respectus: illam Arithmeticam, cum non fit) in democratia vitiosa valere debet *lib. 6. Politi. cap. 2.* Fundamentũ democ. Æqualitas.

æqualitas Arithmetica, ut, quem ordinis ratio tangit, is imperet, & vicissim alij locum cedat. sed & Libertas in exerrante democratia in licentiam abit, & jubet licitum cuiq; esse vivere, prout lubet, & facere quod vult atq; prout vult. In democratia rectâ æqualitas viget proportionis & Geometrica, quæ in conferendis magistratibus dignos ab indignis discernit, Virtutemq; respicit, quæ sola Civitates olim collegit & nunc servat, atq; ut Veræ nobilitatis non habet nullam rationem (ἡ γὰρ εὐγένεια, inquit Aristoteles, ἐστὶν ἀρχαία ἀρετὴ, *Nobilitas est prisca virtus*, quam qui non possidet, nec nobilitatis verus est hæres) ita nec plebejos animos fastidit. Porro non est vera libertas ἐξουσίαν ποιεῖν ὅ τι τις βούλεται: licentia hæc est, scaturigo τῆς ἀναρχίας, pestis atq; pernicies Rerumpubl. quando ἀδεὶς ἀδενὸς ἄδην ἀκούει h, e, nemo quenquam audit, sed ex suo quisq; modo, arbitrio & lubidine vivit. Quam hominum colluviem Aristoteles, ut infra dicetur, democratiæ prolapsæ ultimam eamq; pessimam speciem facit, imò Reip. nomine prorsus indignam. *Ubi enim nulla est legum authoritas, ibi nulla quoq; est Respubl.* ut rectè ait Chrysippus. Ipse quoq; negat Phylosophus, illorum sententiam, qui in democratia æqualitatem secundum Arithmeticam, in oligarchia secundum Geometricam proportionem æstimandam statuunt, esse simpliciter veram & bonam, quia hisce tum impune pauperes, illis vero ditiores opprimere & bonis evertere liceat.

lib. 4. Pol. cap. 8.

Seu æqualis omnium libertas.

§. 7. Vera ergo æqualitas consistit illa quidem in alternatione imperij & Libertate, sed sano atq; integro sensu. Scilicet τὸ ἐν μέρει ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι s. potestas vicissatim imperandi & parendi est illa quidem nota democratiæ etiam rectæ, sed hujus ea lege est, ut non ordinem simpliciter respiciat, sed personarum potissimum attendat qualitatem, adeoq; illas dotes, quibus ornatos esse Magistratus, si tanti nominis ex plere mensuram cupiunt, oportet, (quod uberius Disp. de Magistratibus explicatum dabimus) videlicet amorem Reip. Prudentiam, Probitatem. Atq; hæc est illa ἰσονομία atq; æqualitas quam eversam Horatius Valeriusq; Coss. apud Livium queruntur, cum decemviros *nihil dicunt juris in civitate reliquisse, Comitia & annuos magistratus & vicissitudinem imperan-*

lib. 3.

perandi, quod unum exæquandæ sit libertati, sustuliſſe. Nec ante conquievit plebs Romana, quàm omnes magiſtratus ſecum communicarentur. *Quæſtores*, inquiunt apud Livium Sextius & Licinius, *ſicut tribunos militum paucis ante annis ex plebe cœptos creari: conſulatum adhuc ſupereſſe plebeijs. Eam eſſe arcem libertatis, id columen, ſi eo perventum ſit, tum pop. Rom. verè exactos ex urbe Reges & ſtabilem libertatem ſuam exiſti maturum & ſi*, ut alibi habet Livius, *ambos patritios non videant perpetim Conſules, ſed invicem pareatur & imperetur, nec pars alter in æterno imperio collocata, plebem nuſquam aliò natam, quàm ad ſerviendum putet.* Rurſus non hæc eſt libertas, quæ Legum obedientiam excutit: quin contra hæc demum vera libertas eſt cenſenda, quæ refrœnat cupiditates, lubidini modum ponit, nosq; Virtuti & legibus fingendos formandosq; tradit. *Legum* inquit præclariſſimè Cicero, *magiſtratus miniſtri ſunt. & legum denique omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Lex enim eſt fundamentum libertatis, fons æqualitatis, mens, animus, conſilium & ſententia civitatis poſita eſt in Legibus* Et plato *ſerviri ait DEO ſervitutem, quæ ſervitur obediendo Legibus* In his ſita eſt æqualitas democratica, cujus tanta portio debetur uni quam alteri, plebi quàm patritiis Unde apparet, ut jura Majeſtatis cætera, ita ea quoq; quæ dominio eminenti continentur, plebi cum patritiis communia eſſe, adeoq; jus venandi, piſcandi, aucupandi, cæteris paribus nulli ne minimo quidem ſubtrahi oportere.

lib. 6.

pro Cluent.

lib. 6. de LL.

§. 8. Quanquam vero in Regno & optimatium imperio, ſi totus ſpectetur populus, iſq; ſui juris & civiliter ac publicè ſtatu liber, libertatis umbra & imago quædam apparet, in democratia tamen libertas in vero ſuo vultu conſpicienda præbetur. Hic enim ſinguli imperare alternis, ut dictum eſt, vicibus apti nati ſunt, prorſus *ſicut ab initio homines Politiam cœperunt*, (verba ſunt Ambroſij) *ut communis eſſet labor, communis dignitas, per vices ſinguli partiri curas diſcerent, nemo eſſet honoris expers nullus immunis laboris.* Diſputat ſatis acutè Machiavellus, utrum libertatis cuſtodia optimatibus, an populo tutius committatur, & rationes pro populo magis, eventum pro optimatibus militare aſſerit, quoniam diutius duravit libertas Venetorum, quàm Romanorum. Nos *populi imperium juxta libertatem, paucorum dominationem regiæ libidini propio-*

Libertas quanti facienda.

in Hexa.

lib. 1. diſcurſ. cap. 5.

pierem esse cum Tacito pronunciamus. Non est in humanis quid-quam, cujus sit ferventior cupido quàm libertatis, eò quod cum naturæ ejusdem simus & ejusdē cœtus civilis consortes, æquale nobis jus deberi arbitramur. Quæ causa est, cur democratiæ ferè multò sint omni genere bonorū florentiores, quàm quævis alia Reip. forma. Testes laudamus Græcos, Romanos, quiq; soli hodiè, quod sciam, per eorum vestigia gradiuntur, Germanos, hosq; non omnes, sed Helvetios, fœderatos Belgas, eorumq; æmulas pro modulo suo liberas Imperij Urbes. Quis enim non quàm libentissimè isthic sedem fortunarum suarum figat, ubi polliceri sibi habet prolem non in spem servitutis nasci vel educari, sed liberam non tantum fore, verum etiam si det operam Virtuti, ad ipsa Reip. gubernacula admotum iri? ubi rebus partis tuto frui possis, quid malis, quàm augere omnibus modis cum privatam rem, tum publicam, quando-quidem ab hac incolumitas illius universa pendeat? *Non habetur ratio*, inquit alicubi Machiavellus, *boni publici, nisi in liberis civitatibus, in quibus id, quod ex æquo prodesse potest omnibus, aut quàm plurimis, semper* (utinam!) *decernitur, nec habetur ratio paucorum quorundam, quibus nocere forte possit id, quod universis prodest. Contrà quam accidit in iis civitatibus, quæ principis alicujus imperio parent. Nam in iis plerumq; fit, ut quod Principi prodesse potest, universis civibus noceat.*

lib. 2. cap. 2.

Institutæ democratiæ in genere.

§ 9. Cum autem eadem hæc æqualitas, quæ aliàs bella minimè parere solet, si modum sui fastigii non tenet, cadat & in extremam devolvatur servitutem, quid in magistratibus, quid in judiciis, quid deniq; in Senatu sequi democratia debeat, delineare nos ac adumbrare necessum est. Quod enim aliis rebus accidit, ut facilis ad vitia sit delapsus, gratiâ exempli, qui gravis esse vult, incidit in asperitatem & tristitiam morum, fitq; βαρὺς potius quam σεμνὸς, id in democratia maximè locum habet, ut, quo majus ea bonum civibus dilargitur suis, tanto proclivior sit *in casum atq; avide ruendo in libertatem plebs*, ut Livius ait, *in servitutem elabatur*. Firmanergo est & vincienda convenentibus institutis. Ea generatim si spectentur, huc redeunt. Leges tam non scriptæ quam scriptæ observentur, inprimis illæ, quæ de rebus sunt sacris constitutæ, ut fiat populus persuasus, si quid contra leges & religionem designet, non

pœnam

pœnam tantum exteriorem, sed gravissimam quoq; divini Numinis vindictam impendere. Nihil enim est, quod cohibere ruituram in exitium suum plebem possit, quam internus ille & à DEI metu veniens terror. Atq; ut in omni Republ. Religionum multitudo ac diversitas ceu seditionis seminarium cavenda, ita maximè ea in democratia, quantum potest, fugienda, quippe quæ motibus & seditionibus præ cæteris obnoxia, vel ex hac unica sœpe causa evertitur, nisi metus fortè externus teneat populum religione dissilientem. Proximum huic generale institutum est, ut omnes cives convenientur huic statui educentur, & maturè imbuantur (præsertim populi potior pars) amore erga præsenrem statum, & contemtu universæ pompæ, quam præferunt Principes & Reges externi. Potissimum id danda opera, quo sit patritiornm & plebis æqua potestas, ne vel præponderent patritij, resq; in dynastiam & dominatum paucorum eat, vel omnia plebis arbitrio subijciantur, quæ destituta consilio meliorum effrœnis est, &, ut Cicero eam nocat tyrannus. Maximè, si tribunitijs concionibus seu demagogis patulas aures præbeat, qui cum invideant divitum & Nobilium bonis, hos quasi insidiatores publicæ libertatis traducunt, & odio plebis obijciunt: quod sentientes patritij atq; divites, prævenire quam præveniri malunt, quo fit, ut omnia permisceantur, & vel in tyranniem unins vel dominatum paucorum res tandem erumpat. Cumq; *egestas seditionem & Injuriam efficiat*, Philosopho teste, curandum, ne plebs cum egestate colluctetur, atq; inde occasionem rapiat nova moliendi. Porro quatuor modos affert Aristoteles, quibus sublevari renuiorum fortunæ possint. Primus est, si quod superest Reip. dividatur in pauperes, si non singulos, at collectos in sodalites aut tribus, ut inde suppetat, quo rem facere singuli possint. Dices, exhausto ærario unde necessariæ impensæ sumentur? Resp. à ditioribus, si nihil est tenuioribus, unde juvate Rempubl possint. Secundus est, ut in colonias deducantur pauperes: qua de re suprà diximus. Tertius est, ut constituta mercede pauperibus opus præbeatur v. c. jubeantur ædificia divitioribus exstruere, vel fossas ducere, propugnacula firmare. Quartus est, ut in publicum contribuant ditiores & cum pauperibus bona sua communicent χρήσει

lib. 3. de Rep.

lib. 2. Pol. cap. 8.

lib. 6. Polit. cap. 5.

ſ. uſu non κτήσει ſeu poſſeſſione. Nunc ad ſpecialia inſtituta democratiæ deſcendamus.

Inſtituta ad Magiſtratus pertinentia.

§. 10. Inſtituta democratica ab Ariſtotele poſito & ſupra à nobis explicato fundamento protinus imponuntur. Inſtituta ad Magiſtratus pertinentia ſex enumerat, & ſeptimum poſt adjungit. Primum eſt, ut magiſtratus creentur ex omnibus & ab omnibus. Secundum, imperari viciſſatim ab omnibus unicuiq;, & ab unoquoq; omnibus, per certa nimirum temporum intervalla. Tertium eſt, magiſtratum debere ſorte creari, non ſuffragiis. Sed hoc vitioſæ democratiæ proprium eſt, niſi ità capiatur, ut non quidem ſimpliciter ex omni civium numero, ſed ἐκ τῶν προκρίτων ſ. προκριθέντων ſorte ducantur Magiſtratus, quando ſcilicet primâ de prudentia & moribus factâ quæſtione ex omnibus civibus excerpuntur aliqui, quaſi præjudicio magiſtratibus digni, quorum nomina deinde in urnam conijciantur, & certo numero, quoſcunq; ſors dederit, magiſtratus fiant. Quem modem mixtum ex Ariſtocratia & politia alibi Ariſtoteles appellat. Libro autem ſexto, quando de democratia optima agit, hæc verba velut ἐπανορθώσεως χάριν inſerit: *Qui Rempubl. adminiſtrant, cum eos bene & præclare adminiſtrare neceſſe eſt: (nam ità magiſtratus ſemper ab optimis gerentur & populo volente ac lubente & viris bonis non invidente:) tum homines frugi, viriq; illuſtres neceſſario hac reip. deſcriptione atq; ordine erunt contenti. Nam nec aliorum deteriorum imperio parebunt & juſtè imperabunt: quia penes alios rationum repoſcendarum ſit poteſtas. Pendere enim ex aliorum (populi totius) judicio atq; auctoritate, & quicquid velit quis facere non licere, utile eſt. Nam quidlibet agendi licentia ac poteſtas id quod in unoquoq; homine mali ineſt, vitare non poteſt. Itaq; neceſſariò id evenit, quod eſt omnibus Reip. adminiſtrandæ formis utiliſſimum, ut viri boni reip. præſint, tuti à periculo peccandi & ſine immunitione virium aut commodorum multitudinis.* Quartò Magiſtratus non mandentur ex cenſu. Sic enim, ut Rempubl. Carthaginenſium examinans ait Ariſtoteles, maximi magiſtratus fient venales, & plus tribuetur divitiis quam virtuti; tota quoq; civitas reddetur avara; ipſa deniq; Reſp. quæſtui ab iis habebitur, qui Magiſtratum emerunt. Quinto idem Magiſtratus ne bis

lib. 6. c. 2.

lib. 4. Pol. c. 14. cap. 4.

lib. 2. cap. 11.

bis terve uni mandetur, ne excludi se reliqui indignentur, & unus crebrâ prælatione tumefactus contra Remp. insurgat. Nisi forte magistratus sint minores, nec cum magno conjuncti periculo, aut majores quidem, sed ad quos gerendos sint idonei pauci, quales sunt bellici magistratus. Sexto ne sint magna imperia diuturna, sed coerceantur angustis terminis, tum ut pluribus aditus ad Magistratum pateat, tum ne diuturna imperia in Tyrannidem exeant, (quas rationes duodecimum Aristotelis s. ultimum institutum repræsentat) nisi forte mutatio multa secum incommoda trahat, qualis est mutatio Imperatoris bellici & Quæstoris. Cæterum de proximis duobus præter ea, quæ disp. antecedenti diximus, pluribus infra cum disputatione de Magistratibus, tum disp. de Remediis in Republ. morborum agendi locus erit. Quomodo vero Viri Illustres & Reip. nimij in ordinem cogi debeant & supra diximus nonnulla, & infra plura dicentur. Videatur interim eruditissimus Forstneri discursus notis ad Taciti librum Annalium secundum. Septimum institutum quod à reliquis avellit Aristoteles, & numero undecimum facit, (habet etiam locum in judiciis, senatu) huc quoq; spectat, ut ignobiles, pauperes, imò sordida opificia exercentes, non ab omnibus honoribus & officiis, modo eorum sint capaces, excludantur. *pag. mihi 128. seqq.*

πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Atq; hæc sunt instituta Magistratum concernentia.

§. 11. Cum his cohæret institutum unicum, quod concernit Judicia. Judices ex omni populo legantur, qui de rebus maximi momenti, hoc est iis, quæ ad Reip. summam pertinent, & jura Majestatis, nec non de privatorum rebus, si veniant in periculum civium fama bonaq; judicent. Atq; hic est nervus potestatis popularis ideoq; studiosius cavendum, ne unus ordo civium judicandi de Magistratuum actis alijsq; gravissimi momenti rebus ad se præteritis cæteris pertrahat, quod fiebat in Rom. Republ. cum Sempronii rogationibus equester ordo in judiciorum possessione collocaretur, aut rursus Serviliæ leges senatui judicia redderent, Mariusq; & Sylla de eo vel præcipuè bellarent. Sunto autem judicia rarissima, gravissimæq; pœnæ constituantur in calumniatores ac

Institutum ad Judicia pertinens.

temerè litigantes mulcta pecuniaria, exsilium, infamia, vincula, stigmata, mors deniq; idq; serio & cum cura agatur, ut, qui crimen intendit, quod probare non potest pœnam perferat illam, quam convictus sustinere debuisset. Hoc enim nisi fiat, periclo maximo ditiores exponentur, nec prius conquiescent demagogi seu tribuni plebis, quàm plebem sua sponte satis ad incommodandum ditioribus instructam & propensam impulerint, ut, quo jure, quâve injuria ditiorum bona invadat, modò judiciis, modo publicationibus bonorum, modo erogationibus, modo tabulis novis, semper fere divisionibus agrorum. Quo nihil esse pernicioſius Reip. potest Cicerone teste, qui in officiis *nullam* ait *acidere posse majorem civitati pestem, quam si pauperes divitum bona ad se rapiant.* Tunc enim divites undecunq; præsidia conquirunt ad opprimendam plebem, &, quod olim fecere Neapolitani, Britanni, Hispani, alijq; peregrinas gentes evocant suo & Reip. exitio. Hic notetur stratagema populare pauperum minuendæ cupiditati non è minimis esse, si mulctæ & bona damnatorum nec plebi cedant, nec ditionibus ne uterq; auri aviditate proruat ad injustas accusationes & damnationes ditiorum, hi vero prævenire quàm præveniri malint & contra præsentem Reip. statum conspirent: imò nec ærario inferri debent, sed sacris (ita suadet Philosophus) adduci, unde plura commoda existent. *Nam & ij*, verba sunt Aristotelis, *qui injusta facinora patrant, nihilominus sibi à peccando cavebunt, (æquè enim multabuntur) & multitudo agrestiũ atq; impolita minus erit ad reos condemnandos facilis ac propensa, ut pote nihil lucri factura.* In Monarchia quoq; hujus observationis usus est. Boni enim Principes, cum injurias suas & læsæ Majestatis crimen ulti sunt, ne magnitudinem pecuniæ & avaritiam reo exitium attulisse dici posset, bona damnatorum non sibi abstulisse, sed modo in sacros convertisse usus, sœpe liberis aut agnatis damnati transmissse leguntur.

lib. 2.

lib. 6. c. 5.

Institutata ad Senatum

§. 12. Tandem Senatus ex omni populo constituatur, nec penes Magistratus esse debet consultatio, nisi de rebus pauciſſimis & haud magni momenti & quantum ad τὸ προβουλεύειν. Porro quatuor modis totum populum consultationum fieri posse partici-

ticipem docet Aristoteles. Primus cum non omnes simul conveniunt, & de capitibus illis deliberant confertim, sed certus deligitur numerus, sic tamen, ut excludatur nemo, sed alium post alium adeoq; omnes tandem ordovocet. Huic non absimilis est modus in Rebuspubl. nonnullis usitatus quo collegia certa magistratuum ex omni populo collecta de Rep. consuliant, quale collegium fuit Athenis Thesmothetarum, Romæ Collegium Prætorum, Tribunorum plebis, Ædilium: quanquam eorum authoritatem ità restringat populus, ut summa Reip. jura sibi reservet. Secundus est, quando conveniunt ad deliberandum de Rep. omnes quidem confertim, sed summa tantum capita & jura Majestatis sibi sumunt, reliqua permittunt magistratibus sorte vel suffragio delectis. Tertius modus cum secundo coincidit, nisi quod hic magistratus tantum suffragio & consequenter idonei tantum cooptentur. Quartus est, quando omnes de omnibus rebus coeuntes consultant, & magistratus nullam prorsus habet potestatem statuendi aliquid de quavis re, tantum illis permissum est τὸ προαναχρίνειν seu τὸ προβουλεύειν, h, e, prius inter se deliberare, de quibus rebus ad populum seu universitatem sit referendum. Ut autem, quis modus democratiæ rectæ sit conveniens, breviter definiamus, præsupponimus primò: non ex usu Reip. esse, ut ad quamcunq; rem totus convocetur populus, consultius esse, ut vel deligantur ex universis conspectiores, ad quos nomine populi rerum summa deferatur, vel non nisi difficilimis ac durissimis temporibus totus jubeatur adesse populus atq; consultet collectim per tribus, curias, sodalitates: deinde distinguimus tempora pacis & belli. Tempore pacis vel habentur deliberationes communes vel secretæ. Ad deliberationes communes cum statas seu ordinarias tum indictivas seu extraordinarias nonnullibi universus populus convocatur, quomodo Respubl. quædam Helvetiorum, montanæ maximè, Uranorum, Suitensium, Underwaldorum, Glarensium, Abbaticellanorum ad deliberationes utriusq; generis omnes cives, modò puberes sint vocant: rectius alibi non toti populo deliberationes de rebus maximis committuntur, sed delectis ex omni populo quippe qui & melius &c. tius rem expediunt, quomodo apud eosdem Helvetios Tigurini,

pertinentia.

4 Pol. c. 14.

Bernates, Friburgenſes ex ducentis civibus, Baſileenſes ex ducentis quadraginta quatuor, Schafthuſani ex octoginta ſex civibus conſtitutam βουλὴν ſeu ſenatum habent, ad quem publica negotia referuntur. Idem in Belgio fieri à Nobilibus & urbium deputatis ſupra diximus. Secretiores vero conſultationes paucioribus concredendæ ſunt, ne multorum conſcientia, quæ tacita vult Reſpubl. corrumpantur: quomodo Genevates ex ſenatu viginti quinq; viros cum perpetua poteſtate ſecretiori conſilio præficiunt, qui totius Reip. arcana pertractant. Inter omnia Reip. Venetæ inſtituta præclariſſima, non aliud mirabilius eſſe Trajanus Boccalinus aſſerit, quam, quod, cum paucis concredita Reſpubl. tyrannidi viam ſternat, indeq; Veneti præcipua rerum vel ſeptemviris, vel ſenatui Rogatorum, qui plusquam 250. nobilibus conſtat, permittant, ſummum tamen horum omnium & ſimilimum oblivioni ſilentium, ſummamq; fidem experiantur nulla mercede venalem, nullis perviam proditionibus. Eandem rem Athenienſes, (de quorum gemino Senatu ſummo vide Scaligerum 2. de Emend. Tem.) & Romani, hodiè Belgæ alijq; repræſentant. Deniq; in bello, ubi bis peccare minimè licet, multitudo capitum quàm maximè nocet, quandoquidem rapienda ſæpè potius, quam capienda conſilia ſunt. Res enim gerendæ duo, celeritatem & ſilentium poſcunt: quorum utriq; numerus inimicus eſt. Hodiè Venetiis, qui ad bellum mittuntur, non ſuis relinquuntur conſiliis: ſed arbitrium de ſumma re certis finibus circumſcriptum domo ſecum afferunt in caſtra, ut ſæpe ne quidem tormenta bellica illi ad feriendos muros, vel alio loco, modove alio collocare audeant, quàm quo mandatum ipſis eſt: nec niſi graviſſima defuncturis pœna juſſa Senatus tranſcendere licet. Quod ipſum egregias benè gerendæ rei occaſiones ſæpè corrumpit. Cæſaris apud Dionem verba ſunt: *Quibus domi ſedentibus movetur bellum, ita ut querelæ initio per legationes fiant utiq; tunc neceſſe eſt, de eo deliberari & ſciſci, deinde exercitus & imperatores mitti: ſed quæ jam egreßis eductùq; copiis bella exoriuntur, ea non in diſceptationem adducenda, ſed tanquam ipſa neceſſitas approbaverit jußerit q;, antequam ingraveſcant, præ occupanda.* Quomodo Romæ olim poſtquam interveniente Scto populus

Vid. Machiav. lib. 3. diſc. 15 & Scip. Amir. in 2. Taciti. Annal.

lib. 38.

ius bellum semel decreviſſet, ejus adminiſtrandi poteſtas Conſuli tradebatur: Senatus ſibipacis tantum firmandæ jus reſervabat; cætera in Imperatoris poteſtate erant; dimicare aut abſtinere pugnâ, obſidere urbes, ſolvere obſidia & ſi quæ ſunt his ſimilia. Fœderatum Belgiũ imitari in parte videtur Romanos, qui imminentibus belli periculis ad creationẽ quoq; dictatoris velut ad ſacrã anchoram confugere ſolebant, feliciores multò, quamdiu Magiſtratus ille temporarius fuit, Belgis, apud quos perpetuus eſt & hæreditarius Principatus militaris.

§. 13. Cæterum, quod de judiciis ſuprà monebamus id de conſultationibus hic repetitum volumus: ne ſint nimirum conſultationes illæ nimis frequentes. diximus enim omnis generis cives ad conſilia vocandos, & habendum totius populi delectum: ex quo cùm neceſſum ſit ſequi, tenuiores quoq; huic ordini adſcribendos, manifeſtum eſt, non eſſe frequenter nimis indicendas deliberationes, niſi prorſus exhauriri tenuiores velis dum publicis poſtputant privata. Quod ſi aliunde malo huic medicina ad ferri nequit, non inconſultum eſſe arbitramur id, quod pluribus locis Ariſtotelis inter inſtituta ſuæ democratiæ recenſet, ut nimirum ſportulis & mercede quadam illiciatur populus, ne ab his judicandi & conſultandi partibus abhorreat utq; iis, qui ad judicia atq; conſultationes ſunt delecti, aliquid erogetur quo diſpendium rei familiaris, quod publica negotia imperant, publico ſumtu relevetur atq; reſtituatur. Quod vero addit Ariſtoteles democratiam uſurpare debere id in conſiliis, quod ſolet Oligarchia in judiciis, id eſt, ut tenuioribus mercedem, ditioribus multam decernat, unde futurum, ut ad deliberationes de Rep. omnes conveniant, id democratiæ Ariſtotelicæ, in qua conc.. ex promiſcua multitudine plebis collecta rerum domina eſt, & in qua prudenter deliberant, imperiti decernunt, hujus, inquam vitioſæ Reip. qualecunq; fulcrum eſt. Sic tenuioribus civibus, ſi publicis concionibus interſint & judiciis, in redhoſtimentum dare mercedem, divitibus nihil, nec ab iisdem mulctam aut pœnam exigere, itidem democratiæ vitioſæ infirmus tibicen eſt, quo fit, ut divites & potior pars deluſa abſtineat publicis concionibus, eo quod impuné ſibi adeſſe: liceat pauperes vero ipſaq; fex multitudinis ad mercedem ceu canis ad offam proruat atq; certatim

Appendix Inſtitutorum.

4. Polit. c. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0147
DFG

tim consolet, & omnium rerum summam pro sua lubidine atq; cœco impetu sumat tractandam, hoc est, Rempublicam det in casū.

De Ochlocratia. 4. Polit. cap. 12. cap. 4. cap. 4.

§. 14. Nunc ad prolapsam democratiam pergimus, quam Ochlocratiam appellant. Aristoteles Ochlocratiæ plures proponit species, seu, ut rectius dicamus, gradus vitiosarum Rerumpubl. quarum una deterior, altera melior, *tantoq; melior, quantum ad laudabilem democratiam propius accedit, & deterior, quo à medio remotissima est*, ut loquitur Aristoteles quarto politicorum. Eodem libro Ochlocratiæ species quinq; constituit, vel, ut rectius dicamus, observatas & ab experientia ostensas enumerat, & rationem adsignat, cur plures sint species Ochlocratiæ. Libro autem sexto tum comparationem inter eas instituit docens optimam esse Rempubl. quæ constet ex agricolis, simul in commendationem agricolarum digreditur, tum remedia, quibus fulciri Ochlocratiæ quadantenus possint, sub finem capitis monstrat, de quibus nobis, cum DEO disp. Polit. ultimâ agendum erit. κὴ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

De Comparatione Rerum publ. lib. 3. Polit. c. 11. 15. & lib. 7. cap. 1. 4 Antiq. cap. 8.

§. 15. Constitueramus sub finem hujus Dissertationis in laudes singularum Reip. formarum ire, atq; de præstantia Monarchiæ nonnulla attexere. De democratia passim hac disp. vidimus. Aristocratian cum Aristoteles commendat, tum alij gravissimi scriptores nõn dubitant alijs Rebuspubl. ante ferre: inter quos Josephus, qui ita loquentem Israelitis Mosen introducit. ἀριστοκρατία μὲν ἂν κράτιστον, κὴ ἡ κατ' αὐτὴν βίος. Monarchiæ præstantiam ipsa Natnra in armentis, gregibus, apibus, metallis, sideribus toto deniq; mundo inculcat. Sed videatur elegantissima comparatio Rerumpubl. apud Herodotum in Thalia. Nos rem in duas colligemus assertiones, quarum

I. *est: Monarchia est præstantissima Reip. forma, minus laborans dissensionibus, consiliorum lentitudine, ac divulgatione, ambitu deniq; &c. sed si administratione optimatum temperetur.* Μοναρχία γὰρ ἀνομος, χαλεπὴ κὴ βαρυτάτη ξυνοικῆσαι, *Plato in Polit.*

II. *Non tamen omni populo apta est; & solet id esse carissimum cuiq; imperij genus, sub quo est genitus. Vid. Aristot. lib. 4. Polit. c. 11. 12.*

DEO DUCE!

De Legibus

§. I.

ANalyticus ordo flagitat, ut res in principia operationis, ut vocant, resolvatur, quemadmodũ disput. præliminari est demonstratum Quare cum Respubl. ejusq; species à nobis sint expensæ, nunc ad principia & partes, ex quibus constat Respub., Imperantes & Subditos, convertendus animus est, ut membris seu partibus plenè perspectis, earumq; connexione & differentia, in ipsius Reip. penetralia admissi totum exactius mente constituamus. De majestate, quantum sat est, suprâ diximus: nec retractare eam aut requere opus esse existimamus. Verbo id repetimus, quod de JURIBUS Majestatis perspicuè, &, ut arbitramur, solidè fuit propositum: quorum quatuor classes cum ordinaremus, primam circa Leges versari ex lege ordinis asseruimus. Atque hinc incipiet quoq; tractatio de mediis Politicis, quæ ad finem seu consequendũ, seu conservandũ faciunt unicè. Quod cũ ab omnibus Majestatis juribus expectari debeat, tũ inprimis id præstant Leges, ut non minus verè quã prudenter judicarit gravissimus Historicorum omnis ævi Polybius, succubuisse post tot annorum concertationes Carthaginem & à Romanis victam conditiones accepisse, ob eam maximè causam, quod, quo tempore inter eas incidit contentio, tum & Carthagine multò, quàm antea, negligentiùs, & Romæ multò, quàm antea, diligentius leges colebantur. Ego, inquit, *duo principia sive fundamenta esse autumo cujuslibet Reip. propter quæ forma illius & constitutio vel optanda censeri debeat vel fugienda. & optanda quidem illa sunt, quæ & civis cujusq; vitam privatim sanctam reddunt & castam, & publica civitatis instituta mansueta atq; justa. fugienda verò quæ præstant contrarium.* Exempla pessumdatarum neglectu legum Rerumpubl. plurima sunt, semperq; erunt, ὅσοι κόνιες

Disp. X. Resp. 4. Elia Schrodero Dantisc.

Disp. 6. §. 23.

lib. 6. cap. 45.

§. 2. Lex sive à legendo, quod malumus, sive ab eligendo, quod delectum monstret rerum agendarum & omittendarum, sive aliunde derivetur, parum vel nihil interierit. Neq;, si variam vo-

Quæ ad legis Etymon

& Homonymiam. cis acceptionem operosè hic explicemus, dignum opera pretium facturi videmur. Quis nescit, Legem ordini sæpius æquivalere? quo spectat Lex æterna, quæ est gubernandarum rerùm omnium, certa serie conditarum ratio sive norma, qua omnia dirigit DEUS in fines competentes & præsertim ultimum, ut cuiq; rei obligationem quandam cujusq; naturæ congruam indat. Hac mente Cicero: *lib. 2. de Leg.* *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; scitum aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendiq; sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis DEI, ex quâ illa lex, quam dij humano generi dederunt, rectè est laudata.* Nos de legibus, queis vel creata cuncta vel brutæ naturæ adstringuntur, nunc non agimus. Nec de Legibus eo modo, quo Theologi vel JCti eas sibi sumunt explicandas, hic agere fas est. Etenim Theologus non legem in communi considerat, sed quam DEUS vel populo Jsraelitico & Reip. Judaicæ speciatim dedit, vel jampridem mentibus humanis inscriptam, sed *quæst. 4.* *impressa consuetudine pectandi*, ut loquitur Autor Quæst. V. & N. Test *evanescentem* de novo quasi restituit. JCtus itidem uni Reip. ejusq; Legibus suam operam addicit: queis dextrè interpretandis, & ad emergentes casus attemperandis universum JCti officium circumscriptum est. Neutrum Politico curæ est: neq; enim DEI Leges solicitat, nec de Legibus hujus vel alterius Reip. & earum interpretatione, sed de Legibus in genere suscipit tractationem, quatenus instrumenta sunt Reip. regendæ, & à Majestate, penes quam summa earum est potestas, proficiscuntur, adeoq; de ijs agit politicus, quæ generatim spectatis Legibus conveniunt. Unde patet, non de Lege Naturæ, nec de Lege Gentium, ut quarum neutra in potestate Imperantis sita est; sed de Lege positiva, h, e, eâ, quam ponit, condit, figit refigit Majestas, deinceps agi à nobis oportere.

Legis Definitio. §. 3. Est autem Lex decretum ab eo, qui potestatem habet, sufficienter promulgatum ad bonum commune. Hujus definitionis verba si, quàm licet, diligenter à nobis excussa fuerint, magnam nos lucem doctrinæ de Legibus fœneratos esse arbitrabimur. De definito nihil addimus. *Genus.* Genus Legis est decretum: quæ vox cum

aliàs

aliàs in homine actuum plurium succeſſionem & varietatem ſupponat, hic à quacunq; imperfectione removenda nobis eſt, cum nihilo minus Lex forenſis Judaica Lex fuerit, etiamſi à DEO, in quem deliberatio & ſucceſſio actuum non cadit, ſit perlata. Quanquam ergo decretum ſimplex actus eſſe poſſit, nil tamen impedit, quò minus in eo diverſitatem quandam per rationis, ut vocant, inſtantia ſeu ſigna (in nobis realis eſt diverſitas) deprehendamus. Scilicet in unoquoq; decreto duo licet animadvetere: actum intellectus practici, ſeu judicium practicum in legiſtatoris mente, dum Legislator judicat aliquid ex uſu publico fore: deinde actum voluntatis, de obligandis ſubditis, quem ſequitur Imperium à prudentia profectum atq; oratione ferè expreſſum, quum dicitur, Hoc facite. Unde Ariſtoteles: ὁ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν, λόγος ὢν ἀπὸ τινος φρονήσεως καὶ νοῦ, h, e, *Lex cogendi vim habet, quum ex prudentia quadam & mente profecta oratio* (ratio) *ſit.* 10. Eth. cap. 10.

§. 4. Cauſa Legis Efficiens eſt is, qui habet poteſtatem, ſeu ut Thomas loquitur, qui curam habet communitatis: in Monarchia Rex, in Ariſtocratia Optimates, in democratia populus univerſus. Cum enim lex ſit communis ſponſio civitatis, non poteſt ab alio proficisci & Legis vim ac vigorem ſortiri, quàm à Majeſtate, quæ, ut habet Plutarchus, ἡ κατὰ τὰς νόμους μόνον, ἀλλὰ κατὰ τῶν νόμων ἄρχει, h, e, non ſolum ſecundum leges, ſed ipſis quoq; legibus imperat. puta poſitivis. In leges enim divinas, Naturæ & Gentium nihil Majeſtati juris eſt. Nemo eſt, quin videat, privatos cogere item jubere, vetare, in queis Legum vis ſita eſt, nil quicquam poſſe, quod univerſos adſtringat. Hinc clarum eſt, cur Athenienſes, cum Soloni mutandæ Reip. curam traderent, etiam abſolutam & ſummam adjunxerint poteſtatem: videlicet, quia ſine ea leges inanes futuras prævidebant. Eſt itaq; jus Legum condendarum è primariis Juribus Majeſtatis, quod ab ea non magis avelli aut abſtrahi poteſt, quàm ab anima rationis compote Intellectus. Quanquam enim Magiſtratus, qui à Majeſtate dependent, leges ſubditis præſcribant, hanc tamen poteſtatem ex ſe non habent, ſed ex beneficio, conceſſione & approbatione Majeſtatis. Quomodo nunc duces Imperij, liberæ quoq; civitates leges in territoriis ſuis condunt, alie- Cauſa effic: Legis. *in Flam.*

disp. 6. § ult. nâ nimirum potestate, cujus ipsi velut propria sunt organa, ut supra est ostensum.

Differentia Legis.

§. 5. Essentiale requisitum Legis est promulgatio, quæ nihil est aliud, quam insimatio & manifestatio legis, quò pervenire in omnium notitiam possit, facta signo quodam externo, puta sermone, vel scripto. Non enim necessario scripto, literis vel æri inciditur lex, cum ore possit sufficiens promulgatio fieri Multo minùs necessari ûest, ut coram omnibus individuis seu personis, ad quas spectat lex, promulgatio peragatur: modo coram potioribus atq; pluribus Reip. membris divulgatio fiat, unde singulis, qui culpabili negligentia non laboraverint, haud difficulrer innotescat. Intelligimus solennem & sufficienti expressam signo promulgationem. Jure enim reprehenditur C. Caligula Imp. quod cum judicaret vectigalia, ea vel non proponeret, aut si legem proponeret, minutissimis literis angustissimoq; loco id fieri curaret, ne cui describendi facultas esset. Addo & hoc, intelligere nos promulgationem non percontantem, qui erat mos Romanorum, ut paulo post videbimus, sed decernentem. Neque prius obligare Lex potest, quam solennis &, qualem diximus, plena præcesserit promulgatio. Dirigit enim lex, vetat, jubet, quomodo autem eos diriget vel adstringet, qui invincibili ignorantia præpediuntur? Quare tantisper suspenditur Legis obligatio, dum in notitiam nostram Lex commodè queat deduci.

Suet. in Cal.

Exemplo Romanorum illustratur.

§. 6. Cæterum, ut varij fuerunt apud diversas gentes modi Leges promulgandi, ita nescio an uspiam gentium majori circumspectione ac prudentia Leges cum latæ tum promulgatæ fuerint, quàm apud Romanos. Quam rem strictim exponemus, nec dubitamus quin sit præsenti materiæ lucem longè clarissimam allatura. Apud Romanos ergo non nisi à Magistratibus majoribus quatuor, vid. Consule, Prætore, Dictatore, Interrege; uno autem minore Tribuno plebis: nec nisi Comitiis vel tributis vel curiatis, vel Centuriatis, quorum erat maxima authoritas, licet esset omnium æqualis potestas, leges ferebantur. Legem autem laturus Magistratus scribebat eam domi & cum peritis consulebat, ne quid contrà populi rem aut voluntatê sanciret: ne fortè pugnantia capita simul ferret: neve quid, quod vetus aliqua lex sanxisset, si ferretur, inane infirmumq; juberet esse: ne curationem, potestatem commodumve aliquod

aliquod ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: ne pluribus de rebus, quæ non esse ejusdem generis viderentur, una rogatione ferretur: tandem ne quid contra jus fasq; rogaretur. (Est autem rogare legem, interrogare, consulere populum petereq; ut ratum habeat, quod proponitur: rogationis hæc erat formula, *Velitis, jubeatis hæc fieri* &c. unde Lex ipsa rogatio dicitur) Sic scripta lex ad senatum referebatur, ut tanto plus ponderis haberet, quanquam sœpè à trib. plebis contra senatus auctoritatem leges rogarentur. Deinde promulgabatur lex, h, e, in publico ponebatur; ut inspiceret, qui vellet, rogandam legem, inspectam expenderet, non solum ut intercedi posset antequam rogaretur, verum etiam, ut populus, penes quem erat summa potestas, sese ita præpararet ad legem vel approbandam vel improbandam & corrigendam. Spatium hujus promulgationis erat trinundinum seu dies XXVII. Cum enim nundinarum causa ex agris in urbem cives convenirent, per tres nundinas leges, ut à rustica plebe ter legi cognosciq; possent patere Romani voluerunt. Post tertias nundinas lex palam recitabatur, suadebatur vel dissuadebatur, etiam privatis concessa potestate concionandi, in foro quidem, de Rostris, in campo Martio vel alibi de suggestu. Post ferebantur suffragia ordine & loco, quem tribui vel centuriæ sors assignabat: inde dirimebantur suffragia, hoc est, dinumeratis suffragiis in utramq; sententiam & eorum numero punctis notato, ejus tribus aut centuriæ voluntas cognoscebatur, eaq; à præcone renunciabatur; atq; eâdem in reliquis tribubus aut centuriis ratione servata, ex majore tribuum numero vel antiquabatur vel sciscebatur lex. Porro scitam legem atq; acceptam populus jurejurando confirmabat. Postremo lex æneis incidebatur tabulis: quin & in columnis perscriptam testatur Cicero pro Balbo. Plura qui volet de loco in quo ferebantur & reponebantur leges, de tempore quo ferebantur & hora, adeat P. Manutium lib. de Leg. Romanis.

§. 7. Hic repetendum, quod supra tangebamus nimirum ad rationem atq; essentiam legis præcisè non requiri descriptionem legis vel in membrana vel in ære. Diximus non obligare legem, nisi innotescat menti aliquo signo externo; quod vel in aures dirigitur, vel in oculos. Oculis scriptura inservit, auribus institutio

Anad. ll. essentiam requiratur

scriptura. tutio vocalis, quæ non minus firmiter, imo potentius rem imprimit menti, quam scriptio ulla. Quomodo Lycurgus vetuit leges suas scripto servari, ut melius animo servarentur. Nam si scriptura ad essentiam legis pertinet, quid fiet vetustissimis mortalium omnium literarum penitus rudibus? De quibus audiamus Josephum contra Appionem. *Legislatorem nostrum*, de Mose loquitur, *dico omnibus, quotquot usquam commemorantur, legislatoribus vetustate antecellere. Lycurgus enim, & Solon & Locrorum Zaleucus, deniq; omnes, qui apud Græcos sunt in admiratione, nuper admodum, si cum illo conferantur, fuisse deprehenduntur: quippe cum ne nomen quidem ipsum legis (νόμȣ) quondam apud Græcos notum fuerit, vel Homero teste, qui in suo carmine nunquam eo usus est. neq; enim erat ejus tempore lex, sed indefinitis sententiis regumq; imperatis plebs regebatur. unde & diu moribus non scriptis usi fuere: multa eorum è re nata subinde mutare soliti.* Quid fiet omnibus barbaris apud quos itidem nullus scribendi usus? Quales nostri erant majores, quos inclusas cantiunculis leges suas canere in vicis jussisse Tuisconem illum Germanorum Regem atq; parentem memorat Aventinus: sed ex supposititio Beroso. Quin Tacitus quoq; carmina antiqua *unum* apud Germanos *memoriæ genus* fuisse confirmat. Primus ferè Carolus Magnus barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit & memoriæ mandavit, ut testatur Eginhartus in Vita Carol. M. Quæ hactenus à nobis super scriptura legum disputata sunt concludemus Aristotelis testimonio, quod legitur in præclarissimo ejus de recta juventutis & legibus assonanti educatione discursu: γεγραμμένων δὲ, inquit de legibus, ἢ ἀγράφων, ȣ̓δὲν ἄν δοξειε διαφέρειν. *Utrum scriptæ sint, an non scriptæ, nihil referre videtur.*

lib. 2.

de mor. Germ.

10 Eth. cap. 10.

Promulgationi respondet Acceptatio.

§. 8. Promulgationi atq; publicationi legum respondet Acceptatio, quä in usum leges deduci incipiunt. Hæc fieri vel consensu populi eoq; aut expresso aut tacito, quatenus major Reip. pars (nam paucorum fortè reclamantium haberi ratio nequit) legem probat; vel ipsa praxi potest, cum facto ipso populus voluntatem suam legi, quam promulgat Majestas, accommodat. Quod si quid iniquum, aut egregio publico è diametro atq; evidenter (nam in rebus dubiis præstat audire dicto Principis) repugnans in lege promul-

mulgatâ contineatur, seq; opponat populus valida & prægnanti ductus ratione, promulgatio facta pro non facta, adeoq; lex robore & ad obligandum efficacia destituta habenda est. Leges quidem instituuntur, cum promulgantur: sed firmantur, cum moribus utentium approbantur. Multo autem futura est promtior executio legis & observanti a subditorum, si, quod jubet vetatq; Majestas, facto & opere ipsa repræsentet. M. Licinius Stolo cum legem sanxisset, ne quis amplius quam quingenta agri jugera possideret, ipse mille comparavit, dissimulandiq; criminis gratia dimidiam partem filio emancipavit: quam ob causam à M. Popilio Lenate accusatus, primus lege sua cecidit ac docuit, nihil præcipi debere, nisi quod quisq; prius sibi imperârit. *Quid* enim, ait Fab. Max, *attinet leges ferri, quibus per eosdem, qui tulissent, fraus fieret?* Sed apud Romanos minus periculi fuit, quod Magistratus summa potestate carerent: principes vero, qui summam obtinent potestatem, si ad instar Cambysis, de quo Herodotus, suas ipsi Leges irrideant atq; adspernentur, quomodo subditorum observantiam sperare audebunt? Quare *digna vox Majestate Imperantis est, legibus alligatum se profiteri.* Pulcherrimè Claudianus: *Liv. lib. 7.* *lib. 3.*

In commune jubes si quid, conserve tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentum.

§. 9. Lex à populo accepta obligationem inducit moralem. Atq; hic Effectus Legi maximè propriè convenit: nam consilia quoq; cohortationes, dehortationes dirigunt & illuminant, qui alter est effectus legis: lex sola præterquam quod norma sit actionum tum exteriorum tum interiorum, necessitatem quoq; imponit parendi cum interminatione pœnæ, si quis contraveniat. Nec externæ tantum pœnæ subjacet, qui contra leges peccat, nisi insuperabilis ignorantia culpam minuat tollatve; verum etiam internum habet carnificem, sub quo sævius vapulat, quam si flagris ad necem concidatur. Quod ut rectius intelligatur, distinguimus inter obligationem in conscientia immediatam & mediatam. Lex DEI immedi- Hinc nascitur obligatio Pœnalis, conscientiosa.

mediatè hominis conscientiam obligat, atq; nos ad sui observantiam adstringit, ut internum mentis judicium nobis dictet, si DEI mandatum transgrediamur, pessimè nos facturos, ipsumq; DEUM graviter offensum iri. Humanæ vero leges positivæ (de quibus præsens disputatio agit) non obligant immediatè, eò quod non sint immutabilis quædam norma rerum agendarum, sed ab homine profecta, qui ut rem natura indifferentem ad bonum commune præcipit atq; vetat, ità mutare hanc voluntatem potest: obligant tamen mediatè & consequenter, quia proficiscuntur à Majestate, quæ DEI in terris vicem gerit, ut, qui Principi repugnat, ipsi DEO repugnare dicatur ab Apostolo Paulo, qui *necesse* ait *esse subijci non tantum propter iram ſ pœnam, sed etiam propter conscientiam.* Quod si lex civilis impia sit, vel turpis, obligare conscientiam hominis nequit: imò ne Lex quidem est, nec à Majestate, quæ semper DEI & Naturæ Legibus subesse intelligitur, vid Diss. nost. VI. §. 11. seqq. condi potest. *DEO enim magis est obediendum, quàm hominibus*, ut habetur in Actis Apostolorum. Rectè Tertullianus. *Colimus Imperatorem sic quomodo & nobis licet & ipsi expedit, ut hominem à DEO secundum, & quicquid est à DEO consecutum, solo DEO minorem.*

Rom. 13. 5.

cap. 5. 29. ad Scap.

Quomodo obligatio tollatur.

§. 10. Quanquam vero *in publicis actis*, Cicerone teste, *nihil sit lege gravius*, non tanta tamen est vis legum humanarum, ut simul perpetua sit. Etenim ut consensu populi lex robur acquisivit, ita tacito ejusdem consensu leges in desuetudinem abeunt, sive cessante causa legislatæ (ut, si tempore obsidionis lex sciscereretur de moneta ex viliori metallo cudenda, hæc tantisper, dum obsidio non solvitur, valitura esset) sive moribus hominum in contrarium sensim prolabentium, (sic, si lex de Cælibatu Clericorum lata fuisset abroganda omnino esset, cum quia continentiæ donum rarissimum, tum quia cessat finis, propter quem lata lex fuisset: nec negativè tantum cessat, sed etiam contrariè h, e, non modo ad finem obtinendum nihil in plerisq; clericis confert, sed præterea illis plurimum obest, cum multo sit ineptior ad sacra tractanda, qui uritur, uritur, quam qui nubit) sive alia insigni Reip. utilitate ſità exigente, quomodo leges de arbitrio vitæ & necis patris in liberos, mariti in uxorē, domini in servū abolitæ sunt & extinctæ. Fit etiam, ut expressâ

Philip. 2.

lege

lege alia prior nominatim abrogetur: & generalius loquendo, ubi duæ sunt leges contrariæ, semper postrema abrogat priorem, nova antiquam. Sæpè non tota lex tollitur, sed pars, quod Latini vocant derogare. In hac materia aliæ quoq; voces sunt, subrogare, exrogare &c. de quibus, ut obiter hoc addamus, ita habendum. Rogari Latinis lex dicitur, quæ rogante seu interrogante magistratu fertur. Abrogatur legi, cum interrogatis sententiis ea prorsus tollitur. derogatur legi, cum pars tollitur: subrogatur, cum aliquid adijcitur priori legi. Exrogare est ex lege veteri aliquid eximere per novam legem: obrogare, legis prioris infirmandæ causa aliam ferre. Unum addimus, non tantum legem ipsam abrogari vel derogari, sed manente quoq; lege executionem & actum inhiberi ad certum tempus in casu singulari posse: cujus rei exemplum adduximus in Dissert. præliminari. De quo paulò post.

§. 9. An leges sint mutandæ.

§. 11. Quæri enim solet, An legum mutatio sit instituenda. Non desunt argumenta, quibus suaderi legum novatio videatur. Scilicet initia rerum valdè solent esse tenuia, & homo omnium rerum eventus pro prudentia illa sua exiguis sanè limitibus circumscripta pervidere nequit: hinc fit, ut δεύτεραι φρονтίδες σοφώτεραι, & quæ ab initio minus rectè constituta fuerunt, progressu temporis deposcant emendationem. Atq; hoc in omnibus scientiis & artibus usu venit, quæ ab ortu satis impolitæ ac humiles ad summum tandem venêre cacumen. Adde plurimarum Rerumpubl. exempla, quæ crebrò leges mutârunt, barbariem præsertim & ineptias redolentia. Non ergo ad leges priscas, stultas ut plurimum & incircumspectas per vim exigenda præsens Resp. videtur, quando hoc tempus alios mores postulat, & magis curatam atq; accommodam τοῖς παροῦσι legum institutionem. Quod eò majus robur habere deprehenditur, si consideremus fatales Rerump. periodos, quibus non tàm evertuntur quàm convertuntur Resp. atq; ex una forma in aliam abeunt. Accedit authoritas Machiavelli, qui novos Principatus non alia ratione constabiliri posse arbitratur, quàm si cuncta, sacra, profana noventur, immutentur. *Sicuti, qui Remp. immutat, novus est homo, ita*, inquit, *innovare omnia in Rep. debet.* Ac quemadmodum pes qui putredine consumtus est, rectius curari

lib. 1. disc. cap. 26.

nequit, quam si uno ictu recidatur: Ita vetera Reip. statuta subito auferenda, atq; uno veluti tumultu omnia invertenda.

Negatur.

§. 12. Contrarium Aristoteles cum plurimis aliis locis, tum inprimis, ubi propositam ab Hippodamo Milesio Reip. Idæam examinat, firmo atq; insolubile argumento docet. Ipsum adducemus: *Utilitas quidem, quæ ad mutandas leges adducit, parva est: assuefacere autem civeis legibus facilè mutandis, malum: proculdubio nonnulla peccata & latorum legis & magistratuum ferenda, atq; intacta relinquenda sunt. Non enim tantò erit ei mutâsse leges emolumento, quantò assuevisse magistratibus non parere detrimento. Præterea fallax & captiosum est illud ab artibus & scientiis exemplum. Non enim simile est artem atq; legem commutare. Lex enim nullam vim habet ad parendum impellentem, nisi eam quam à more accepit. Hic autem non nisi ex temporis longinquitate, annorumq; multitudine nascitur. Itaq; à legibus receptis & usitatis ad alias & novas leges facilè migrare, vim legis infirmare ac debilitare est.* Alibi τὸ παρανομεῖν inter ea, quæ Rebuspubl. maximè pestifera sunt, primo loco ponit: quæ verba, cum partem judicij Politici non minimam attingant, hic adjungenda duximus. *In Reip. administrandæ formis benè temperatis videndum est, si quid aliud, ne quid cives contrà leges faciant: tùm maximè cavendum, ne id, quod parvum est, negligatur, neve in re parva peccetur. Occultè enim serpit ac se insinuat legum violandarum atq; institutorum civitatis negligendorum consuetudo: quemadmodum facultates rei familiaris parvi sumtus exhauriunt, si sæpè fiant. Non apparet autem commutatio, quia non profunduntur universa: decipitur enim ab iis rebus mens, tanquam falso quodam syllogismo: cujusmodi est Sophistica ratio, si unumquodq; parvum est, ergo & omnia. hoc autem est, ut sit verum, est ut non sit. Totum enim & omnia non sunt parva, sed ex parvis compouuntur. Huic igitur principio statim opponenda custodia & cautio est.* Similia habet Plato in Politico, Legibus & alibi: à cujus verbis abstinemus, ne homines de schola videamur solos advocare. Prodeant viri rerum usu valentissimi, Acibiades, Augustus. Illius verba Thucyd. memorat. *Eos hominum tutissimè agere, qui præsentibus moribus legibusq;, etiamsi deteriores sint, minimum variantes Remp. administrant.* Hujus apud Dionem exstant verba ad Senatum. *Positas semel leges constanter ser-*

lib. 2. Pol. cap. 8.

lib. 5. Pol. cap. 8.

lib. 6.

lib. 52.

servate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in suo statu eadem manent etsi deteriora sint, tamen utiliora sunt reip. hu, quæ per innovationem vel meliora inducuntur. Quorum virorum judicium sive Novatori sive Veteratori ab Hetruria opponimus.

§. 13. Dices: nunquamne ergo leges mutandæ, præsertim illæ, quæ minus cautè positæ (nam, si quæ turpitudinem habent, eas leges esse negavimus) aut statui præsentis Reip. minus accommodæ videntur? Neque enim Resp. Legibus, sed Leges Rebusp. sunt accommodandæ. Respondeo, si urgentissima sit necessitas, aut evidentissima utilitas, leges mutari posse, sed leniter & paulatim. Nam temerè leges mutare, nihil est aliud, quam vim legum & potestatem enervare, nec tantùm contemtui leges exponere sed arma quoq; turbonibus porrigere, queis aliis legibus exitium afferant ac Reip. ruinam. Quod si mutandæ videntur, primum est, ut ne per vim id fiat, sed leni nisu, ut comiter atq; humaniter cives commonefiant, doceanturq; qua parte sit hactenus erratum, & quàm minimo sonitu Resp. emendetur. Deinde id curandum est, ut lento gradu atq; paulatim procedas, contentus, quod voluisti, in summa Reip. obtinuisse. Id si quis alius, quàm prudentissimè observavit Augustus, qui, cum *cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub imperium acciperet*, ubi *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexisset insurgere paulatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere nullo adversante*, imò paucis advertentibus ejus artes. Non enim, ut Dio ait, *omnia statim, uti decretum erat, exsecutus est: veritus, ne parum succederet, si simul homines transferre & invertere vellet: sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus.* Ad eundem modum Tiberius initio Principatus *cuncta per consules incipiebat tanquam vetere Republ. & ambiguus imperandi, ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi Tribunitiæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptâ.* Tantorum virorum æmuli Medicæi Florentinis, quos sub jugum mittere decreverant, veterem Reip. formam, magistratibus titulos suos relinquendo, paulatim caput rerum ad se pertraxerunt. Quamobrem utilissimum ei, qui mutare legem cupit, & consultissimum est futurum, ut, si fieri potest, non omnes legis articulos aboleat, sed adjciat, detrahat, donec sua sponte lex exspiret.

Quomodo leges sint mutandæ?

Tacit. lib. 1. Annal.

lib. 52.

De Dispensatione.

§. 14. Sed ut eò, unde digressi sumus, revertamur, quemadmodum Legem condendi potestas est penes Majestatem, h, e, Principem, Optimates, Populum: Ita penes eandem Majestatem leges abrogandi potestas esse intelligitur, sive abrogatio fiat expresse & directè sive tacitè & indirectè, per consuetudinem, quæ velut per obliquum legem abrogat, derogat ve, ejusq; vim inhibet & effectum, interveniente legislatoris patientia non contradicentis, quæ pro consensu habetur. Quod si legem à se latam abrogare vel derogare Majestas potest, multò magis eandem in certo casu relaxare poterit: quod vocant dispensare. Est autem dispensatio nihil aliud, quàm exemtio alicujus personæ ab obligatione legis in certo casu manentibus iisdem circumstantiis, quibus lex aliàs revera viget, aliosq; cives omnes obligat. Quæ dispensatio ut nisi à Majestate proficisci nequit, ità rationabili quadam causa & probabili sufful-ta sit necesse est: quæ tum demum maxime apparet, si, dum dispensando privati commodis consulitur, ejusq; sublevatur necessitas, egregij publici ratio inprimis habeatur, cum in Remp. peccet, qui nulla sufficiente causa unius conditionem, quàm cæterorum omnium reddit meliorem. Atq; hæc dispensatio in legibus humanis positivis locum habet: an in divinis, an in Lege Naturæ, quam DEUS omnium menti inscripsit, dispensatio valeat, dubitatur. Et hominem quidem non posse de Lege Naturæ dispensare, manifestum est, eò quod Lege naturæ nemo homo superior sit. Sed nec DEUS, utpote qui à semetipso & justitia sua deflectere nequit, manente eodem objecto & iisdem circumstantiis contra Legem naturæ dispensare vult aut potest. Ità præceptum de non occidendo has habet circumstantias: Non occides privatâ authoritate & extra casum necessariæ defensionis. His circumstantiis manentibus homicidium detestandum, nec illis circumstantiis gratia obligationis ulli mortalium fieri, ne per absolutam quidem DEI potentiam, potest Quando autem Abraham DEUS jussit interficere filium, priorem circumstantiam sustulit, nec, si imperata in actum deduxisset Abraham, homicidium admisisse dicendus fuisset.

Privilegium.

§. 15. Hinc manifestum est, quid sit dispensare, nimirum personam in uno aliquo casu ab obligatione liberare. Quod si durabilis hæc exemtio est, privilegium vocatur. Privilegii vox latius porrigitur,

rigitur, versaturq; non tantũ in utilitate personæ, quæ eximitur, verum etiam in pœna, quæ privatis irrogatur præter jus commune & ordinarium. Cicero enim legem Clodij: *Velitis, jubeatis ut M. Tullius pro dom. in civitate ne sit*, privilegium vocat. *Vetant*, inquit, *leges sacratæ* (quæ solæ abrogari non poterant) *vetant duodecim tabulæ leges privatis hominibus irrogari. Id enim est privilegium.* At privilegium irrogare non poterat nisi populus Universus (penes quem quod sæpe diximus, summa erat potestas) idq; centuriatis comitiis, ut habetur in duodecim tabulis: *Ut neq; privilegium irrogari liceret, neq; de capite, nisi Centuriatis comitiis rogari.* Quantum ergo vim vocis attinet Privilegium lex est de privo homine lata. Etsi æquivocè lex dicatur, cum legum proprie loquendo sententia sit generalis, ut apparet ex Gellio quoq;, cujus verba adscribemus. *Lex*, inquit, *est generale jussum populi aut plebis, rogante magistratu. Ea definitio si probè facta est, neq; de imperio Cn. Pompeij, neq; de reditu Ciceronis, neq; de cæde P. Clodij quæstio, neq; alia id genus populi plebive jussa, neq; de universis civibus, sed de singulis concepta. Quocirca privilegia potius vocari debent, quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus.* Hodiè ferè Privilegium pro prærogativa & speciali indulto capitur, cujus vi privatus à lege vel perpetuo vel ad certum tempus eximitur: ad quam rem multò urgentior causa requiritur, quàm ad faciendam dispensationem, ut nobis tacentibus per se constat. *pro sua.* *lib. 10. 20.*

§ 16. Huc pertinet Interpretatio Legis, non quod obligationem tollat, veluti faciunt abrogatio, derogatio, dispensatio, sed quod in casu singulari hoc vel illo Legem non obligare doceat. Quæ interpretatio, quanquam ipsa quoq; à Legislatore dependeat, utpote qui optimus est suæ mentis interpres, & Interpretatione ut vocant authenticâ, cui refragari nefas, pollet, non tamen opus est, ut ad Majestatem semper recurratur, præsertim, ubi de mente Legislatoris aliunde potest constare, vid. si inspiciatur ratio, quâ munitur lex, ipsa lege latior sæpe aut angustior; item circumstantiæ, causa impulsiva, finalis, leges aliæ quoq; priores vel posteriores expendantur: quia plerumq; hæc ipsa limites designant, intra quos coerceri sana & legislatoris intentioni conveniens interpretatio debeat. Clarius dicam. Cum sint leges universaliter conceptæ, (*aliter enim per ipsarum naturam fieri non posset*, ut docet Aristoteles) singu- Interpretatio legum. *5. Eth. cap. 10.*

singularium vero casuũ mira sit varietas, ubi deficiunt leges, benignâ quadam correctione juvandæ atq; supplendæ sunt, ne vel rigori verborum inhæreamus, vel dimisso syllabarum sono mentem legis callidè & malitiosè, quod faciunt Sycophantæ, pervertamus. Hoc ut obtineatur, respiciendum ad ea est, quæ modo memorabamus adminicula dextræ interpretationis, potissimum vero ad occasionem legis, & legislatoris intentionem, de qua ubi constiterit, in proclivi erit judicare, an stricto verborum sensui & rigori inhærendum, an moderamine utendum sit atq; correctione, quam vocant ἐπιείκειαν seu Æquitatem. Cæterum non est unius generis ἐπανόρθωμα νόμε δικάιε s. Correctio juris. Nam verba vel plus quam voluit Legislator, exprimere & repræsentare videntur, vel minus. Si minus, adeoq; si deficiunt verba, extendi debent; si excedunt, restringi atq; ad mentem s. intentionem Legislatoris aptari. Priori modo Leges, quæ de uno loquuntur casu, ad similes optimâ ratione extenduntur. Sic in Levitico prohibetur connubium cum patrui uxore, & amitæ viro: quæ lex rectè per analogiam ad avunculi uxorem, & materteræ virum, extenditur. Sed de extensiva Legis Correctione nunc non tàm soliciti sumus, quam de restrictiva, cujus unum atq; alterum exemplum apponemus. Hugo Grotius in res proprias factas jus communiter hominibus competere hoc modo docet. *Spectandum*, inquit, *est, quæ mens eorum fuerit, qui primi dominia singularia introduxerunt: quæ credenda est talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit. Nam si scriptæ leges in eum sensum trahendæ sunt,* QUATENUS FIERI POTEST, *multò magis mores, qui scriptorum vinculis non tenentur. Hinc primo sequitur in gravissima necessitate revivisere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent; quia in omnibus legibus humanis ac proinde & in lege dominij summa illa necessitas videtur excepta. Hinc illud ut in navigatione, si quando defecerint cibaria, quod quisq; habet, in commune conferri debeat: sic & defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipare possum. sit in summa necessitate, quod ad vitam necessarium est, aliunde sumere possum, ut furtum non committam &c. Nam si primi divisores interrogati fuissent, quid de eâ re sentirent, respondissent quod diximus. Necessitas, inquit pater Seneca, magnum humanæ imbecillitatis patrocinium omnem legem*

cap. 18. v. 14. 20.

lib. 2. de J. b. & p. c. 2. n. 6.

(huma-

(*humanam scilicet, aut ad modum humanæ factam*) *frangit.* Ponimus alium casum. Sit lex, ne cuiquam noctu portæ civitatis aperiantur. Contingit Epaminondam aut similem civem, in quem salus Reip. universa recumbat, ante portam esse, nisi protinus intromittatur, ab hostibus intercipiendum. In tali casu *periculoso & evidente* civis quicunque portam aperire sine violatione Legis potest. Positivæ enim leges semper subijciuntur Bono publico, item Legi divinæ, & Naturæ: quod si simul & semel eodem loco & tempore observari nequeat positiva lex & lex Naturæ, DEI, vel Bonum publicum, tum Divina, Naturæ, Bonum publicum omnino Legi positivæ præferenda sunt, nec humana lex obligare tali casu censenda est.

§. 17. Nunc ad ea progredimur, quæ in legibus continentur. Legum materia in genere insinuatur ultimis verbis, quæ in definitione legis ponuntur. Nam si ad bonum commune directæ esse debent, bonas eas esse oportet, h, e, honestas & utiles: nam quæ tales non sunt, ne legum quidem nomine dignandæ sunt. Honestæ, inquam esse debent, & ad virtutem administræ: *Unicuiq; enim virtuti convenienter vivere lex jubet, & unumquodq; vitium sequi vetat*, ut præclarè docet Aristoteles. Idem, quo loco Spartanorum Legislatorem taxat, quod Leges suas tantummodo ad res belli retulerit, non vero ad tempora pacis, leges Spartanas nec utiles nec veras (quia non essent justæ, sed privatorum magis commodorum, quam publicæ utilitatis rationem haberent; præterea servitute indignos cogerent servire) fuisse dicit, adjecta memorabili sententia: *debet*, inquit, *Legislator, quæ sint eadem & privatim & publicè optima in animis hominum ingenerare atq; inserere.* Quare Virtutem, fortitudinem, temperantiam & inprimis justitiam mensurare leges debent, & certis limitibus constringere, ne in extrema abeatur. Neq; tamen ea est ratio legum simpliciter, quæ est Virtutum. Juris namq; & justitiæ principia universalissima atq; Axiomata, Honestè vivendum, Nemo lædendus, suum cuiq; tribuendum, evidenter & proximè ex ipso Naturæ Jure deducuntur, suntq; immutabilia & inconcussa: Leges non fluunt immediatè & evidenter ex Jure Naturæ, sed prout bonum publicum exigit, ab eo, qui potestatem habet, constituuntur, ipsiq; Naturæ juri aliquid

Materia Legum.

5. Eth. cap. 5.

lib. 7. polit. cap. 14.

quid addunt variabile, ita exigente circumstantia temporum, personarum, rerum. Sic puniri adulteria, furta Juris Naturæ est: quo genere pœnæ, capitali, an pecuniaria affici debeant, Lex positiva aliter in hac, aliter in illa Rep. prout cujusq; exigit necessitas, ordinat. Undè apparet, leges vel simpliciter honestas atq; virtuti evidenter conformes, vel huic illive Reip. attemperatas, adeoq; τῶν ἐν μέσῳ κειμένων s. de rebus indifferentibus, mediis, hoc est, nec honestis per se nec turpibus esse, quæ jus Naturæ nec jubet, nec interdicit. Qualis olim in Saxonum gente lex vigebat, illi scilicet populo accommoda, quam verbis Adami Bremensis edisseremus. *Quatuor*, inquit, *differentiis gens illa* (Saxonum) *consistit; nobilium, liberorum, libertorum & servorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ sortis terminos transeat, sed nobilis nobilem ducat uxorem & liber liberam, libertus conjugetur libertæ, servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat.* Hæ & similes leges duriusculæ videntur, legum tamen vim obtinent, atq; ut consensu proculdubio sunt, cum ferrentur, firmatæ, ita obedientiam & observantiam omnium civium deposcunt. Non enim omnis populus omnes fert leges: nec alienum est ab hoc loco, quod quidam legislator interrogatus, εἰ τὰς καλλίστας ἔθετο τοῖς πολίταις νόμους; respondit: εἰ τὰς καθάπαξ καλλίστας, ἀλλ' ὧν ἐδύναντο καλλίστας.

lib. 1. cap. 5. Conf. disp. 1. § 13.

De Permissione.

§. 18. Dices: multas olim leges de rebus sua naturâ turpibus latas, legum vim nihilominus habuisse. Jam ante diximus, Leges, quæ turpitudinem manifestam jubent, vel honestatem vetant, verarum legum numero prorsum eximendas esse, nec ullo modo obligare ad obediendum posse, eò quod æternæ legis radio menti nostræ à Creatore, ad cujus nutum nos componere tenemur, impresso, recedant. Consule Platonis dialogum, qui inscribitur Minos sive de Lege. Amplius instabis: Quid ergo fiet de Lege Mosis, qua concedebatur Judæis libellus repudij; quæ res manifestam continet turpitudinem & propterea à Christo prohibetur. Respondeo τὴν σκληροκαρδίαν Judæorum causam fuisse, adeoq; ipsam necessitatem extorsisse Mosi hoc institutum, ne videlicet duriori tractationi

tioni & veneficiis occasio ministraretur. Nec lex dicenda est, sed permissio, indultum vel tolerantia, quæ pro objecto rem simpliciter malam habet: neq; si quis, cui morosa vel difficilis contigerat uxor, nollet hujus instituti beneficio uti, quidquam contra ejusdem verba aut sententiam admissurus fuisset, quin id potius fecisset, quod Legislatori erat gratum acceptumq. Nec sequitur, licuit marito vel impunè potuit maritus uxorem quacunq; de causa dimittere, Ergo legitimè id facere potuit & sine vulnere conscientiæ: non, inquam, sequitur: facit enim, qui levi de causa dimittit uxorem, contra primævam DEI institutionem & charitatem. Nimirum multa, quæ per se non probantur legum auctoribus, permittuntur tamen, ne majoribus malis detur occasio, aut etiam ne vilescant sine moribus leges. Quam rem obsignabimus prudentissima Tiberii Imp. moderatione, ad quem consulti ab ædilibus patres super luxu coercendo totum negotium distulerant. Tiberius (verba sunt Taciti) sœpè apud se pensitato, an coerceri tàm profusæ cupidines possent: num coercitio plus damni in Rempubl. ferret: quàm indecorum attrectare quod non obtineretur, vel retentum ignominiam & infamiam virorum illustriam posceret: postremo literas ad senatum composuit quarum sententia in hunc modum fuit. *Cæterùm forsan in rebus, P. C. magis expediat me cordi interrogari, & dicere quid è re publica censeam, in hac relatione, subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora, ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos, ac velut deprehenderem. quod si mecum antè viri strenui ædiles consilium habuissent; nescio an suasurus fuerim omittere potius prævalida & adulta vitia, quàm hoc adsequi, ut palam fierent, quibus flagitiis impares essemus.* Post pauca: *si quis legem sanciat, pœnas indicat, ijdem illi, qui modum possunt, civitatem verti, splendidissimo deniq; exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, nisi per dura & aspera coerceas, corruptus simul & corruptor, æger & flagrans animus, haut levioribus remediis restinguendus est, quàm libidinibus ardescit &c. Nos pudor; pauperes necessitas; divites satias in melius mutet.* Summa, quod olim de Ecclesia Magnus Theologus judicavit, Ecclesiæ

Vid. disp. I. §. 22

lib. 3. Annal.

vulnera leniter tractanda, si asperius id fiat, exasperari magis illa & exulcerari, quàm curari; id in Rep. quoq; valeat. Unum verbum addimus de consuetudine, quæ legi æquivalere censetur. *Hæc*, ut habet H. Grotius, *in populo subdito introduci potest ex eo, quod ab imperium habente toleratur: tempus vero, quo illa consuetudo effectum juris accipit, non est definitum, sed arbitrarium, quantum satis est, ut concurrat ad significandum consensum.* Quod de consuetudine intellectum volumus, quæ ratione & æquitate nititur: consuetudo Poloniæ, (de similibus idem sentiendum) qua nobilibus hominem occidentibus, certâ pecuniâ cedaveri impositâ, redimere pœnam licuit, merito ab Rege Stephano sublata est.

lib. 2. de Jur. b. & p. c. 4. n. 5.

Finis Legum

§. 19. Reliquus est Legum finis, Bonum sc. commune. Præire cum hominibus ageretur, si naturam ducem & rationem sequerentur: verum, quia, quod Naturæ juri consentaneum est, multi vel propter mentis hebetudinem non vident, vel propter cordis malitiam dissimulant, ne peccantibus ullus excusationis color pateret, scripta promulgataq; lex est, velut præco quidam, qui civibus justitiam enunciet, quò mali dignam factis pœnam luant, cæteri vero deterriti exemplo fiant meliores, deniq; boni sublatis improbis aut refrænatis tutiorem & tranquilliorem vitam ducant. Insignis est Platonis locus, qui legum finem à nobis adumbratum, evidenter exprimit, quê iccirco integrũ apponemus. *Necesse est*, inquit, *leges hominibus ponere, ut secundũ leges vivant. Nam si absq; hũ vivetent, nihilo à ferũ atrocũsimis discreparent. Cujus rei causa est, quia nullius hominũ ingenium ità natura institutum est, ut, quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat: & si cognovit, ut optimum id quod novit semper agere posit ac velit. Nam primum difficile est nosse, quod civili veræq; arti non proprium sed publicum necessario est curandum (publicum quippe civitates connectit atq; conjungit, proprium dũsipat) quodve tam publicè quam privatim præstat, commune quàm proprium benè disponere. Deinde licet aliquũ forsan hæc ita se habere sufficienter arte cognoscat, tamen si tanta cum licentia civitatis imperium teneat, ut nulli rationum relationi obnoxius sit, nunquam in ea sententia per totam vitam permanere poterit, ut publicum in civitate tanquam præcipuum bonum augeat: privatum vero post publicum ponat. Sed ad utilitatem propriam privatamq; com-*

de LL. lib. 9.

commoditatem natũra mortalis ipsum semper impellet: quæ absq; ratione tàm dolorem fugit, quam voluptatem prosequitur: atq; hæc utraq; justiori melioriq; præponet: & tenebris obruta malis omnibus tandem seipsam omnino civitatemq; replebit &c. Finem legis illi evertere dicendi sunt, qui omnibus modis id agunt, ne debita legibus observantia præstetur, ut queis dura servitus & infamiæ proxima videtur, LEGIBUS PARERE. Respondeat illis Plato, *voluntariam secundum legem servitutem esse, quæ infamiam nullam subit.* Cæterum de observantia legum & dictum est disputationibus superioribus, & infra quoq; dicendi locus erit. *in Conv. disp V. §. 4.*

§. 20. Quod si, ut audivimus, tanta vis legum in coercendis improbis & tuendis bonis est, consequens est, ut claris concipi verbis debeant, ne scelestis hominibus & fraudulentis perfugium offerant aut mantellum, quo extergant animi sordes. Amplius hinc consequitur, leges, quantum potest, paucas esse debere. Ægrotantis Reip. Aristoteles esse ait signum multitudinem legum. Quò pertinet Arcesilai Apophthegma: *Quemádmodum multos oportet invasisse in urbem eam morbos, in qua multi sunt Medici, multa pharmacopolia: ita Remp. quoq; eam morbidam esse necesse est, in qua multis opus est legibus.* Similes Taciti sunt querelæ: *Ut antehac flagitiis, ita tunc legibus Romæ laborabatur.* Et rursus: *Corruptissima Rep. plurimæ leges.* Unde & Charillus Rex interroganti cuidam, quare tam paucas leges Lycurgus statuisset, respondit: τὰς ὀλίγοις χρωμένας νόμοις ἐ δεῖσθαι νόμων, h, e, *Illis non opus esse multis legibus, qui paucis benè utantur.* Facere non possumus, quin Eximij Philologi pariter ac JCti, acerrimo in his judicio Viri, J. Lipsij verba allegemus, duriora nonnihil & fucos irritatura, sed justissimi doloris plena. Ita vero habent. *Plato verissime: ubi plurimæ leges, ibi & lites, itemq; mores improbi. DEUS bone! quàm rem tetigit! & usus ubiq; gentium aut temporum, hoc affirmabit.* Maneamus in Romana Rep. *paucas ea initio habuit: paulo plures decemviri addiderunt: & ita ad Principes ferè mansit. Tunc sanè plures: & à Justiniano plurimæ, quibus utimur; Lothario Imperatore,* (hic omnino legendum censemus Commentarium Historicum de Origine Juris Germanici, Viri Celeberrimi DD. Hermanni Conringij fautoris honorandi) *cum diu siluissent, eas reducente. Receptæ igitur sunt: sed quo*

Leges claræ & paucæ sint

3 Ann. lib. 2. Mor. & Ex. Pol. cap. 10. Conf. Cen III. Misc. Epist 78. cap. 33. Adde

cap. 33. & præf. ejusdem in Tacitum de mor. Ger.

fructu? Certe ILLO LITIUM, nemo negaverit: quæ ex eo nimium quantum succreverunt. Europam vide, & mentior nisi maxima ejus pars circa istas occupatur. Alij judicant, alij instruunt, alij agunt, &, QUI MISERRIMI SUNT, EAS HABENT. Nam quæ tam clara causa est, quæ non aliquâ lege, lege? imò interpretatione (nam & has admisimus) obscuretur? quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est Causidicina, & peritè captare aut capere laudem habet. &c. Paucæ ergo sint leges, fideliter servatæ. Atqui interveniunt calumniæ. Quid igitur? quo fine judex? quo fine Princeps est? Ille vir bonus & os justitiæ; iste potens, & viva ipsa lex, annon verbo uno decidet? Et da, quod alibi malè: quid magni mali est? primum in re obscura, & in quâ haud valdè interfit, Titius an Sejus vincat. deinde in re parva: in agello, in prædiolo, in pecuniola: habeat, cui judex donat. Absit tantum aperta inquitas: neq; aliter in maxima orbis parte hodiè vivunt. Adde, quæ de Moribus sequuntur. Concludit Lipsius Princeps lites minuat, Princeps & leges minuat. Sub finem capitis: Non interdum judices improbè aut improbi? credo esse: sed in rebus humanis nihil sinceri est; & eligenda, quæ minus noxæ habent. Lipsio adstipulatur Incomparabili Vir doctrina Georg. Calixtus, Præceptor noster honorandus, cum in calce Epitomes Theologiæ Moralis, tum in præfatione super Tractatum de communione sub utraq; Disserit ibi de causis, quæ iram DEI in Christianos provocavit, & percensito generali divinarum pœnarum fonte, vid. contemtu mandatorum divinorum, de forma hodiernorum judiciorum quædam subnectit. Et allegata Apostoli Pauli increpatione ad Corinthios hæc verba subijcit. Quid diceret, si in terras hodie reversus intelligeret omnia Christianorum fora, compita, vicos & angulos litibus perstrepere, iúq; propemodum immortalibus, quarum aliæ hominum ætate, aliæ centuriù annorum vix terminentur? si observaret nec absq; longi temporis dispendio, nec sine grandi sumtu, cui faciendo litigatores ægrè pares sint controversias decidi? si penitus frustrationum argutias, comperendinationum molestias, tergiversationum subterfugia, causificationum commenta intueretur? si videret Christianos non paucos in hisce totos esse, hisce ingenium & ætatem impendere, nullamq; aliam artem factitare. Addit de Canonicis & aliis Ecclesiastico rum bonorum possessoribus; quæ ut verissima sunt, ita in-

1. ad Corinth. 6. 6.

dubiæ

dubiæ censendæ sunt causæ belli civilis, quo justo DEI judicio universa Germania, nisi resipuerimus, est conflagratura.

§. 21. Hactenus, quæ ad definitionem Legis pertinent, expendimus: reliquum est, ut de divisione Legum agamus, sed paucis. Leges vel concernunt statum publicum, vel privatam civium utilitatem, quæ duo, ut ex Platone dictũ est, divellenda non sunt aut separanda. In iis, quæ statum publicum respiciunt, familiam ducunt Leges, quæ circa res sacras versantur, & religionem, sine qua nullus consistere cætus potest. Quid enim humanæ leges aut pœnarum exteriorum comminationes ponderis habiturâ sint, nisi cum numinis metu peccaturorum unico frœno ac repagulo conjungantur? Prima Romulo & Numæ cura fuit religionis. Et Romuli quidem lex *ne quid inaugurato fieret*, tanti videtur Ciceroni, ut Romulum sibi persuadeat auspiciis constitutis jeciſſe fundamenta magnitudinis Romanæ. Præterea Romulus sacris rebus ac ritibus præesse patritios lege jussit, quod divina tractari à plebeijs hominibus neq; pium neq; decorum judicaret: item cavit lege lata, ne in templo nocturnæ vigiliæ haberentur, stabiliendo in sacris castimoniæ decoro: ne fabulosa de diis figmenta spargerentur, unde contemtus deorum manare posset: ne dii peregrini colerentur, quia, ubi diversa Religio, tollitur societas & consuetudo; inde odia & seditiones existunt. Successit Romulo Numa, qui Leges sacras tantò plures arq; potiores condidit, quanto pace melior, quam Romulus fuit. Non silenda nobis lex Numæ est de attentione in sacris, cum ad Virtutis studium Romanos impulsurus, *interesse rebus humanis cœleste numen* doceret. Qui enim persuasus est *dominum esse omnium rerum ac moderatorem DEUM, eaq; quæ geruntur, geri ejus judicio ac Numine, eundemq; optimè de genere hominum mereri, & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem: his, inquam, rebus imbutæ mentes haud sanè abhorrebunt ab utili & vera sententia.* Cumq; fidem Numa maximum esse telum sciret, ex quo plures pace suscipiuntur, quam bello gentes devincuntur, qua soluta omnis societas solvitur, templum Fidei erexit, de quo Tacitus: *Numa religionibus & jure divino populum devinxit, effecitq;, ut fides & jusjurandum civitatem meliùs, quam legum pœnarumq;*

Leges de rebus sacris,

lib. 3. de Nat. Deor.

Liv.

lib. 3. Annal.

rumq; metus regeret. Ad eundem modum Theseus Remp. Atheniensium formaturus principium à religione duxit: εὐσέβειαν πρῶτον ὑποβεβλήθω, κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧς ἐρήκει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας h, e, *Pietas primum substernitor fulcrum & crepido, cui firmiter insistat simulacrum hoc regni.* Cum ergo Ethnicis prima cura fuerit ἡ περὶ τῶν θεῶν ἐπιμέλεια, s. cura rerum sacrarum tanquam fulcrum, quo subtracto aut moto, ipsa Resp. concutiatur, quantò majori vigilantia & solicitudine opus erit Regibus & populis, qui Christo nomen dederunt, ut cultum DEI ad normam divini verbi per ministerium Ecclesiasticũ rectè constituant, constitutum per Ecclesiastica Judicia purum integrumq; conservent, aut collapsũ instaurent, iisq; qui sanæ religioni adversantur, maturè occurrant? Etenim, quin hæc cura ad principes spectet, dubitare nos cum sacræ literæ & exempla veterum Imperatorum (ne de Gentilibus plura dicamus) non patiuntur; adeoq;, qui in tanta literarum & scientiarum luce Principum Christianorum dignitatem & in Ecclesiasticis potestatem operosè vellet contra Episcopum Romanum asserere, is otio abundare ne dicam abuti omnino censendus esset. Est in Ecclesiasticis aliquid spirituale & solis demandatum Sacerdotibus: rursus aliquid est, quo referuntur ad Reip. salutem, quod nemini certe concredi potest, aut ab ullo homine, cui sanum est sinciput, concreditum fuisse putatur alij, quàm cujus officium in gubernatione Reip. consistit. Quare, ut paucis absolvamus, ad rem tantam expediendam Principes omnem diligentiam convertant, Ecclesiæ idoneos doctores, h, e, Episcopos & Pastores præficiant, iisq; stipendia dignitati laboris responsura constituant, inprimis Academias & scholas fundent, dotent, & quocunq; modo exornent, leges ad disciplinam Ecclesiasticam & externum decorem spectantes ex consilio Theologorum condant, fidelium verbi ministrorum conventus tueantur, atq; externam εὐταξίαν conservent, ipsi synodos, concilia congregent, iisq; exigente necessitate præsint, in refractarios deniq; mulcta, carcere, exilio, imò si blasphemiæ accesserint, gladio ultore animadvertant, adeoq; reapse utriusq; tabulæ custodes ac vindices se præstent.

Aristot. lib. 7. Pol. c. 8.

Cæterâ §. 22. Cæteræ leges statum publicum tangentes continent magi-

magistratuum creationem, legum descriptionem, deliberationem de rebus ad Rempubl. pertinentibus, de bello inferendo & finiendo, præmiorum & pœnarum irrogationes deniq; Legum exsecutione. Atq; hoc est jus Publicum quod circa publicum statum versatur, estq; in potestate ipsius Principis vel Majestatis, à qua vim & robur accipit. Non sunt autem Imperiorum & Regnorum leges fundamentales cum Jure publico confundendæ. Nam & leges fundamentales, ut vocant, statum publicum respiciunt: verum non sequitur, quicquid statum publicum respicit, id protinus fundamentale est. Quippe ex legum fundamentalium mutatione, Reip. & status mutatio fluit: at jus publicum mutari potest sine status publici immutatione. Imò Princeps, aut populus, cui summa competit potestas, leges ferre potest de externa Religionis cura &c. & easdem abrogare: quod fieri non posset, si Legis fundamentalis rationem haberent, quam Princeps in manu sua nullatenus habet. Est vero, ut hoc addamus, lex fundamentalis, quæ non tam externam gubernationem, quam internam Reip. formam atq; statum complexa est, Monarchicũ, Aristocraticum, Democraticum. Qualis erat lex regia, quâ populus Rom. in Romulum omne imperium transferebat. Talis lex Galliæ de marium successione, & exclusione fœminarum, dicta Salica: quæ, quando, ubi, quibus auctoribus sit lata, pluribus docet H. Conringius.

leges pro statu Reip.

de Orig. Jur. Ger. cap. 7.

§. 23. Lex privatam civium utilitatem respiciens rursum duplex est: forum constituens & disciplinam seu censuram morum. Lex forensis aut ad personas pertinet, aut ad Res, aut ad Actiones s. Judicia. Circa personam humanam consideranda veniunt ejus status, Conditio, Ætas, Potestas. In Rebus spectantur possessiones, dominia, obligationes. Deniq; Actiones seu Judicia certam requirunt formam, Judicem, Actorem, Reum, patronos, libellos, testes &c. Atq; hæc legibus, quàm fieri potest, paucissimis comprehendenda sunt. Nec est, quod quis dicat, *opus esse legum multitudine: ut varij factorum eventuum q̃, vultus & species discernantur. Nam si paucæ leges: quid tam judici liberaplera q̃ relinquentur? fenestram sive ostium ad iniquitatem pandemus? Non ego sic censeo:* (verba sunt CL. Lipsij quæ integra transscribere non dubitavimus, cum nemo rectius publicum hoc ulcus tetigerit) *sed neq; sic judicem coerceri. obsecro, quæ illa copia est, quæ omnia comprehendat & distinguat? Ipsum Justinia-*

Leges forenses.

lot. cit.

nianeum jus vide: hic deficit, & multa ex similitudine aut obscuris ex eo argumentis, judicantur. Imo, ubi copia, plus intricati erit; & semper argutia aut calumnia in sinu aut recessu hujus illiusq; legis latebit & se defendet. An non videmus quotidie? præter jus illud Romanum statuta & decreta opidatim, pagatim, populatim habemus: claudimur undiq; & velut obsidemur à Legibus: at litium tamen copia, quanta non alio ævo, & controversiæ assiduæ super ipso jure, aut querelæ.

Morũ castigatio. §. 24. Mores & disciplinam ferè solent turbare otium, usuræ, luxus, ambitus, alea & si quæ similia sunt Rerumpubl. venena, quæ legibus tolli aut ad mediocritatem coarctari necessum est. Quomodo apud Romanos Leges sumtuariæ diversis temporibus ad coercendam luxuriam latæ sunt, de modo suppellectilis domesticæ, funerum, cænarum, alioq; de genere. Privatis enim sumtibus immodicis domus atq; adeo civitates ipsæ, quæ domibus constant, exhauriuntur. De Numa Eutropius in Breviario: *LEGES Romanũ & MORES constituit, qui consuetudine præliorum jam latrones & semibarbari putabantur.* Frequens est apud bonos Autores conjunctio Legum & Morum, qui tamen in acceptione vocis (Morum) non conspirant. In loc. Eut. cit. Mores sunt Leges, quæ circa mores versantur. Sœpè mores non sunt leges constitutæ, sed, ut loquitur Isidorus, *vetustate probatæ consuetudines, seu, leges non scriptæ.* Sic de majoribus nostris Tacitus: *Plus apud eos valuisse bonos mores, quàm*
lib. 6. *alibi bonas leges.* Et Polybius *Quemadmodum*, inquit, *quoties in aliquo populo* MORES LEGESQUE *laudabiles vigere explorat um habuerimus, & cives & ipsam Rempubl. fore laudabilem non dubitamus affirmare: sic cum & privatorum vitam avaritiæ deditam, & actiones publicas injustas alicubi observaverimus; quis dubitat merito dici posse, & leges apud ipsos esse malas & tam mores singulorum, quàm universam Remp. vituperabilem?* In hoc oraculo finimus.

COROLLARIUM.

Vid. disp. III. §. 17. n. 8. seq. & disp. V. §. pen.

Jus Majestatis huc pertinens est jus cudendi monetam, à qua pendent pretia censuum & possessionum, Curabit ergo Majestas, ut rectè misceatur materia, & pro ejus valore taxetur; in adulteratores vero & eos, qui scalpunt, & in orbem attondent numismata, animadvertat, adeoq; id agat, ut monetæ integritas omnibus modis conservetur. Melanchthon dudum trium rerum defectiun Orbi prædixit, lignorum, verorum amicorum, & probæ monetæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0172
DFG

56.

DEO DUCE!

Disp. XI. Respond. 4 Johanne Ab Harlem Regiomon: Borusso.

Thesis I.

LEgis naturam & varietatem expendimus: nunc ad Officiales Reip. sine queis Leges sunt quod corpus sine spiritu, transimus; quorum alii CONSILIO, alij AUXILIO Rempubl. juvant firmantq́; Consilio primum merito tribuimus locum, eò quod in Rep. prudentiæ consultatoriæ maxima cum vis tum necessitas est. *Ego*, inquit Sallustius, *multa legendo & audiendo ità comperi, omnia regna, civitates, nationes usq́; eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt; ubicunq́; gratia, timor, voluptas ea corrupere post paulo imminutæ opes, deinde ademtum Imperium, postremo servitus imposita est.* Plato συμβουλὴν ἱερὸν χρῆμα, *consilium rem sacram* dixit. Quæ causa fuit, cur Aristoteles, postquam omnium Reip. formarum tres esse particulas, iisq́; benè affectis Reip. administrandæ formam benè affectam esse dixerat, primam inter eas faceret eam, quæ de Rep. consultat, alteram quæ in magistratibus versatur, tertiam quæ ad judices pertinet. *Summam vero*, inquit, *potestatem habet ea pars, quæ de bello & pace, & de societate, & de fœderibus, & de morte & exilio & publicatione bonorum, & de rationibus referendis consultat.* Queis nos insistentes vestigiis Senatus Senatorisq́; primo nomen, deinde definitionem, &, quæ præterea scitu necessaria erunt, quàm poterit, studiosissimè evolvemus.

in Theag. lib. 4. Polit. cap. 14.

§. 2. Quia vero Senatus nihil est aliud, quam cœtus Senatorum, quid sit Senatus planissimum fiet, si, quæ de Senatore dici hic commodè possunt, exposuerimus. Ut Senator ab ætate nomen traxit, imitatione Græcorum, apud quos Senatus γερουσία quod legererur Senatus ex senioribus, qui profundum sulcum & frugiferum in mente habent, ex quo præclara germinent consilia, ut loquitur Plato, qui alibi, tum sanè, inquit, mentis oculus acutè inci-

De nomine Senatoris.

pit cernere, eum primum corporis oculus defloreſcit: ità Conſiliarius à Conſilio dictus eſt, pari utriusq; vocis poteſtate. Non enim, præciſè loquendo, Senatoris aliud eſt munus, quàm in medium conſulere, quid in Rep. facto ſit opus: quod idem Conſiliarium ſuis finibus & numeris abſolvit. Quanquam vero hæc ita ſe habeant, uſus tamen has voces diſtinxiſſe videtur. Senatorem enim dicimus eum, qui ſimul magiſtratus eſt: Conſiliarium, qui nullo eſt imperio armatus. Bodinus ſcenæ & Regi ſuo ſervire videtur, quando *exquirit quamobrem Senatus in Rep. benè conſtituta debeat imperio vacare, & hanc potiſſimam ejus rationem eſſe dicit, quod ſenatus idem conſiliorum arbiter & Reip. Princeps eſſet; & quæ de bello, de pace, de legibus, de magiſtratibus, deq; univerſâ Republ. fieri oportere cenſeret, eademq; juberet, quæ cenſuiſſet, nulla populi vel optimatum vel regù eſſet in Rep. poteſtas; ſed ab unius ſenatus arbitrio nutu ac voluntate omnia penderent: quod ſalva majeſtate fieri non poteſt.* Nos facile veniam nos impetraturos confidimus, quod Senatorem cum Conſiliario confundimus: nam de Magiſtratu ſequenti, cum DEO, diſputatione agetur.

lib. 3. de Rep. cap. 1.

De finitio Senatoris.

§. 3. Senatorem ſeu Conſiliarium definimus, quod ſit officialis conſilia de Republica ſuggerens publico bono. Officialem Bodinus definit, quod ſit perſona publica, quæ munus habet lege definitum. An hic genus ſit ſecundum Logicæ leges poſitum nihil attinet diſputare: ſufficit ſi Officialem intellexerimus eum qui officium vel munus publicum gerit. Eum duplicem facimus, ordinarium, cujus munus lege eſt definitum: Extraordinarium cujus munus nulla lege circumſcribitur, quiq; ab arbitrio imperantis, quantum attinet prorogationem revocationemq;, unicè pendet, quem nos cum Bodino Curatorem vocamus. Genus ergo Senatoris officialem facimus: quæ vox de pluribus Specie differentibus ut Magiſtratu, Legato in quid in completè (quod Generis eſt proprium) prædicatur. Differentia petitur ab actu proprio, Objecto & Fine. Actus proprius eſt conſilium, quod ſecundum Ariſtotelem nihil eſt aliud, quàm ratiocinatio animæ de iis, quæ agenda ſunt, orta à Prudentia. τὸ γὰρ φρονίμως μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναι φαμὲν, τὸ εὖ βουλεύεσθαι, h, e, *Prudentis enim hoc proprium*

lib. 6. Eth. cap. 9. cap. 7.

um maximè munus arbitramur rectè consulere. Objectum sunt primo, quæ ad DEI cultum spectant & religionem, deinde res maximæ & ad summam Reip. potestatem pertinentes, quas initio hujus disputationis ex Aristotele tetigimus. Finis est bonum publicum, & portus unicus, quo velificentur Senatores. Salus populi suprema lex esto, habet vetus verbum. Populi, inquam totius, capitis & membrorum: Principis pariter & Principatus. Hæc enim minimè divulsa candidam metam signant, ad quam currant nostri Athletæ.

§ 4. Modo dicebamus, Consilium esse ratiocinationem de iis, quæ agenda sunt. Unde non obscure colliguntur boni consilij & ex usu publico futuri causæ. Omnium prima est DEUS, & æterna ejus Sapientia, teste Salomone. De Consilij causis intra hominem ita habendum. *Prudentia*, quemadmodum dictum est, utramq; hic paginam facit: cujus pararia est vel insignis experientia, vel multarum gentium & provinciarum, inprimis ejus, pro qua consilium dandum est, (*ad consilium enim de Republ. dandum, caput est nosse Rempubl.* ut habet Cicero, cui assonat Tacitus, *Morum*, inquiens, *animorumq; provinciæ nisi sint gnari, qui de ea consultant, perdunt se & Rempubl.*) cognitio accurata, vel deniq; Politices seu sapientiæ civilis exquisitissima peritia, eaq; exemplorum lectissimæ omnis ævi historiæ varia & copiosa observatione atq; collatione, suffulta ac roborata: administra est naturæ bonitate emicans εὐστοχία sive vis conjectandi, concludendi, unumq; ex alio deducendi, (ἀγχίνοιαν vocat Aristoteles) quam stabilem reddit & perfectam nobilissima disciplinarum instrumentarium Logica. Principem ergo locum merito sibi vendicat Prudentia. Proxima est *Probitas:* ab hac enim secreta prudentia, quid nisi versutia est & vulpina calliditas? Hæc efficit, ut Virtutem in oculis & mente habeat consiliarius, fidem præsertim & justitiam, cupiditatem pravam & damnosam refrœnat atq; exstinguit, iram, odium, invidiam, amorem, & quicquic est noxiorum affectuum, compescit. Tolle probitatem, regnet odium vel invidia: quid aliud consequetur, quàm ut profligatissimus quisq;, quantumvis rerum usu emineat, dum suam cogitat vindictam, Rempubl. prodat, modo ipsi liceat inter medias Reip ruinas soli consistere? ut aliorum

Consilij fons recluditur.

Proverb. 8.

2. de Orat.

1. Post. c. 27

sententias, tametsi sint Reip. salutares, acerrimè oppugnet, odiumq; privatum in Reip. exitium proferat, tandemq; civitati luctuosissimum de adversario triumphum reportet? Regnet amor sui & privata compendia; quid in universa Republ. intactum ab hac peste manebit? *Res privatæ*, inquit Livius, *semper offecere officientq; publicis consiliis. Pessimum veri affectus* & probitatis *venenum est sua cuiq; utilitas*, ut habet Tacitus. Ultimum locum occupat *Benevolentia* adversus præsentem Reip. statum, & in Monarchia quidem tàm principem quàm Principatum. Scilicet, quæ singula solebat Magnus Alexander Hephæstioni tribuere & Parmenioni, cum hunc diceret esse Regis, illum Alexandri amicum; conjuncta oportet esse in eo, qui salubria consilia est Reipubl. daturus.

l. 22. 2. Hist.

Duo sunt boni consilij requisita.

§. 5. Cæterum duo sunt boni consilii requisita, quæ eadem veluti cynosura & norma sunt, ad quam respiciant consultores. Primum est, ut Consilium sit utile: secundum, ut fieri possit. *Hæc enim duo*, verba sunt Imp. Leonis, *si non adsint, infirmum consilium esse & temerarium statim deprehenditur, & quasi ante oculos vitium ejus cernitur. Si enim inutile sit, de quo deliberas, non modo non commodaberis, verum etiam læderis. Si vero non possunt, de quibus deliberatum est, perfici, inanis hæc consideratio ad temerarium exitum, quod id fieri nullo modo aut via potest, necessario pertinet.* Leoni præeat Augustus Imp. cujus hæc sunt eaq; libratissima verba: In omni deliberatione, quæ de Republ. instituitur, spectandum esse, unde majora aut minora absurda seu incommoda consequi possint; idq; consilium pro optimo deligendum, ex quo pauciora mala provenire queant. Certè rerum dubiarum, & quæ in casu positæ sunt, atq; ab exitu pendent incerto, quoties agitur de Republ. nullum pondus esse oportere una omnium Sapientum vox est. Ac quemadmodum consiliorum incerti exitus haberi ratio non debet, ita universim rem æstimando nunquam exitus consilij spectandus: quippe præstare fidem consiliarius tenetur, cum non possit eventum. Cicero quidem *hoc plerumq; facere* homines testatur, *ut consilia eventis ponderemus, & cui benè quid processerit, multum istum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.* Quanto rectius Carthaginenses sensere, qui, teste Valerio Maximo duces pravo consilio bellum gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cru-

pro Rab. Posth.

ci

ei tamen suffigebant: quod benè gesserant, Deorum immortalium adjutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes. Eleganter Curtius: *Sæpè prava consilia, ubi secundam fortunæ auram nacta sunt, felices exitus habent: contra, optimè cogitata sæpè pessimè cadunt, & ea, quæ destinata sunt salubriter, à fortuna omni ratione potentiori discutiuntur,* Sed hic illud notamus, consiliorum quoddam genus esse specie temerarium, aut stultum; re autem vera prudenter & aspectu hostium socordiæ, aut insciliæ rei militaris susceptum. Quomodo consilium suum, quod speciem temeritatis præferebat, purgasse scribitur Dux Albanus. lib. 7.

§. 6. Porro cum duo, teste Thucydide, sint adversissima rectæ menti, Celeritas & Ira nihilq; magnis consiliis tam sit inimicum, quàm Celeritas, necesse est, temeritatem fugiat, atq; calorem, qui consilium salutare daturus Reip. est. Extemporanea illa consilii promtitudo speciem quidem absolutæ sibiq; constantis prudentiæ ostentat, sed revera consummatæ mentis expers est, & ex tædio oritur quod conciliare calidis & audacibus solet mora ratiocinationis, penitrantis in intima & quasi viscera negotiorum. Verum enim non in Natura tantum & scientiis, sed & consiliis illud Apuleji est: *Nulla res eadem esse potest festinata simul & examinata, nec esse quidquam omnium quod habeat laudem diligentiæ simul & gratiam celeritatis.* Excipimus rem ancipitem atq; arduam, quando *pernicioſior est quies, quàm temeritas*, ut ait Tacitus: qui ubi Fabium Valentem redarguit, quod in ancipiti constitutus periculo segnius incederet, monentesq; alios, ut cum fidissimis per occultos tramites vitata Ravenna Hostiliam Cremonamve pergeret, alios ut accitis ex urbe prætorianis cohortibus valida manu perrumperet, postquam inutili cunctatione tempora consultando consumsisset, mox *utrumq; consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec provident.* Unde obiter colligimus, *in rebus asperis & tenuibus*, ut loquitur apud Livium Martius, *fortissima quæq; consilia rarissima esse: quia si in occasionis momento cujus prætervolat oportunitas, cunctatus paulum fuerit, nequicquam mox amissam quereris.* jam olim cordatè & prudenter Vespasianus, cum animum ad Imperium adjecisset, esse dicebat *privatis cogitationibus progressum, & prout velint plus minusve sumi* Consilium tardè capito. lib. 27. Tacit. lib. 2. Hist. c. 74.

ex fortuna: Imperium cupientibus nihil medium inter summa aut præcipitia. Quemadmodum vero nimia festinatio consiliis nocet, ita iisdem nimia quoq; cura, qualis esse aericulorum quorundam solet, semper in consiliis natantium, disputantium verius quam suadentium, obest. *Multa* enim *ponderando*, ut Florentinus ille ajebat, *& ubiq; difficultates injiciendo nihil concluditur: res perpetrata* (ex Italorum proverbio) *caput habet: & deliberationes periculosæ, quanto accuratius perpenduntur, eò segnius constitui suscipiq; solent.*

Mach. lib. 2. Hist. Florent.

Sed Celeriter exsequitor.

§. 7. Quantum prudentiæ celeritas, tantum occasioni mora officit: quod præclare Carolus V. Imp. intellexit, *Cunctationem* dicens, *animam consilij esse: Celeritatem exsecutionis: utramq; simul junctam esse quintam essentiam boni Principis.* Notum est illud Augusti: σπεῦδε βραδέως. Eadem mente Salustius: *Prius, quàm incipias consulto & ubi consulueris, maturè facto opus est: ita utrumq; per se indigens alterum alterius auxilio viget.* Præiverat Aristoteles: πρᾶττειν μὲν δεῖ ταχὺ τὰ βεβουλευμένα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως, h,e, *celeriter deliberata peragenda sunt, deliberandum autem tardè.* Scilicet consilium super re agenda est ratiocinatio, quæ ipsa mancum quid & mutilū est, destituta exsecutione: hanc autem varia obstacula remorari, si cuncteris, & res palam fiat, necessum est, quæ omnia uno ictu præcides, dum opprimis, quæ obvenit, occasionem. Catonis illud πολυθρύλλητον est: Fronte capillata est, posthæc occipio calva. Neq; huc quadrat: *Quod ratio sanare non potest, id sæpè sanavit mora.* Imò quo majus est periculum, tanto nocentior mora est. *Deliberationes*, inquit Machiavellus, *periculosæ, quanto accuratius perpenduntur, tanto segnius perfici solent: inde evenire videmus ut plurimum, ut conjurationes, quibus conficiendis aliquid spatij intercedit, evulgentur.* Atq; ut in pace exsecutio consilii maturanda est, ita vel maximè id in bello fieri expedit. *Prima*, inquit alicubi Tacitus, *prodit tempora belli, qui quos armis pellere promtum est, epistolis increpat.* Romani Punicum bellum tertium simul indixerunt & gesserunt. Alij spatium quidem deliberandi concesserunt, sed admoto intra ipsum illud spatium ad fines exercitu, qui petenda pacis imponat necessitatem, nec copiam reliquam faciat

6. Eth. Nicom. 9. & 5. Eadem.

faciat virium parandarum, queis resistere possis. In ipso autem belli propressu executioni cunctatio quam maximè adversatur: neq; enim in bello bis peccare licet. *Occasio cum in omnibus hominum actionibus dominatur, tum vero maximè in bellicis*, inquit præclarè Polybius. Nec fugit hoc oculatissimum Demosthemen, qui in hunc modum Athenienses reprehendit: *Nos rei gerendæ tempora in apparando consumimus, rerum autem gerendarum occasiones non exspectant nostram tarditatem & socordiam.*

§. 8. Quæ sit boni consilii norma, diximus: quomodo item capiendum, & executioni mandandum: unum prius, quàm hinc abeamus, addemus: An consilium deceat mutari? Nos, ut consiliarium Proteo mutabiliorem jure culpandum, adeoq; in consilio constantiam retinendam, ita pertinaciam seu permansionem in consilio inepto crudo, noxio modis maximis detestandum ducimus. *Hominibus omnibus*, inquit Sophocles, *commune est delinquere. Postquam vero deliquerit, ille non amplius est vir inconsultus atq; infelix, quicunq; in malum lapsus medetur, neq; immobilis extiterit. Pertinacia siquidem stultitiæ obnoxia est.* Demens enim est, qui in errore persistit, & præstat in melius mutatio, quàm in malè cœptis pergere. Inconstantiam quod quis objiciat, nihil est: *nemo* enim *doctus mutationem consilij inconstantiam dixerit*, ut Cicero inquit: imò magnæ sapientiæ est revocare, quod perperam senseris aut dixeris. Atq; ut medicus, si medicamentum quod ægroto dare jussit, re exactiùs apud animum discussa inconveniens aut noxium esse deprehenderit, non erubescit priorem sententiam retractare, quo cùm ægroto usui sit, tum verò suæ conscientiæ faciat satis: ita Consiliarius, cui æquè proposita est Reip. salus ac Medico sanitas ægroti, si consilium, quod dedit, minus aptum, nec satis ad prudentiæ solem excoctum, quin Reip. nocumento futurum animadvertat, minimè notam levitatis incurret, dum inflectit suam sententiam ad tempora & oportunitates, vel si res postulet, mutat. *Consilia*, inquit Seneca, *rebus aptanda sunt: res nostræ feruntur, imò volvuntur: consilium sub die nasci debet, oportetq; eos qui in Reip. navi sedent, tanquam in talorum jactu ad id, quod acciderit, res suas aptare qualiter id cunq; ratio esse dixerit.* Rigor consilia corrumpit, quibus tamen

De mutatione consilij

1. Off.

p. 27.

tamen nititur Respublica: hanc regulam si corrumpas aut incurves mensuram rebus exinde omnibus adimes.

Consiliarij quales? Pij. Val. Max? 2. Prudentes;

§. 9. A Consilio regredimur ad Consiliarium, cujus dotes §. 4. recensuimus, quarum adminiculo atq; præsidiis finem in definitione inclusum consequi potest nempe PUBLICUM BONUM. Pietas familiam ducat: *fallunt enim qui humanis imperiis & regibus, non ultionis divinæ metu respublicas contineri docent: Humana consilia castigantur, ubi cœlestibus se præferunt.* Secundas tenet prudentia humana, ad cujus fontes, digitum supra intendebamus. Ad eam pertinent *animi & ingenij celeres quidam* motus, de quibus in officiis Cicero, *qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumq; sint uberes & ad memoriam firmi ac diuturni.* Sed caveatur acumen nimium nimiaq; differendi subtilitas, cui plerumq; adjuncta est ingenij ostentatio sui sensus pertinax: quanquam ingenia quoq; acuta & subtilia, rebusq; novandis quam gerendis aptiora vel hoc nomine utilia in Collegio consiliariorum esse possunt, ut collegarum exerceant ingenia, & exterorum artes observent. Cumq; in his ferè rebus versari consultatio soleat, ut vel de vectigalibus, vel de bello, pace, fœdere, induciis, vel de urbis atq; provinciæ custodia, vel de legibus ferendis aut abrogandis deq; negligentia Magistratuum vel deniq; de annona, deq; iis quæ supersunt, exportandis, quæ vero desunt, importandis, agatur, non in genere tantum harum rerum intelligens esse consiliarius debet, verum etiam reip. cui consilium est daturus, omnia etiam minutissima, quæ neglecta detrimento Reip. esse possunt, explorata atq; cognita habeat oportet, v. g. si Principis sit Consiliarius, sui Principis vires & potentiam, confœderatorum item, vicinorum, ac hostium quoq;: quænam Principis familiæ origo, quæ jura: quidnam in Principatu controversum, cum quibus, quibus de causis quæ ratio provinciæ administrandæ, quibus rebus delectentur cives, quibus se sustentent, quomodo erga Principem affecti & quæ sunt his similia, quorum lineas modo ducebamus. Neq; hinc excludenda eloquentia linguarumq; variarum potissimum populorum subjectorum aut vicinorum peritia: sed hæc non requiritur in omni consiliario præcisè, neq; tamen abesse à summis & secretioribus Consiliariis debet, quibus sæpè ad exterarum Rerum

publ'

publ. legatos vel ad populum furentem verba facienda sunt. Valerii brevis oratio populum Romanum ad sanitatem reduxit, & *verbis facundis*, ut ait Valerius Max. *ira, consternatio, arma cesserunt.* Eloquentiam cum dicimus loquentiam excludimus. *Senatori*, ait Cicero, *hæc jussa sunt, ut adsit: nam gravitatem res habet, cum frequens est ordo: ut loco dicat, id est, rogatus, ut modo, ne sit infinitus.* Nec ab Eloquentia secerni vel potest vel debet Philosophia, cum oratio non verbis tantum, verum etiam rebus constet. Deniq; ad prudentiam consultatoriam requiritur publici privatiq; juris cognitio, rerumq; ante gestarum, quæ teste Aristotele ad consultationem utilissimæ sunt: ut plurimum enim similia sunt præteritis futura. Sed hac de re jam suprà dictum est, & descripta suis finibus prudentia. Adderemus Consiliario curæ esse debere, ut attentissimis auribus eùm propositionem, tum confirmationem, quam suo quisq; loco affert, excipiat, & cogitationibus sit minimè distractis: nisi arbitraremur per se hoc monitum patere. *lib. 2. Rhet. c. 21.*

§. 10. Alterum boni Consilii fontem fecimus Probitatem seu Virtutem secuti Aristotelem qui in Rhetoricis tria esse docet quæ faciunt, ut hominibus fides habeatur: *Prudentiam, Virtutem, Benevolentiam.* Virtus fideliter in animum Consiliarii admissa efficiet, ut liberè dicat sententiam & intrepidè. Qualis erat Helvidius Priscus, cui cum mortem interminaretur Vespasianus Imp. si quod rectum putaret dixisset, ipse nihil territus, Quando inquit ego dixi, me immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum, tuum est occidere, meum mori non trementem. De libertate linguæ id monemus, exemplo Lepidi apud Tacitum, *inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergendum iter ambitione & periculis vacuum.* De Hephæstione Curtius: *Libertatis jus in admonendo Rege quod solus penè habebat, ità usurpabat, ut magis à rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.* Forte pectus atq; magnanimum procul habebit cum metum, tum adulationem, quæ sublimi regnare in aula solet. *Vis scire*, inquit Seneca, *cujus rei inopia laborent magna fastigia: quid omnia possidentibus desit? Ille, qui verum dicit.* Fortitudini jungat consiliarius temperantiam: omnis enim cogitatio sapiens in quiete consistit, ut habet Aristoteles, à qua procul absunt exæstuantes & incensi vino atq; crapula spiritus Sunto quoq; probi. *lib. 4. Annal. c. 20.* *6. ben. c. 30.* *7. Phys. cap. 1.*

obnubilati, per quos fit, ût ebriosis minimè nasci consilia sobria, quæve nulla egeant retractatione, queant. Temperantiæ comes esto beneficentia, morum facilitas, comitas atq; humanitas: procul esto *avaritia*, quæ, ut ait Salustius, *bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, opida, agros, fana atq; domos vastat: divina cum humanis permiscet, neq; exercitus neq; mœnia obstant, quo minus vi sua penitret, fama, pudicitia, liberis patria, atq; parentibus cunctos mortales spoliat.* Summa omnes colat virtutes Consiliarius, justitiam æquitate moderetur & corrigat, studiosus sit veri, mansuetus, modestus, deniq; sit taciturnus. Apud Persas ut habet Ammianus nemo consiliorum regiorum particeps erat, præter quosdam optimates, taciturnos & fidos; apud quos Silentii quoq; colebatur Numen. Est enim silentium consilii unicum munimentum: unde Metello Macedonico dicere solenne fuit, se interulam, quæ consiliorum suorum conscia foret, corpore direptam in ignem conjecturum. *Arcani ergo sint Consiliarii*, ut loquitur Lipsius, *non arcanorum scrutatores*; quia *abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps, & periculosum*, ut Tacitus ait.

lib. 21.

Et 4. Reip. amantes.

§. 11. Ultimum, quod in Consiliario requirimus, est Benevolentia adversus Rempubl.: & primo adversus præsentem Reip. statum. Alcibiades olim *eos hominum tutissimè agere*, dicebat, *qui præsentibus moribus, legibusq; etiamsi deteriores sint nihil variantes Remp. administrant.* Cato Uticensis, cujus philosophicas & Platonicas in Romuli fece sententias disput. præliminari notavimus, quanquam Principatus fuerat infensissimus hostis, adeò tamen hoc nomine non est reprehensus ab Augusto Imperatore, ut laudem quoq; & commendationem ejus mereretur. Cum enim Strabo quidam, Augusto, Catonis ædes ingresso, adulaturus Catonis pervicaciam accusaret Augustus, quisquis, inquit, præsentem Reip. statum mutari non vult, is & civis & vir bonus est, Cumq; hortari vellet, ferenda esse præsentia, qualiacunq; essent, solitus est dicere: *Contenti simus hoc Catone*, ut memorat Suetonius. Sapienter quoq; apud Tacitum Marcellus. *Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitati formam patres aviq; instituerunt*: ULTERIORA MIRARI, PRÆSENTIA SEQUI. Inprimis non sit utilitati privatæ deditus, ut supra quoq; monuimus, si cupit metam publici

§. 9.

lib 4. Hist cap 8.

blici boni consiliarius attingere: *Pessimum enim*, ut graviter monet gravissimus autor, *veri affectus & judicij venenum sua cuiq; utilitas.* Atq; hæc ita sunto constituta. Apparet inde peregrinos indigenis esse postputandos. Rationes Lipsius collegit sequentes. Primo, inquit, indigenæ haud facilè concoquunt, in sua Republ plus aliquid credi aut tribui alienis: inde livor, questus & aversio quædam animorum. 2. Raro illi morum, ingeniorum & totius Reip. periti 3. Si maximè iis peritia insit, vix affectus aut fides. 4. Usu compertum est, consilia externa semper ferè esse infausta. *An peregrini? in Notis ad c. 4. l. 3. Polit.*

§. 12. Adderemus traditis hactenus aliquid de corporis bonis, nisi periculum esset nimii thesium incrementi. *Magnum enim ornamentum consiliarii forma corporis dignitati conveniens, decus oris & elegantia*, ut ait Hippolytus à Collibus. *dignitas enim corporis*, ut habet Cicero *apta compositione membrorum movet oculos & delectat, vel hoc quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiunt.* De temperamento Corporis ita sentit Furius Coriolanus. *Consiliarius aut sanguineæ aut cholericæ, non alterius sit constitutionis: nam iis temperationibus præditi, ingenii acrimonia, memoriâ, judicioq; valent, justi, affabiles fideles, benefici, magnifici, magnanimi, fortes, corpore alacres, agiles, sani & benè temperati sunt.* Hæc Coriolanus, quæ tamen parum firmo tibicine fulta esse arbitramur, nec Metancholicos ut judicio valentissimos à Consiliariorum numero arcemus. Magis è re erit, si ejusdem Coriolani præclarissimum monitum, quod inter Regulas de Electione Consiliarij quarto collocat loco hic adducamus, eoq; hanc de dotibus consiliarij tractationem subsignemus. *Princeps*, inquit, *vicarium omnium provinciarum injungat diligentem inquisitionem de optimis & præstantissimis quibusq;, & nominum, quæ ipsis sint, transmissionem, quibus acceptis atq; perlectis accersantur (sub alia tamen specie) qui omnium maximè idonei existimabuntur: præsertim autem, qui in aula incogniti erunt. Ex compluribus enim bonis facilior excellentis electio est, quàm ex paucioribus. Porrò vulgus videns Principem, ut verùm patrem, de omnium honore ità cogitare, eum lato cordis amore prosequetur: nobiles & ignobiles noctu diuq; artibus necessariis atq; utilibus addiscendis animum intendent*, &c. Confer quæ præcedunt, quæq; sequuntur de lentitudine in admittendo & Exploratione. De corporis bonis: ubi Monitum quoddam. 2. offi. cap. 3. cap. 4.

An Consiliarii esse tantùm senes debeant?

§ 13. His ita perspectis, quasdam de Consiliario quæstiones velut Consectaria proponamus. Dubium est, cum Senator à senio dicatur, an semper esse Consiliarii senes debeant? Cum tres modi sint dandi Consilii, Ratione scilicet, Authoritate & exemplo, manifestum est, Senes potissimum ad Consilium dandum advocandos esse quippe qui & rationum momenta, εἰς ἑκάτερον accuratius examinare, possunt quiq; experientia & usu cum sint instructi, fieri nequit, quin exemplorum omnis ævi copia abundent, nec sententiis gravissimorum authorum destituuntur &, quamvis destituerentur, ipsæ eorum sententiæ instar gravissimi ponderis sunt, quibus senectus maximam conciliat authoritatem. Juvenes autem cum sint molles & ætate fluxi, præterea usu rerum & authoritate careant non videntur consilij ex usu futuri copiam polliceri. Interim tamen expedit senatorum Collegio juvenes quoq; 30. annorum inseri velut juxta arbores annosas novas plantas, quæ post interitum vetustarum succedant, ad earum formatæ exemplum. Nec semper prudentiam ætas exspectat, quæ si observanda

Phil. 5. semper sit, futurum est, *ut magna virtutis indoles prius exstinguatur, quàm prodesse Reip. possit*, ut ait Cicero. Ne nune dicamus, utile esse, ut juvenes, animosi scilicet ac fortes, laudis & gloriæ cupidi, inq; rebus agendis honestatem solam non utilitatem propositam habentes senum contemperent timorem, tarditatem, morositatem, πλεονεξίαν. Lubet amplius quærere, An nobiles

An nobiles? esse debeant Consiliarii? Si paritas quædam sit prudentiæ & virtutis, non dubitamus Nobilem præferre, & attendere jubemus lecturum consiliarios, quid Gentis natura, quid consuetudo, &

in Syl. circumstantiæ ferant. Plutarchi oraculum est: *Optima est Respubl. & felicissima, in qua Magistratus omnia sua refert ad salutem Reip. nec adspernatur quenquam, qui Reip. prodesse possit. Quemadmodum & Venator non requirit, quod tali cane natum sit, sed tamen & eques equum, non quod ex equo (quid enim si mulus ex equo sit natus? audite degeneres generosi!) est genitum.* Idem responsum volu-

An divites? mus quæstioni, An divites esse Consiliarii debeant? Equidem nec divitiæ nec paupertas primariè spectanda: in quo insunt dotes, quas depinximus, consiliarius esto: quanquam divitem paupe i præ-

præferamus, eò quod ille, cum opes pignoris vicem apud Rempubl. habeat, majori fide sit & amore ergo Remp. authoritate quoq; apud vulgus majore atq; animo & experientiâ, minus deniq; propter avaritiam suspecti. Ad quæstionem, An munera Consiliario fas sit accipere, respondemus illud Antonii, ὅτι πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε παρὰ πάντων &c.

14. Quia in hunc quæstionum campum descendimus, age, plures videamus. Prima hæc se offert: An Consiliarius etiam non vocatus in Senatum venire debeat? Vetus lex est, quam Cicero habet: *Senatori qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto.* Inprimis postulante necessitate, flagitante Republ., ubi res moram non patitur, expensis deniq; circumstantiis, etiam non requisitus Consiliarius accedere ad Consilium debet, nec exspectare, dum frustra sit medicina. *Uterq; enim reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit*, inquit Augustinus. Et quanquam speciali vocatione destituatur, generalis tamen jubet Reip. necessitatibus subvenire. Pariat odium veritas: *malit* Consiliarius *vera pro gratù loqui* ad exemplum Capitolini. De Romanis Tacitus: Licebat, inquit, patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemq; in ea postulare: imò egredi aliquando relationem, & quod in commune conduceret, loco sententiæ promere, ut alibi idem Tacitus memorat. Huic quæstioni affinis est altera: An consiliarius venire teneatur, si sciat, aliquid tractatum iri, cui salva conscientia nequeat assentiri? *Boni Senatorù*, est inquit Cicero, *semper in Senatum venire*, atq; opem ferre periclitanti Reip. à quâ constitutus est Consiliarius. Nam si non requisitus boni publici causa consilium dare tenetur. quemadmodum dictum est, multo minus salva conscientia & fide, quem Reip. dedit, effugere poterit, ne rogetur. Quod ipsum virtus postulat Consiliarii, ut propter pericula minimè sibi fas esse arbitretur Reip. deesse: atq; hæc una nota est qua discernuntur à spuriis Consiliarii genuini. Absit ergò, ut major sit metus offensæ, quam patriæ amor, cujus ruinis cum omnes veri cives opponi cupiant, quid eximium Consiliarius habebit, nisi impendi?

De Consiliario non vocato

3. de L. L.

lib. 13. Ann.

lib. 3. Ann.

pro dom.

§. 15. Cæterum quanquam multitudo consiliis semper inimica esse à Bodino dicatur, non tamen arbitramur unum alterum-

De numero

Consiliariorum. ubi nova quæstio.

ve satis oculatos esse, ut in omni re atq; omni tempore (neq; enim semper idem est animi vigor, aut eadem absentia perturbationum) pervidere queant, quid sit Reip. ex usu. Quin nec utile ipsis erit consiliariis, si nimis sint pauci, (nullum hic determinamus numerum, quem ineundum esse ex amplitudine Reip. ac diversitate rerum ipsarum statuimus) ne dicam, si uni consilii summa committatur: *immodicæ* enim *potestates*, ut rectè Dio ait, *animos ad fastum extollunt & corrumpunt, cum sit hominibus quasi innatum, ut honores adepti secundam fortunam cui nihil deest, nisi ejus moderatio, benè ac sapienter ferre non possint.* Sed plenius paulo illam quæstionem tractemus, An Princeps uni alicui se totum dare debeat, eumq; aliis ministris omnibus præferre? *Summa dignitas*, inquit Livius, *& dantem & accipientem gravat.* Hunc quidem (Consiliarium) invidia premet ac odium, quod ex aliorum contemtu atq; aversatione nascitur: ex odio sinistræ pullulabunt opiniones, æmulatio item conjuncta cum indignatione, quod aliorum ministrorum fidem atq; virtutem sepeliat Princeps, & merita eorundem vel non agnoscat, vel superciliosè adspernerur. Tandem Consiliarius *potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dabit exemplum, quod, quotquot secuti sunt alii, perniciem alis ac postremum sibi quoq; invenere*: quæ sunt Taciti verba de Romano Hispone, qui alibi *nimis tenue* ait *illius fœderis esse vinculum, quod plurium odio nectatur.* Illum (Principem) gravabit eximia unius dignitas, in quem solum recumbit Princeps, suæ dignitatis pariter & salutis damno. *Non* enim *Princeps aucta nimis potentia unius tutus vivet*, ut Dio ait: & rursus *minus est quàm servus, qui servum timet*, ut inquit Mimographus. Nimirum, quod in Tragœdiis ferè usu venire solet histrionibus (verba sunt Plutarchi) ut, qui nuncii personam gerunt vel ministri pluris fiant, & primas parteis agant: illius verò, qui diadema fert & sceptum, nec vox audiatur ulla loquentis: idem accidit hujusmodi Regibus aut Principibus; & majestas quidem imperii hærere apud ministrum solet, regi aut Principi orbum potentia nomen relinquitur.

lib. 1. An. 13. An.

in Lysan.

De Principe.

§. 16. Incœpimus de Principe aliquid dicere: hunc formavit felicissima eâq; incomparabili diligentia J. Lipsius, ad quem in his simul & aliis quæ de Virtutibus Principe dignis dicenda nobis

bis suprà, nisi curtæ obstitissent paginæ, (disp. VII.) fuissent, Lectorem nostrum remittimus. Et omni quidem curâ cum sint Politicorum illi sex libri legendi, inveniet potissimum libro III. & IV, quæ exsaturare honestissimam cupiditatem possint. Ita enim illi dextrè atq; curatè sunt facti, ut è medio hanc palmam sustulisse omninò videantur. Quod semel hoc dictum, semper noster observet Lector. Nobis sufficiat hic spicilegia dedisse. Princeps maturè deliberet: omnia enim deficere eum videntur, qui in ipso negotio consilium capere cogitur: tum magna in rep. momenta sunt temporum: & multum interest, idem illud utrum antè an post decernatur, suscipiatur, agatur. Quare nec lentè nimis consulat, nec rursum festinet. Deinde audiat cum judicio, ponderet vota, non numeret semper, nec à suis ducatur, tanquam nervis alienis mobile lignum, nec rursum omnium consilio repugnet. Tum sententiam suam celet, atq; fieri quid debeat, cum multis quidem tractet: quid facturus sit, cum pauciſſimis, vel potius ipse secum. Libertatem admittat, adulatores fugiat: quippe regum opes sæpius assentatio quam hostis evertit. Præterea bona quidem consilia præmiis non adficiat, ne quis spe adipiscendi à vero deflectat: sed nec mala suppliciis: defuturi enim sunt, qui suadeant, si malè suasisse periculum sit, nec eventum spectet, sed fidem consultorum. Deniq; implexa consilia, quibus impar est, fato permittat. Adde, initium dicendi sententiam non semper ab iis, qui dignitate cæteros ante eunt faciendum, ne vel cæteris dicendi libertatem subtrahant, vel authoritate non judicio sequentes in suas partes traducant. Hæc Lipsius, qui mox addit, spernenda illa occulta consilia & ab aulæ servis, qui placita loquuntur, rem suam quærunt, Principem dehonestant, imò & vendunt: si quæ tamen ab eo proficiscantur, cujus singularis rei certæ peritia & sagacitas experimentis minimè dubiis comprobata est, minimè spernenda arbitramur: *nullius* enim *hominis*, Plutarcho judice, *adspernanda opera est, qui aliquid utilitatis Reip. afferre posset.* Agnatorum, cognatorum, parentum, liberorum masculini sexus excludi consilia nequeunt, nisi vel ineptos natura, vel suspectos malitia fecit: fœminini vero sexus consilia, & si fœpè salubria, propter tamen ipsas consulentes fortuna destituat & successus necesse est: ne dicamus *plerumq; muliebre consilium deterius esse.* An princeps omnibus consultationibus majoris

lib. 3. cap. 8.

Tac. 15. Ann. joris momenti intereſſe debeat, & quomodo ſententiæ tum ſæpè exigendæ ſint, vide apud Lipſium in Notis, qui utiliſſimum cenſet ſcripto nonnunquam ſententias exigere & clauſis tabellis, vel ſolos conſiliarios relinqui, ubi ſibi non diſplicere profitetur, quod Turcarum Principes uſurpant, ut in proximo Senatus habendi loco poſſint occultè, cum velint, conſiſtere, illinc per cancellos (ſed velo oppoſito) omnium ſententias audire: ut tamen adeſſe eos, etiam cum non adſint, fas ſit ſuſpicari & contra. Id vero & libertatem dare ſententiis videtur, cum non coràm ille immineat: ſed & intentionem addere, cum ſemper poſſit auſcultare & adeſſe. Sed hæc rariùs fiant.

ad cap. 8. l. 3.

§. 17. Una de Conſiliario Principis quæſtio ſupereſt, An Princeps novus Imperii ſucceſſor ſui prædeceſſoris conſiliarios mutare & à ſe debeat dimitere? Ad hanc ità habendum temerè factam mutationem periculi pleniſſimam cenſeri. Præterquam enim, quod hoc pacto privaturus eſt ſe exercitatis, à quibus multa poterat ac debebat utilia diſcere, ſubditi libertatis oppreſſionem ſuſpicabuntur, atq; opinabuntur priſtini regiminis tenorem atq; formam abolitum iri, quæ res maximis motibus & inobedientiæ feneſtram ampliſſimam patefactura eſt. Si qui tamen juſtis de cauſis in odium populi vel procerum venerunt, non dimitti tantum ſed & pro merito plecti debent: quod ſi à futilibus cauſis ac ſuſpicionibus id odium venit, Princeps omnibus modis nitetur, ut in gratiam Conſiliarius reducatur, vel, ſi res hac non proceſſerit via, aliò Conſiliarium ad tempus ableget ſub honeſta ſpecie, donec turbæ & odium conſileſcat, quod ſi perduret odium & ad ſeditionem res ſpectet, videat Princeps, ut apud exteros conſiliarius ſuſtentetur, promoveatur. Atq; hæc de prædeceſſoris conſiliario dicta tantò magis in Conſiliario ipſius Principis valent (hoc uno monito quæſtiones has concludimus) quem tueri atq; defendere Princeps debet nec facile audiat querelas ſubditorum de officialibus, multò minus ſubito condemnet, & ab adminiſtratione commiſſæ provinciæ cum ignominia repellat, etiamſi maximè mereri videantur. Honor enim officialium majeſtatem auget Principis, majeſtas obſequium. Repulſa ipſius Principis authoritas vileſcit tanquam judicio in eligendis officialibus deſtituti.

Coroll. 1. *Huc pertinet jus habendi comitia, quorum proceſſus ab ordinaria Principis Conſultatione parum differt.*

2. *De varietate Conſiliorum vid. Hip. à Collibus num. 32.*

DEO DUCE!

THESIS I.

DISP. XII. Resp. BURCHARDO NIDEROSTADIO Holsato.

VErsamur in secunda classe Jurium Majestatis, quæ constitutionem officialium complectitur, sine quibus prima sibi constare, aut ipsa consistere Majestas nequit. Cum enim Leges vi præditæ sint civilem continente societatem, quam à Majestate acceperunt, hæc autem ipsa, quatenus certæ intelligitur personæ inclusa, toti corporis hujus moli impar sit (*unus* enim *& pauca videt & pauca audit*, ut ait Xenophon, quando de Otacustis Regum Persiæ loquitur) necessario deveniendum ad Magistratus, qui instar oculorum, aurium, manuum sint Majestati, ac sedulo provideant, ne qua Legibus fraus fieri, hoc est, dissolvi societas civilis possit. Hac ergo disputatione jus creandi Magistratus edissertabimus: cum quo complicatur jus extremæ provocationis: quæ duo alii, sed malè divellunt, ut ex iis, quæ dicentur, manifestum erit. De nomine Magistratus plura alii accumulant: nobis sufficit tetigisse rem obviam, & perstrinxisse. Deducitur Magistratus ab obsoleto verbo magistrare, quod idem est ac regere, gubernare; unde consequitur, κατ' ἀναλογίαν loquendo, Magistratum nihil esse aliud, quam gubernatum, seu eum qui à Majestate officium certâ lege atq; conditione nanciscitur, diciturq; vox tum de persona (quæ acceptio hujus est loci,) tum de officio seu honore.

§. 2. Definimus Magistratum, quod sit officialis ordinarius cui data est potestas juris dicundi & exsequendi. Genus est Officialis, de quo diximus disp. præcedenti. Aliis genus est præfectus civilis societatis, nec malè. aliis, Civis: nobis placet præ aliis genus, quod adsignavimus. Additur, quod sit officialis ordinarius, ut distinguatur à judicibus datis, qui apud Romanos nomine ejus, cui jurisdictio lege data erat, judicabant, eranq; formulâ mandantis & terminis, quos excedere nefas clausi. Data autem dicitur esse potestas,

Magistratus definitio.

stas, ut distinguatur Magistratus à Majestate, quæ à nullo hominum suam habet potestatem dependentem, quanquam hodiè obtinuerit, ut imperatores & Reges Magistratus summi nominentur; quæ vocis ampliatio Romani sermonis & morisorbitam premere non videtur. *Populus Romanus* ait Cicero, *deligit Magistratus, quasi Reip. villicos*: habebat autem majores & minores, sed qui omnes summæ potestati subjiciebantur. Discernimus ergo Magistratus à Majestate, tanquam quid dependens & vicarium ab Independenti & Principali, à quo universa Magistratuum potestas & dignitas dimanat. Illa ad duo capita revocari potest, quæ postremis definitionis verbis exprimuntur: videlicet, ad potestatem judicandi, (*omnem namq; magistratum necesse est quorundam etiam esse judicem*, ut ait Plato) & exequendi: seu jurisdictionem, quam Græci *κρίσιν* vocant, & Imperium, quod respondet Græcorum *ἐπιτάττειν*. Prius sine posteriori mancum est & mutilum: quippe elusoria futura sit jurisdictio, nisi Imperio armata esset. Sed his operæ pretium fuerit nonnihil immorari.

pro Planc.

6. de LL.

De origine jurisdictionis.

§. 3. Cum Reip. finis sit *εὐπραξία* seu Beatitudo civilis ex Virtutum complexu consurgens, responsura fini media comparare oportet: quæ multa licet atq; varia sint, vix tamen ullum reperias efficacius jurisdictione, quam Imperium complet. Equidem, si voti res esset, optandum foret, ut sua sponte justitiam homines colerent, abstinerentq; ab injuriâ pudore potius quàm metu, nec tam pœnæ formidine, quàm amore virtutis: sed quia hoc optari potest, sperari minimè, vi Legum retundi improborum lubidinem oportuit, ut boni sublatis impedimentis Virtuti & sibi vacare possent. *Circa res justas*, inquit Aristoteles, *judicare, punire, supplicia afficere, à Virtute quidem est, sed non ex necessitate simpliciter, commendationem ǫ̀ habet ex compulsione. Eligibilius namq; foret nullo tali indigere neq; hominem neq; civitatem.* Causam diximus, cur invalescentibus injuriis, cupiditatibus, technis & tenuiorum impotentiorumq; oppressionibus, primi patresfamilias Reges eligerent; non certè alio fine, quàm ut contra validiorum injurias infirmos defenderent, & jus cuiq; suum æquabiliter administrarent.

lib. 7. Polit. cap. 13.

l 2. Off. Quod Cicero sic extulit: *Mihi quidem*, inquit, *non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros fruenda justi-*

tia

tiæ causâ videntur olim benè morati reges constituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præstantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat. Vero similimum est, diu nutus Regum instar legum fuisse; sed aucto hominum numero & amplificatis Rerumpubl. terminis cum unus tot responsis non sufficeret, Magistratus creati iiq;, ne cæca lubidine, abrepti Reip. pariter & sibi exitio essent, Legibus ut plurimum scriptis illigati sunt. Ipsa vero juris dicundi potestas, quæ Regibus principio rerum tributa fuit, ortum quidem illa traxit à voluntate hominis & conspiratione patrum familias, ità tamen, ut fundamenti instar essent ἀι κοιναὶ ἔννοιαι, quas humanis mentibus DEUS ipse inscripsit. Unde & à DEO hanc potestatem esse & ab hominibus Apostoli diversis locis testantur. *Rom. 13. Vers. 1. Petr. 2. 13.*

§ 4. Cæterum Jurisdictio, ut ab imperio distinguitur, nihil est aliud, quam potestas cognoscendi & juris reddendi. Estq; alia civilis, quæ occupata est circa res civiles putà rem restituendam, aliquid dandum vel faciendum &c. alia criminalis, quæ versatur circa crimina, h. e. delicta ex quibus mors, fustigatio vel quæ simili pœna corpori infligitur. Est autem jurisdictio basis omnium judiciorum, quorum formam hic duximus adjiciendam, ut ipsa vis jurisdictionis tanto clarius ob oculos ponatur. Non autem litigii serram cum quoquam reciprocabimus, qui ita processum judiciarium adornatum velit, ut sint æterna jurgia & ex ipsa mora ac tempore luculentior cum judici tum patrono merces. *Tractant multi*, verba sunt Sulpitii Germanici, (ita Oldendorpium Cothmannus vocat) in elegantissimo libello de Jure & æquitate, *substantialia processus judiciarii, argutè quidem ac summo jure, sed inutiliter, quia non secundum æquitatem, nempe quod optimam juris partem prætermittunt circa personam judicis, unde tamen tota vis dependet.* Ipse ergo Oldendorpius existimat, ad judicii substantiam perpetuo & immutabiliter hæc quasi principia Naturæ pertinere. Primo quidem, ut citetur, seu in jus vocetur, qui debet judicari. Deinde, ut edatur actio sive ex scripto, sive ex non scripto. Obiter notat Oldendorpius, æquum & justum esse, ut judex neq; actoris editionem neq; rei conventi impugnationem semper admittat, sed ipse

De jurisdictione & judiciis.

pse magis deliberet quasi mediator inter utrumq;, an teneat intentio actoris: quod si animadvertit nullum persequendi jus proponi, non det judicium seu actionem: simul invehitur in triobolares causas, quibus hodie tribunalia scatent. Tertium est litis contestatio, quæ est cum ab actore primum, deinde à reo negotii principalis fit narratio, ad hoc, ut judex de causa cognoscere incipiat: ita dicta quod dicere solerent, Testes estote, sc. contestando, se judicium sponte accipere utrinq;. Quartum justa præsentis judicis cognitio, cujus duas partes constituit. 1. Ut perspectam habeat judex causam cum circumstantiis & hoc consecuturum dicit interrogatoriis, si videlicet ipse judex interroget, quippe unam interrogationem judicis præstare viginti positionibus & articulis litigatorum: 2. ut celeriter eam definiat, quod feliciter absolvet jurejurando, transactione, sententia. Quintum est conclusio. & Sextum sententia justa. Hæc ex Oldendorpio transcribere voluimus: ipse adeatur, non dimittet sine ingenti fructu lectorem. Id unum addimus, judicium debere præcurrere arbitrium. *Qui litigant* inquit Plato *ad vicinos primum & amicos, & maximè rei, de qua quæritur, conscios se convertant*: inde ad Judices. Arbitri & judicis differentiam explicat in Rhetoricis Aristoteles, quando *arbitrum* ait *id quod æquum est, respicere, judicem legem: imò arbitrum*, ait, *ejus rei causa repertum, ut valeret æquitas*. Intellige eam, quæ à lege est separata, quando sententia fertur, *non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas & misericordia impellit* quæ sunt verba Senecæ. Sed vide quæ ad Aristotelem examinantem Instituta Hippodami adducit Piccartus.

VI. de LL.

Rh. l. c. 19.

lib 2. de ben. c 7.

lib. 2. Pol. c. 8.

§. 5. Non possumus hic non queri vexatissimæ Germaniæ infelicissimam sortem, quæ non ab exteris tantum per vim diripitur, verum à suis quoq; civibus juris specie multo sævius excarnificatur, quàm à truculento & barbaro Victore victi. Ita fiunt hodie prolixæ lites culpa præsertim patronorum, ita immani dilatione clientes frustrantur, dubia serendo ex dubiis, quæ ut plurimum nihil attinent negotium principale, ut malint, siquidem sapiant, semel perire, quam articulatim & lentè discerpi. Et quoniam tres sunt pestes judiciorum capitales. Judex corruptus, litium æternitas & deniq; insscitia atq; improbitas advocatorum: videamus, quo

Notantur pestes per judicia grassantes.

pacto

pacto medicina fieri possit, debeatq;. Judicem, ne corrumpatur, tum pœnæ coërcebunt & inspectio severissima Principis, tum jurisjurandi religio, de quo infra forte pluribus; deniq; si caveatur ne magistratus sint venales (nam qui emit magistratum, vendere rursus eum volet) cureturq;, ut jus dicentibus stipendia & salaria ex publico constituantur. *Æquum* enim *est*, dicente Cassiodoro, ut suus cuiq; proficiat labor & *sicut expendendo cognoscit incommoda: ita rebus perfectis consequatur augmenta.* Insigne postremi moniti exemplum, quod Turcici annales promunt, apud Lipsium videatur. Sed quis medebitur litium diuturnitati? Vos, ô Principes, in hanc curam serio incumbite. Vestra enim est: vos DEUS reposcet tot suspiria miserorum: vos hausti etiam in pace sanguinis & incruentarum cladium rationem reddetis. Vestrum erat tempus litibus præstituere, nec permittere ut ultra præfixum terminum apud judicem hæreant: vestrum erat circumcidere moras, quibus rerum dies trahuntur, quæq; ità religiosè etiam in causis, quarum expeditissima decisio est, observantur commodo judicis & patroni, ut non judicia civium gratia, sed contra cives propter judicia inventi videantur, nimirum ut essent, qui processu judiciario cruciari possent. Vestrum deniq;, ô Principes, est, audaciam patronorum & impostoras quàm severissimè animadvertere, nec permittere, ut, quibus nulla est mica vel bonæ mentis vel solidæ eruditionis, clientium patrocinium suscipiant: quin potius cum cura conquiritis viros probos, juris & æqui peritos, qui lucem ingenii porrigant consulentibus, nec quicquam mercedis prius à clientibus accipiant (salubriter hoc monent, quibus justitia curæ est, & odio mora) quam lis ad finem fuerit deducta. Vos hanc artem litigandi adstringite, & qui in latrones atq; fures apertos severi satis estis, occultos hosce, eoq; nocentiores compescite, & ita statuite, REMOTA JUSTITIA nihil esse aliud Principatus, quàm MAGNA LATROCINIA, ut ait Sanctus Doctor. *Augustin. lib. 4. de Civ. DEI.*

§. 6. Adversus iniquitatem vel imperitiam Magistratuum unicum remedium est provocatio: quæ si ultima sit, indubia est tessera summæ potestatis. Neq; enim absolute Magistratibus Majestas jurisdictionem dare vel vult vel salvo ordine potest, sed cum hac conditione censuræ & appellationis, qua abdicare se minimè

De extrema provocatione.

nimè debet, nisi ipsa se minuere atq; perimere velit. Et, quemadmodum, cum rectè judicat Magistratus, facultate aliena seu potestate concessa utitur, ita cum malè judicavit, corrigi & mutari voce Majestatis debet, quæ supremam sibi jurisdictionem reservavit. Mœcenas olim Augusto suadebat: *Ipse*, inquiens, *seorsum de causis, in quibus provocatione certatur, judicium facies, quæ à majoribus Magistratibus, tutoribus, præfecto urbis, subcensore, præsidibus provinciarum, annonæ procuratore & nocturnæ custodiæ magistro ad te referuntur: Nemo enim ità merum imperium obtinere debet, ut non ab eo provocari possit.* Nec aliter salvâ Monarchia fieri poterat, quæ postmodum in Imperio Romano valde debilitata fuit, ex quo cœpit jus extremæ provocationis communicari, magistratusq; majores non fieri eligiq;, sed nasci: de quo paulo post videbimus. De Democratia Romanâ, quæ regibus viguit ejectis memorat Florus, quod maximè aucta sit populi liberi majestas illa lege, quam refert Halicarnasseus: *Si quis Romanus Magistratus aliquem vel capite plectere, vel virgû cædere, vel pecuniis multare velit, licere privato homini ab illo magistratu ad populi judicium provocare, nec interea magistratui licere in eum animadvertere ullo modo, donec populus de eo suffragiis statuerit.* Quod fieri per ipsius rei naturam aliter nequit: nam & magistratibus internum est & velut essentiale ab alio pendere, nec suo nutu aut cœca lubidine rem gerere; & iniqua sententia oppressis defensio, quam jus Naturæ & civitatis offert, præcideretur appellatione præclusa. Quanquam vero fieri certis de causis possit, ut à Magistratu appellare fas non sit, quomodo olim à præfecto prætorii non appellabatur, supplicatio tamen adversus sententiam iniquam negari salva Majestate nequit. Quod si gravari nos ipsâ Majestatis sententia certi sumus, judicium revisorium locum habere potest: de quo videatur Reinking in Tract. de Regim. Sec. & Ecclesiastico Ad quæstionem, an Princeps ipse interesse judiciis debeat, idem fere respondetur, quod ad illam: An consultationibus interesse debeat, de qua diximus differt. præcedenti.

lib. 5. Antiq.

2. 2 15.

De norma judiciorum.

§. 7. Norma judiciorum lex est, æquitate temperata, de quâ etsi dissertatione de Legibus non pauca dicta sint, hic tamen quædam depromenda ex insigni illo, quem laudabamus modò, Oldendorpii libello & apponenda duximus. Hoc velut notissimum

& in

& in omni Reip. moderatione primum præsupponimus, in legum obseruantia salutem Reip. sitam esse: cumq; vitio hominum senescant omnia ipsæ quoq; leges acribus initiis constare soleant, incurioso fine, nullam meliorem & prudentiorem rationem, quà Respubl. conserventur esse, quam si quæ à primâ constitutione abierunt, revocentur, legesq; veteres novis sanctionibus muniantur. Quomodo Florentiæ olim mos fuit, singulis quinquenniis refingere si quid à prima legum sinceritate abiisset. Deinde nec hoc obscurum esse potest, quod dicebamus, Leges esse normam judiciorum: judices enim, ut ipsum nomen indicat, jus seu legis sententiam dicunt. Amplius ex Aristotele supponimus jus esse medium, medium autem æquale, quod quærunt litigantes, & eo impetrato quiescunt. Nimirum ubi neuter plus damni vel lucri habet æqualitas est: quod si sit inæqualitas, hæc ad æquum reducenda est, vel subtrahendo tantùm id, quod alteri est illatum mali; vel addendo tantum, quod subtractum est, vel deniq; & addendo & subtrahendo; ut Ethici scriptores tradunt. Atq; hoc est, quod in Novellis exstat: *Oportet Magistratum & judices conjectis in Leges oculis, quibuscunq; litigatoribus æqualitatem & justitiam tribuere, & ne sumtibus ac longinquitate temporis atterantur, cito illos dirimere; tum & eos, qui deliquerint, in jus vocare & secundum legem pœnam illis infligere; denique in omnibus justitiam exhibere.* Cæterum cum lex universaliter concepta sæpe deficiat, sæpe per generalitatem prædura sit, manifestum est, attemperari eam circumstantiis locorum, temporum, personarum per ἐπιείκειαν seu æquitatem debere, quæ rectè Aristoteli correctio legum juris dicitur, ut ostensum diss. X. Atq; perpendentes Romani bonitatem (quæ in legibus est) cum æquitate connecti oportere, modo bonum & æquum modo bonum æquum sine copula dicebant: fallitur enim Accursius, qui in materia juris tractandi aliud esse bonum, aliud æquum asserit. Adeoq; ut æquitatem dixerunt bonam fidem, justitiam naturalem, verum jus, germanam justitiam, humanum jus gubernativam sapientiam ex varietate negotiorum colligendam, arbitratum boni viri, religionem, legum simplicitatem: ità merum jus seu leges ab æquitate avulsas vocarunt subtilitatem legum, quæ simulat aliud quàm est (rabulam hic cogitate) protrahitq; in longum

lib. 5. Eth. cap. 7.

149.

§. 16.

gum & adficit damno litigantes; item summum jus, hoc est, nullis attemperatum circumstantiis, ineptum ut foro serviat; item apices juris, severitatem legum, perdurum, strictum jus, inflexibile seu quod in omni negotio idem exigit sine temperamento. Unde liquet, ius quidem scriptum esse normam iudiciorum sed æquitate temperatam: neq; enim ex scripto iure neglecta æquitate, neq; ex bono & æquo ad scriptum jus non exacto judicari debet, sed utrumq; conjungendum est.

De æquitate.

§. 8. Æquitatem ita describit Oldendorpius. *Æquitas est judicium animi* (ex conscientia sincera profectum) *ex vera ratione petitum* (sive jure naturæ sive authoritate legislatorum sive diuturnis moribus consensu utentium approbatis) *de circumstantiis rerum ad honestatem vitæ pertinentium* (quales versantur in hominum commerciis) *cum statuunt* (summum enim ius ordinat præcepta quæ putat frequenter eventura, ut in omni genere humanarum functionum certæ sint, saltem generaliter, formulæ de moribus, ad quas recurratur: æquitas autem, cum factum jam evenit, circumspicit, quale sit, & confert cum huiusmodi præceptis legum, atq; eligit inter multas bonas leges optimam, hoc est, proposito negotio convenientissimam: reliquas relinquens suis temporibus & factis) *rectè discernens* (non ex affectu, nec dubitans: benè enim præcipiunt, inquit Cicero, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit an iniquum) *quid fieri aut non fieri oporteat.* Huic æquitati contradistinctum est summum ius, quod dicitur certa honestatis sententia, quæ suo generaliter officio in Rep. fungi potest, sive à naturali sive à civili ratione petatur. Cum autem ius summum summa iniuria sæpè esse dicitur, impropriè summum ius dicitur, quod prædura interpretatione trahitur ad species factorum inconvenientes: vel quod simulatis quibusdam argumentis colligitur sophistikῶς in fraudem legis, quo spectat illud Ciceronis in officiis: *Existunt etiam sæpè injuriæ calumnia quadam & nimiâ callida juris interpretatione.* Si quæras annon etiam scriptum ius habeat æquitatem, respondet Oldendorpius: si æquitatem consideres habitu (in actu primo, ut Metaphysici loquuntur, & signato) & generaliter, omnis æquitas censebitur scripta, nec distat à iure scripto: quod propterea literis mandatum est, ut commodè possit

set

set deservire negotiis hominum. Sin autem actu (secundo & exercito) ac specialiter perpendamus æquitatem: certè nulla est scripta. Nam de casibus hodiè incidentibus nulla scribi potuit definitio specialis, antequam evenirent. Et sicut dare non potes hodie eadem personas, eadem tempora, eosdem mores: ita nec eandem in omnibus negotiis dabis æquitatem. Non possumus, quin ex occasione, quam præbet explicatio æquitatis, subjiciamus Oldendorpii judicium de multitudine legum, cum iis, quæ supra & Lipsio adduximus, copulandum. Ita vero ille: *Erratum in eo est nonnihil à Romanis quoq;, quod mediocritatem præceptionum excesserunt, digrediendo in omnes humanorum negotiorum angulos. Id enim facile tum erat, & plausibile videbatur, pauculas Græcorum leges amplificare: sed publicæ tranquillitati longè pernitiosissimum fuisse stultorum magister exitus & necessitas docuit tandem temporibus Justiniani; Novissimis vero hisce diebus multò pestilentius errârunt commentatores qui relicto æquitatis studio illas ipsas Romanorum leges & præscriptas juris adeò multiplicârunt, & altercationibus obscurârunt, ut neq; principium neq; exitum invenias æquitatis. Porro humanus animus alioqui fragilis confunditur tanta traditionum multitudine, & cum incidit casus, nescit, quò se vertat, nec potest certam tenere rationem ad investigandum bonum & æquum. Paucitas itaq; Legum & certitudo longè utilissima est.* Discursus Forstneri contra Lipsium impertinens est: neq; enim morbi Germaniæ legum illa remedia poscebant, imò contra legum illa multitudo & remedia morborum ex stiterunt causæ. *in notis ad Tac. Ann.*

§. 9. Præclara sunt, quæ de gradibus & regulis æquitatis suo opusculo inseruit Oldendorpius, non silenda hic nobis quoq;, quibus sedet sententia Oldendorpii dicentis: *Juventus nostra non tam in ediscendis regulis juris quàm in colligenda æquitate exercenda est.* Tres gradus facit æquitatis. Primum æquitatis ordinem religio sibi vendicavit semper, ut, quoties de negotio incidente plures concurrerent sententiæ, semper præferretur illa quæ religioni propius accederet. Omnes autem pietatis causas refert ad DEI verbum, ad paupertatem, ad studia denique literarum. Reipublicæ proxima est ratio: ut id semper existimemus fore æquius, quod ad publicam utilitatem propius accedit. Postremus gradus est rerum privata- De æquitatis gradibus & regulis.

rum, in quibus semper oportet imitari Prætorem Romanum, cujus hæc regula est: Quod quisq; juris in alterum statuit, ut eodem ipse jure utatur. Porro quinq; generalia præceptorum capita format, ad colligendam æquitatem mirum in modum servientia. I. Ubi multæ juris rationes ad easdem facti circumstantias concurrunt, & aliquo modo respondere videntur: ibi conferenda est æquitas cum æquitate ut superiori gradui cedat inferior. II. Quoties facti extrema ad regulas juris collati non admittunt commodam definitionem, quia sensus elicitur nimis durus in utramq; partem; toties ex media quadam via oportet æquitatem colligere. III. Ubi inter duo extrema nullum reperitur conveniens medium: ibi inter multa, quæ respectu propositi facti videntur dura, eligendum est id, quod minimum habet iniquitatis. IV. Utile est præceptum & latè patens ad excutiendā æquitatem, quod JCti diligenter observârunt videlicet ut unusquisq; id facere teneatur, quod sibi non nocet, alii autem prodest: etiamsi ratio summi juris eum non obliget. V. Naturæ & sanguinis ratio multum confert ad censuram æquitatis. Cum enim multæ concurrunt regulæ legum, justiores censentur quæ sanguini favent. Exemplum tractat Augustinus de eo, qui bona hæreditaria Ecclesiis donare voluerat, neglectis liberis. Nam etsi summo jure talis donatio defendi posset, noluit tamen ipse auctor fieri.

De Judicis conscientia.

§ 10. Hic breviter attingenda quæstio famosissima, an Judex secundum conscientiam judicare debeat, an vero secundum acta & probata. Conscientiam omnino attendi debere, ex æquitatis ipsius descriptione liquet. Sed ut tanto rectius hæc controversia decidatur, præmonemus, quanquam scientia & conscientia sœpè coincidant, fieri tamen posse, ut distinguantur, sitq; alia quæstio, an secundum scientiam propriam, alia, an secundum conscientiam judicare Judex teneatur. Pro meliori horum intelligentia & luce fingamus Pilatum, qui certus erat, Christum ex odio invidiaq; traditum, nullius criminis convinci posse, hunc, inquam, Pilatum fingamus, in ea fuisse sententia, quâ hodie sunt plurimi Philosophi simul & JCti atq; in conscientia persvasum, Judicem oportere non secundum suam, quantumvis certissimam scientiam sed secundum acta & probata judicare. In hoc casu palàm est, Pilatum judicasse qui-

quidem quando condemnabat Christum, secundum acta qualiter-cunq; & probata, adeoq; sic secundum conscientiam, quæ ita judicari oportere dictabat, judicasse, minimè vero secundum scientiam, sed contrà scientiam. Distinguunt hic nonnulli in conscientiam judicis publicam & privatam: alii in veritatem publicam & privatam: alii in tali casu censent, consultum esse, ut Judex judicandi munere abstineat. Sed Magistratui tribuere duplicem conscientiam contra naturam, jus & æquitatem est, ut ait Oldendorpius: veritatem porro duplicem inq; contradictione sitam statuere contra sapientiam & rationem est: deniq; hortari, ut Judex judicandi munere abstineat, nihil aliud est, quam svadere, ut innocentia profligata scelera triumphent. Ponamus enim, in conflictu nocturno lucenti lunâ tribus hominibus confligentibus unum interrimi: amplius ponamus haud ita procul ab ædibus Magistratus turbas hasce dari, ipsumq; Magistratum è fenestra prospicientem ita exactè novisse homicidam, ut nullus possit metus erroris aut falsi subesse. In hoc vel simili casu dicimus, quantumvis reus contrà nitatur subornatis falsis testibus, qui fortè alii cuipiam innocentissimo, de quo itidem constat Magistratui, (quia fortè eadem hora & puncto temporis sibi adfuit) crimen intendere cupiant, id agendum esse judici, ut abstrusa veritas diligenti examine in lucem protrahatur, minimèq; omnium committendum, ut scientiam suam, quam supponimus infallibilem, negligat, atq; acta & probata attendat, sed potiùs ut utriq; & scientiæ & conscientiæ satisfaciat. Hanc enim, conscientiam dico, rectè informari oportet, nec imbui errore satis vulgari, quasi Judex scientia sua neglecta semper judicare teneatur secundum acta & probata. Oldendorpius ad propositam quæstionem accuratissime respondet cujus verba & hic duximus exscribenda. Primò, inquit, in Effectu nihil aliud quærunt Doctores, quàm utrum Judex mendacium an veritatem in ferendo sequi debeat. Deinde, Judici probanda res est, non adversario, cui nunquam satisfieret: jam vero quid certius potest cognoscere, quàm quod ipse scit? illud enim superat omnem probandi modum. Tertio, judex in dubio, quoniam divinare non potest, sequitur acta & probationes litigantium, ergò per consequentiam sensus à contrario ducti fateri oportet: cum cognitam habet veritatem, præferri illam de-

bere omnibus omnium probationum impoſturis. Quartò, ſi Judex non debet ſequi conſcientiam, quorſum pertinent voces iſtæ: arbitratu viri boni, diligenti inquiſitione, ex animi ſententia & ſexcentæ aliæ. Hactenus Oldendorpius, qui, ut fuit conſcientiæ retinentiſſimus obſervantiſſimusq; JCtus, ità teſtatum id præcipuè fecit doctiſſimo de Jure & æquitate libello, quem hic ſtudioſæ Juventuti duximus modis maximis commendandum. Hic illud pro informanda Judicis conſcientia addimus, quod Plato libro de Legibus XII. habet: *Prudens*, inquit, *legùlator in judiciorum diſceptatione jusjurandum litigantium prohibebit, ut tam accuſatorũ intentio, quam defenſoris deprecatio ſine jurejurando in judiciis conſcribatur. Nam ſi jurandi licentia in civitate cuiq; dabitur, ubi plura ad judices quotidiè deferuntur, omnes penè perjuri erunt, præſertim qui præſentibus conviviũ aliaq; conſvetudine ac privata neceſſitudine conjuncti ſunt.*

Quomodo ſententiã proferre debeat?

§. 11. Hic quæſtionum cumulus exſurgit, ſtrictim à nobis percurrendarum. Quæritur, quomodo debeat judex ſententiam ferre, vivâne voce an ſecus? Areopagitæ duabus utebantur urnis, una erat abſolventium, altera damnantium: ſi reus abſolveretur albi & ſolidi calculi immittebantur in urnam abſolventium, quæ etiam miſericordiæ dicebatur: ſin damnaretur, nigri perforati & cavi injiciebantur in mortis urnam, quæ damnantium erat. Hippodamus noluit calculis duobus) Pollux ſcribit ante hos calculos conchas marinas in uſu fuiſſe ultrà ferri ſententiam in Græcia, & potius tribus tabellis ſententiam proponi voluit, hac quidem ratione, ut ſi reus condemnandus eſſet, judex tabulæ inſcriberet condemnationem; ſi abſolvendus nudã traderet tabulã; ſi ex parte condemnandus ex parte vero abſolvendus, id liquido & apertè ſcriberet in tertiâ. Hujus inſtituti cauſam Hippodamus reddebat hanc, ut caverentur perjuria judicum. Cogebantur enim judices olim jurare, dicturos ſe ex animi ſententia, quod juſtum videretur: ſœpè autem reus ita ſe habet, ut nec in totum abſolvendus, neq; etiam in totum condemnandus ſit; quod ſi ergo duæ tabulæ tantum ſint, neceſſe habent judices in caſu propoſito pejerare. Sed & apud Romanos in tabulis judicum ſententiæ præſcribebantur, litera quidem C. Condemnatio, litera A. Abſolutio notabatur. Quod ſi cauſa gravior eſſet, in tabula ſcribebantur duæ litteræ N. L. hoc eſt, non liquet:

liquet: item A. Q. amplius quærendum. Obiter notamus in Senatus consultis decernendis duplici modo sententias apud Romanos solitas proferri: aut sententiis singulorum secreto in vas quoddam collectis aut discessione, dum omnes è loco suo discedentes in sententiam decernentis discedebant. Qui enim decretum consultumq; approbabant, discessionem facere dicebantur: qui vero secus, jubebant ire in alia omnia, id est in diversam partem non censentium. Hodie Venetis in usu sunt urnulæ, marsupio triplici similes, in quarum unam conjectus globulus reum condemnat, in alteram, absolvit, in tertiam, vel temperat vel neq; condemnat neq; absolvit: quam tertiam urnulam vocant urnam non sincerorum. Vivam vocem præferendam esse arbitramur, qua multo felicius animi sensa expediri, litesq; integrius dirimi queunt. An Magistratus debeant legi senes an vero juvenes, num divites, an pauperes num nobiles an plebeji, num unus vel plures esse debeant, item quot esse oporteat judicia: his, inquam, & similibus quæstionibus satisfieri per ea quæ Dissertatione præcedente diximus arbitramur. An magistratum satius sit esse ambulatorium, quàm perpetuum, dictum est nonnihil Dissert. II X. & IX.

§ 12. Nunc ad Imperium venimus, quo juris dicundi hæc potestas, de qua hactenus verba fecimus, perficitur atq; consummatur. Solet jurisdictionis vox ità ampliter sumi, ut cognitionem seu explicationem juris atq; executionem complectatur: sed à nobis strictius accipitur, prout ab Imperio, cujus est ex sequi, distinguitur, adeoq; ad imperium omnia referuntur, quæ ad perficienda, tuenda & exsequenda judicata ac statuta ab eo, qui jurisdictioni præest, sunt necessaria. Ebræi cum, qui jus simpliciter dicit & שָׁפַט cum v. g. quod exequitur, & sententiæ obedire refractarios cogit שָׁטַר vocant. Pro diversitate causarum, quam supra tangebamus, Imperium duplex constitui potest, Mixtum, quod vocant, & Merum. Imperium mixtum potestas est exequendi in causa civili, inde dictum, quod tam arctè conjungatur uniaturq; cum jurisdictione civili, ut confusum cum eadem atq; mixtum videri possit. Quod tamen nihil impedit, quo minus alterum ab altero (sunt nempè diversi utriusq; actus) distinguatur. Et hoc imperium, mixtum sc., ad magistratus essentiam pertinet, ut vi officii, quod habet, & ve-

De Imperio. §. 4.

& velut jure proprio judicata in civilibus exsequi possit. Merum autem imperium potestas est exequendi in criminali causa: ità dictum, quia non est unitum cum jurisdictione & copulatura, veluti est mixtum, sed separatum, purum & solidum, ut loquuntur autores. Nimirum hanc potestatem Populus Romanus sibi retinuit, nec cum magistratu præcisè communicare voluit, eò quod nollet de capite civis Romani quenquam statuere posse, nisi populum universum. Hodiè verò plerumq; est merum imperium cum jurisdictione connexum, ut, qui Magistratus est, in criminalibus non tantum cognitionem, absolutionem, condemnationem, verum etiam exsecutionem habeat: quanquam accidere possit, ut alter magistratus habeat apprehensionem, carcerationem, inquisitionem, torturam; alter jus ferendæ & exsequendæ sententiæ: quod de Colonia Agrippina memorat Reinking. Nobis ista sufficiant.

2. 2. 17. 27.

An Sacerdotes Magistratu fungi debeant.

§. 13. Hic offert se nobilis quæstio, an ministri DEI civilem magistratum gerere debeant? Quod certè negandum videtur, ne videlicet officium sacrum impediatur, inq; messem alienam mittat falcem sacerdos, cujus est religionem tractare. Benè Chrysosthomus: *Sacerdotis officium est, populum monere non movere arma, gladium enim mentis non martii tenet.* Canon Apostolicus LXXXII. ita habet *Episcopus, vel Presbyter vel diaconus exercitui vacans & utraq; obtinere volens, Romanum scilicet magistratum, & Sacerdotalem administrationem deponatur: Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt DEI DEO.* Narrat Socrates, Ecclesiasticæ scriptor historiæ, ab Cyrillo Alexandrino Episcopo usurpatam primum gladii potestatem, mox & à Cælestino Romano, atq; ita vi armata ademtum Novationis religionis suæ exercitium, Judæos Alexandria pulsos, aliaq; non laudanda ambitione Pontificum designata. Sed & suo tempore Origenes queritur, quod Episcopi *tales sint, ut etiam malorum principum mundi excedere superbiam videantur, quæ aut sicut reges acies præcidentes & terribiles se atq; accessu difficiles maximè pauperibus exhibeant:* Quid dicturus fuisset, si vidisset Imperatores, ad oscula pedum Sordidissimorũ hominum pagano prorsus instituto prostratos: testatur enim Plutarchus, sacerdotibus Romanis nec habere nec petere magistratum permissum fuisse, lictore tamen & sella curulu usos, ut honore deliniti potestatem non quærerent: in templis prope januam lecticam habuisse, tanquam custodes & refugium:

lib. 7. cap. 7. 13. 14 17.

um addit, pedes iis reliquos osculatos fuisse. Inde diabolica illa exstitit servi servorum imitatio, insolentia & superbia, quam cœlum ipsum exhorrescit. Magistratum cum adimimus Personis Ecclesiasticis, non prohibemus, quo minus Principibus & Magistratibus à consiliis sint Sacerdotes, maximè in eo Senatu in quo de causis fidei & religionis deq; spiritualibus controversiis deliberamus. Nec taxamus veterum Christianorum institutа, qui presbyteris & Episcopis notionem controversiarum & arbitrium deferebant: unde exstitit Episcopi audientia, (nota non jurisdictionem, sed audientiam dici) quam lege firmare Constantinus & secuti imperatores non dubitárunt. *Si qui ex consensu*, inquiunt Arcadius & Honorius, *apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur sed experientur illius in civili duntaxat negotio, vice arbitri sponte residentis judicium.*

§. 14. Veniamus nunc ad qualitates Magistratus. Eas Aristoteles tres facit: Amoremreip., scientiam gubernandi, & Virtutem. Primum necessario requiritur ut scilicet sit φιλόπολις seu amans Reip. & civitatis: neq; enim quisquam benè præerit rei, quam exosam habeat quamq; perditam cupiat & eversam. Porro scientiæ & prudentiæ necessitatem maximam esse ipsa res clamat. Aristoteles alibi pluribus argumentis docet, non ex omnis boni exsuperantia promiscuè summos magistratus peti posse, aut tribui debere: sed tantum ex ejus boni abundantia, quod maximè confert ad Reip. finem, hoc est, quplicam salutem. Et reprehensione certè digni sunt Æthiopes qui olim reges non nisi pulcherrimos eligebant: Gordii quoq;, qui regem non nisi obesum & pinguem: Syraci proceriſſimum: Medi & Mæroenses robustissimum: Lydii, citissimo cursu valentem. Hæc enim omnia (idem judicandum de divitiis, nobilitate virtutis experte) quid ad publicam salutem? Tertio requiritur virtus & probitas: ἡ γὰρ ἀδικία ὅπλα ἔχουσα χαλεπωτάτη ἐστὶ, i. *iniquitas armata valde molesta est & noxia.* Sunto ergo magistratus temperantes, justi, humani, veraces, fortes deniq; אַנְשֵׁי חַיִל ut scriptura loquitur. Ad has ergo qualitates potissimum respiciendum Majestati est, in magistratuum electione. Nam omnino eligendos esse ratio & sapientia dictant, nec in hæreditariis firmum præsidium saluti publicæ repositum esse videtur. De Germania nostra Barclajus ità judicat: *Inter cæteras hanc præci-*

De qualitatibus Magistratus.

5. Pol. 9.
3. Pol. 12.

Arist. 1. Pol. cap. 2. Ex. 18.

Satyr.

puè excidentium virium causam invenias, quod ipsi optimates nimiis patrimoniis, tum Imperatorum beneficio aucti, commissas sibi quondam provincias tandem in Principatus mutavere, & ne non aliquid supra Imperatorem essent (qui non juri succedendi sed suffragiis fortunam suam debet) etiam suæ hæreditatis fortuna in sobolem transeunte. Hoc modo gentium & populorum mentes, quas vù quædam ingenita ad sacrum Principum cultum advertit, antea in unius Imperatoris reverentiam intentæ, ad istos vicarios & mox dominos, accesserunt: propiori scilicet vel periculo vel utilitate. Ita cæpta insitaq; deinde Purpuratorum potentia totam imperii molem exhausit &c. adde quæ sequuntur, quæq; de urbibus adnectit. Idem sentit. Ernest. Cothmannus: *Gloria*, inquit, *Romani imperii periit, cum Principes fierent ducis hæreditarii: periit dignitas & autoritas ducum, quando civitatibus pleraq; ducalia concessa sunt. Nimirum, ubi non retinetur ordo, ibi succedit confusio. Sed hæc deplorari possunt emendari non possunt, sine magno motu, à quo abhorreo.* Electi magistratus jurisjurandi religione adstringendi sunt: si enim nemo in civium recipi meretur numerum, nisi prius juraverit civitatis bonum se procuraturum, quanto minus recipiendus in magistratuum numerum injuratus est, quippe cujus adeo Reip. gubernacula concreduntur. Elegans est forma juramenti, quam recitat Stobæus, quo Athenis Ephebi in numerum civium adscribebantur. *Non ignominia adficiam arma sacra neq; deseram meum adstitem, quo cum junctus fuero dimicabo pro sacris, pro profanis, sive solus, sive cum multis patriam non relinquam in deteriori statu, sed ampliori, meliorique quam acceperim. Semper magistratus præfecto prudenter obediam legibus constitutis parebo & quibuscunq; plebis consensu decretis. Quod si quis leges nostras vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit non concedam, sed ulciscar tam solus quam cum pluribus: nulla etiam nisi sacra patria colam. Horum dii mihi testes, & conscii sunto.* Et apud eosdem Athenienses Senatus jurabat se populo maximè consulturum.

Acad. Resp. 47. n. 52.

tit. 41.

COROLLARIA.

1. *An magistratus debeat esse perpetuus an vero ambulatorius? Videatur in Politicis Arnisæus & in Decadibus Piccartus.*
2. *An uni plures magistratus sint committendi? Videatur Arnisæus.*
3. *Quod esse magistratus debeant, quot judicia apud alios vide. Confer Aristot. lib. 6. Polit. cap. ult. & lib. 4. Pol. cap. ult.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0204
DFG

DEO DUCE! DE Legatis.

§. I.

VLtimum inter eos, qui auxilio Remp. juvant, locum obtinent *Curatores*, & in his facilè primum Legati, quorum illustre munus est, & in universam Remp. diffusa utilitas; qui non tantum sunt

Disp. XIII. 43 Resp. Friderico Richter Dantis.

—— ——Vox Regum, lingua salutis
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostes:

Sed & cujuscunq; negotii publici apud exteros Curatores, in quos totius Reip. moles recumbit. Quod Ebræi videntur lingua sua expressisse, quando Legatum cardinem dixerunt; tanquam in eo cardo Reip. versetur. Quare quàm fieri potest, diligentissimè Legati munus describendum erit: id vero nos assecutos esse arbitrabimur, si quæ ad Essentiam atq; definitionem Legati, ejusdem privilegia, dimissionem, deniq; qualitates seu, quæ ad expediendam rem tantam ex parte Legati requiruntur, instrumenta spectant, explicuerimus. De quibus ita erimus soliciti, ut vocis ipsius curam non ducamus dimittendam, quò remotis, qui hoc titulo superbiunt, cum re ipsa destituantur, tanti dignitatem nominis veris possessoribus asseramus atq; vindicemus.

§. 2. Igitur quantum attinet vim vocis, Legatus idem est ac Missus à Lego, h, i, mitto. Veruntamen non omnis qui quocunq; nomine & à quovis mittitur, Legatus continuo dici debet. Apud Romanos in usu erant Legationes officiosæ, quæ officij & honoris debiti gratia ex Provinciis & civitatibus subditis ad Principem fiebant, quæ quibus incumbebant, ij verius *deputati* quam Legati dicerentur. Militiæ quoq; præfecti & Præsides provinciarum Legati nomine honestantur, qui generali potius nomine *Curatorum* vel *Vicariorum*, quibus extra ordinem jurisdictio demandabatur, quàm Legatorum titulo fuerant salutandi. Nec, qui à Principe ad sub-

Legati diversitas nominalis.

ditos

ditos mittuntur, tàm Legati, quàm *Commissarij* appellandi: Illi verò, qui ad seditiosos cives & rebelles, (idem de piratis, latronibus dicendum) mittuntur rectius *denuntiatores* vel *Commissarij*, quàm Legati dicentur. Quod valere debet, *nisi totus populus in partes quasi aquales divisus sit, ut dubium sit, ab utra parte stet jus imperij; aut cum jure admodum controverso de regni successione duo decertant. nam hoc eventu gens una pro tempore, quasi duæ gentes habetur*, ut rectè notat H. Grotius.

lib. 2. de Jure b. & cap. 18. num. 2.

Legati Definitio.

§. 3. Legatum definimus, quod sit officialis publico nomine amandatus negotij publici causâ peregrè curandi. Genus Legati facimus officialem, intelligimusq; extraordinarium, quem Curatorem vocant, qui munus publicum extra ordinem sine lege aut consuetudine arbitrio imperantis gerit. Duæ enim sunt velut regulæ, ad quas exigi Curatores oportet. Altera est, ut nihil præter mandatum imperantis (Regis, populi, optimatium) & arbitrium agant: altera, ut ad imperantis arbitrium ipsorum munus desinat, revocetur vel etiam prorogetur. Hæc liquidò constabunt, si quis ad animum admiserit, cùm quæ de dictatore, Interrege, Prorege, & in privatis quoq; Curatoribus, arbitro, curatore ad litem, & similibus ubivis obvia sunt, tùm inprimis quæ de Legato deinceps dicenda nobis erunt. Causa Legatum constituens est Respubl. vel qui ejus curam gerit: quod ingerunt primo loco posita in explicatione differentiæ verba, *Nomine publico*. Essentia verò Legati in mandatis consistit, sine quibus non magis esse Legatus potest, quam sine Consilio Senator, aut sine imperio atq; jurisdictione Magistratus. Finem Legationis assignamus *negotium publicum*, h, e, quod ad salutem nostræ Reip. spectat, atq; excludimus hinc Legationes liberas, quæ Legati commendationem concernunt, instituunturq; ipsius Legati gratia, sive hæreditatis adeundæ, sive voti solvendi, sive periculi vitandi sive alterius rei causa, quæ privatim Legatum ejusq; commoda spectat. Quomodo Scipioni Nasicæ, cum ei ob mortem Gracchi subsellij fragmine icti plebs infesta esset, judiciumq; publicum moliretur, Libera 1. à negotiis publicis immunis Legatio in Asiam decreta. Ultimis differentiæ verbis id indicatum volumus, Legatos propriè dictos non mitti nisi ad Rempubl. quæ sui est juris h, e, nec nostro nec alieno arbitrio subjecta: ut hinc arceamus deputatos,

Bodin. lib 3. cap. 2.

putatos, qui à Principe ad subditos mittuntur, de quibus præced. §. dictum est. Sed in singulis differentiæ verbis pedem distinctè figamus, & impressè.

§. 4. Cum publico nomine Legatum mitti oporteat, manifestum est, jus mittendi Legatum non habere, nisi Rempubl. aut qui Reip. est custos atq; præfectus. Intelligimus Rempubl. quamcunq;, totum populum, Collegium Optimatum & Principem s. Monarcham. Quare jus legationis à subdito sive uno sive pluribus usurpari licitè non potest, cum non sint tota Respubl. nec eam integram repræsentare, adeoq;, universitati præjudicium creare possint. De ijs autem, qui antea quidem subditi nostri fuerunt, sed nunc sui juris facti sunt, subditorumq; conditioni eximere se coacti sunt, ne libertatem majorum sanguine partam & jurisjurandi religione firmatam in prædam exponerent, quales sunt Respubl. Belgij, quæ in fœdus invidendum coiverunt, aliud est dicendum. Diversa enim sunt subditum esse, & subditum fuisse. Singulare quiddam Germania nostra veteri consuetudine ostentat, in qua ut alia multa jura Majestatis, ità Jus quoq; mittendæ Legationis eximiæ libertatis tessera, & cujus in reliquo orbe nullum reperitur exemplum, cum statibus Imperij communi catum est, sed eo, quo suprà dicebamus modo. *Quis habeat jus mittendi Legatos.* *Disp. VI. §. ult.*

§. 5. In materia Legatorum mandata utramq; paginam faciunt. Frustrà vero sunt mandata, nisi fide & authoritate muniantur, quam Legato conciliant Literæ, queis à credendo nomen indiderunt, quæ sunt quædam veluti tesseræ Legationis, ut, quicquid Legatus egerit, nostro vel periculo vel emolumento existimetur agisse. Quare literæ tales, quibus admitti Legatum Princeps vel Respubl. cupit, omniumq;, quæ tractabuntur, fidem in se periculumq; suscipit, excutiendæ prius quàm diligentissimè sunt, quam ad rem veniatur, ne parum in ipso limine cauti promamus arcaniores sensus ei, cujus magnopere interest huc penitrare. Postquam authoritatem sibi Legatus firmavit, ad Commonitorum quam Instructionem vocant, venitur; quæ ut plurimum gemina Legato datur, una, quam libere exhibeat: altera quam premat & certo eventui locoq; reservet. Neq; enim agere quicquam potest cum Legato Princeps externus, nisi sciverit, quibus quasi limitibus instructio sit definita *Instructio Legatorum.*

quanquam si suo commodo possit Princeps credere Legato, non est, cur literas instructionis magno pere requirat, potissimum si Legatus sit Persona illustris, Legationibus sueta, & exceptione quacunq; major. Hic notandum, sæpe instructiones ambiguis & obscuris (Legato tamen perviis minimèq; inexplicabilibus) verbis concipi, cum propter intuta itinerum, si fortè contingat intercipi, tum ob rerum ipsarum circumstantem varietatem, incertosq; & ambiguos eventus.

Mandata stricta, libera.

§. 6. Cæterum non sunt unius generis mandata, quæ semper ante oculos habere Legatus debet. Primô, alia sunt definita & stricta, alia absoluta & libera. Stricta sunt, quæ expressam determinatorum negotiorum seriem continent, plerumq; cum modo agendi certo atq; limitato: quanquam fieri possit ut in definitis mandatis modus ipsaq; exequendi forma non definiatur, sed Legäti prudentiæ resignetur. Ab his ne latum quidem unguem, quod ajunt, Legato recedendum est, ne neglexisse Principem aut suo postputasse judicio Principis Imperium ingenti periculo suo videatur. *Etenim, si spes judicium q; Legatum fallat, indeprecabilis pœna obeunda est: si res forte melius veriisset, DEO quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intromissum videretur, quo benè consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur,* ut præclarè docet Gellius. *lib. 1. cap. 13.* Quomodo Athenienses Legatos suos ex Arcadia reduces, quod alia quam imperatum erat, via profecti essent, utut rem ex voto confecerant, morte multârunt. Huc spectant, quæ apud Platonem legun- *lib. 12. de LL. in princip.* tur. *Si Legatus aut præco falso, quæ sibi commissa sunt nuntiaverit, dicendave tacuerit, vel rursus ab hostibus amicâve rediens, quæ ab illis accepit, aliter quàm acceperit, retulisse comperiatur, quasi Mercurii Jovisq; mandata legationesq; contra Legem contemserit in judicium deferatur.* Strictis ergo mandatis districtè inhærendum & dignius tutiusq; res velut ex formula geritur, nec mandati sensus tantum, sed ipsa quoq;, quantum potest verba, qui erat veterum mos, perferuntur. Aliter cum liberis Legationibus comparatum est, quæ non modum tantùm liberum, sed negotia quoq; mutabilia nec determinata sibi vendicant, plenamq; Legato factam esse potestatem indicant, pro sua dexteritate, fide atq; felicitate negotia expediendi, quorum certa electio atq; moderatio præscribi nequit, sed

ex

ex re nata, & temporum inclinationibus gubernatio universa petenda est. Quomodo Carolum Burgundum accepimus dedisse suis ad Galliæ Regem Legatis, mandatorum loco, chartam vacuam, subscriptam solo nomine Caroli: nimirum, ut quicquid illi pro foro præsenti atq; è re principis fore intelligerent, libere agerent admitterentq;, veluti si speciale mandatum accepissent. Sed & hic Legatus utilitati & sensibus atq; ingenio Principis velificetur, quoq; ampliorem accepit potestatem, eò majore industria obsequium Principis sibi ducat sectandum.

Mandata Manifesta, Occulta.

§. 7. Deinde Mandata alia sunt manifesta, alia occulta. Manifesta sunt, quæ eos, quibuscum agendum est, latere nolumus: Occulta, quæ eos latent ad quos Legatus mittitur, imò sæpe ipsum quoq; Legatum. Quomodo Romani ad querelas Spartanorum, quorum agros Achæi populati fuerant, Legatos in Græciam miserunt ad inspiciendas res sociorum & injuriam demendam: sed occulta mandata Legatis dabant, ut Achæorum societatem dissolverent singulasq; urbes sui juris facerent, quo lacerum corpus & distractum facilius ad capessenda jussa adigeretur. Hic quæritur, quid de occultis mandatis sit sentiendum. Profectò, si conscientiæ religionem, pietatē atq; honestatem violent, damnanda esse nemo est, qui non videat. Ipsi Romani, cum à Martio & Attilio Legatis Perseus Rex Marcedonum vanâ spe pacis delusus, & mira arte Bæotorum concilium distractum esset, ne jungi Macedonibus possent, ut hæc omnia summa ratione acta fateri necessum habebant, ita negabant se in ea Legatione Romanas agnoscere artes. Nec ulla excusatione colorari Hannibalis factum potest, qui, cum apud Antiochum Regem propter publica negotia versaretur, occultè id egit, ut civium animos ad rebellionem & seditionem pretio & prece solicitaret. Nec semper mandata occulta tantum eos latent, ad quos mittuntur Legati: Eos quoq; per quos fallere alium cogitant, Fallunt Principes uti Seneca loquitur, quem Lipsius in politicis citat, adeoq; decipit Legatum Princeps, ut externum Principem tanto animosius fallat Legatus. De qua re vid. absolutissimum de Legatis tractatum Fred. de Marselaer. Porrò, quemadmodum ultra id quod instructio præfert, frequentissime aliquid amplius & secretum, quod vocant Retentum curiæ, latet, ità abstrusa hæc non sem-

lib. 4. cap. 14.

lib. 2. diss. 8.

semper scripto consignantur. Scilicet momenti majoris arcana auribus potius concreduntur, in quas nihil casus, nihil vis, nihil fraus aut insidiæ possunt. Nisi incognitis literarum notis suspensa & quo ducantur, inclinatura abscondantur. Tandem & hoc notandum, quod oportunè subjiciunt experientia & rerum usu valentes, Legatum, qui certum mandatum accepit, si comperiat, in aula externi Principis, ad quem est missus, agitari nonnulla, quæ ad decus sui Principis vel dedecus spectant, mandatum ampliare, & tanquam ad hæc quoq; negotia missus sit, offerre se & miscere posse, imò debere.

Negotia Legati publica sunt.

§. 8. Pergimus ad negotia, quæ Legato incumbunt. Publica ea sunt, ut diximus, & quæ pacis bellive tempora complectuntur atq; claudunt. Per Legatum pacis dulce nomen & res salutaris constabilitur, eaq; rursum, si desinat esse tranquilla libertas cum bello, quod servitutis pactione potius est, commutatur. Per eundem inducíæ fiunt, ut auctioribus hostem viribus invadere possimus, fœdera junguntur, odia concitantur, suppetiæ, favor, nuptiæ, affinitates comparantur. Per Legatos, res repetuntur, injuriæ absterguntur, seditionis furor comprimitur, mittuntur ultro citroq; munera, in prosperis gratulationes, in adversis solatia perferuntur regna deniq; provinciæ, urbes ambiuntur, firmantur, deduntur.

Legatus dum abest, inviolabilis est.

§. 9. Restant ultima definitionis verba, sed queis lucem novam fœnerari minimè opus est. Hic de Legati, dum peregrè abest, securitate disputandi latus limes panditur, quam variè Politici vel extenderunt vel adduxerunt, aliis Legatum seu benè seu malè se gerat, prorsus inviolabilem; alijs ab injusta quidem vi meritò tutum esse debere, non autem à justâ, h, e, cum in alieno territorio delinquit, acerrimo nisu contendentibus. H. Grotius, defœcati Virjudicij priori parti suam accommodat sententiam, eamq; munit cum sapientum judicijs tùm conjecturis. *Judicia*, inquit, *duo habeo maximè illustria; Livij alterum, alterum Salustij. Livij hoc est de legatis Tarquinij, qui seditionem Romæ concitaverant*: Quanquam visi sunt commisisse ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit. *Videmus hic etiam ad eos, qui hostilia patrant, jus Gentium extendi. Salustij dictum ad comites legationis, non ad ipsos legatos pertinet*: Fit reus magis ex æquo bonoq;, quàm ex jure Gentium Bomicar,

lib. 2. de J. b. & p. c. 18. num. 4.

micar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat. *Bonum & æquum patitur pœnas exigi ubi reperitur, qui deliquit: at jus Gentium legatos, & qui his similes fide publica veniunt excipit. Conjectura quoq; hinc stat. Verius enim est, privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Adde, quod securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat. Nam pœna haberi potest per eum qui legatum misit, si crimen sit atrocius &c.* Hactenus Grotius, qui interjectis paucis priora limitat, verbis, quæ ut exsignata hic adjungamus, operæ pretium fore existimavimus. *Ut obviam eatur imminenti periculo, si alia nulla est ratio idonea, & retineri & interrogari legati poterunt. Quod si vim armatam intentet Legatus, sanè occidi poterit non per modum pœnæ, sed per modum naturalis defensionis.* Sed quid si noster Legatus malè tractatus est, numquid jus talionis locum habet? Vide eundem Grotium negantem. *n. 7.*

§. 10. Quæ de vi Legato non inferenda diximus, rectè habent, nisi denunciatum fuerit, hostium loco futurum, si mittatur, Legatum, nisi hostilia moliatur, adeoq; inviolabilis est Legatus, simul atq; obtinuit admissionem. Jure quidem Gentium admitti Legatus debet: Verum, si idonea sit causa vel interfici, nedum rejici potest. Et rejicitur quidem legatio seu non admittitur, vel quia suspectæ est fidei qui mittitur vel quia perfidus & sæva quæq; moliens, qui mittit, vel quia mittendi causa improba est aut indecora. Primi casus exemplum suggerunt Romani, qui cum plebs ob injuriam Virginiæ ab Appio Claudio decemviro illatam in Aventinum montem secessisset, tres consulares Legatos, C. Julium, P. Sulpitium, & Sp. Tarpejum, minus populares misit ad placandum. Sed ne admissi quidem illi, nedum responsum ullum tulere: sed valida voce conclamatum est, ut L. Valerius & M. Horatius mitterentur, hos audiendos fore. Secundi exempla quamplurima sunt. Romani negarunt se Carthaginensium Legatum admittere posse quorum exercitus erat in Italia. Iustinianus Imp. Totilæ sœpè perfidi legationem rejecit. Sic legatos, qui vel ab hostibus veniunt, vel ad hostes eunt, vinctos, interfectos legimus. Romani Legatos Macedonum per suas provincias transeuntes primo quidem, felici mendacio evadentes, mox cognitos capi Romamq; deduci jusserunt. Tertij exemplum in sacris quoq; habemus, ubi quum Sennacherib per *Eodem gentium jure admitti debet.* *2. Reg. 18.*

per Legatum Rabsacen Judæis deditionem imperaret, non admissus, nec ullo dignus est habitus responso. Sic qui speculatum quoq; veniunt, vel cogniti non admittantur vel brevi & incerto responso ocius remittantur, vel durius & pro merito accipiantur.

De Legationibus perpetuis. *lib. 2. diss. 11.*

§ 11. Scrupulum nobis injecit Grotius, cum prioribus hæc verba subnecteret: *Optimo autem jure rejici possunt, quæ nunc sunt in usu, legationes assiduæ, quibus quàm non sit opus, docet mos antiquus, cui illæ ignoratæ.* Eximat eum Marselaer, qui, quanquam quod de more antiquo Grotius habet, contrarijs exemplis oppugnat, in rei tamen summa plenissimè convenit, cujus integra verba non pudeat nos hic adscribere. *Volunt*, inquit, *aliqui continuas illas sive ordinarias Legationes introductas esse, ut Regnantium animi frequenti ac perpetua talium officiorum consuetudine coalescerent bono publico, & mutua hinc inde benevolentia stringerentur: hinc asseri magnificentiam Principum, stabilitirjus & pacem gentium, hinc securitatem omnium promanare. Quæ si tam verè dicerentur, quàm speciosè, firmius proculdubio Imperiorum jura constarent, tutiùs etiam tranquilliusq; sese res humanæ haberent. Verum enim vero longè aliter subducendus est calculus. Quid enim à Legationibus istiu exspectetur boni aut commodi, quæ nullo modo aut tempore circumscriptæ sunt? quæ manent etiam mutatis Legatis? quæ nullo prorsus negotio cientur; nisi negotium putes, publica privata, sacra, profana penetrare & predere? obsidere alienos penates, quà maximè patet imbecillitas, rimari, edoceri? Ubi res floridæ validioresq; sunt, non equidem negaverim, sustineri Legationes istas perpetuas posse, aut certè excusari, tanquam fortunæ ac potentiæ testes; quam externi dum intuentur timeant* (invideant potius): *neq; nocebit facilè qui timet. At rebus tenuioribus viribus fractis vel inclinantibus perennem censorem nescio quomodo toleres.* In hoc judicio acquiescimus, nec affirmare dubitamus, immortales Europæorum lites hoc adminiculo ultra, quam credere fas sit, foveri.

Privilegia comitum Legati,

§. 12. Prius, quam hinc abeamus, addenda nonnulla sunt de comitatu Legationis, & quæ sint privilegia comitum Legationis. Primo quantum attinet ipsum Legationis apparatum, rectè notant Politici, ita instituendum eum esse, ut non modo negotii necessitati, verum etiam splendori pro majori authoritate concilianda inservi-

ant,

ant, modo ne vel damnum Principi mittenti, vel præjudicium aut offensiunculas apud exteros pariat. Deinde nec hoc adspernandum, quod monent, è re Principum esse, ut ne promiscuum Legato famulitium adjungant, sed potissimum ea expectatione juvenes, qui exterorum instituta moresq; perdiscant, formenturq; in eandem prudentiæ atq; dexteritatis in obeundâ Legatione laudem. Dubium non est, quin hi quoq; comites, & quicquid Legati præterea est, sui generis sanctimoniam habeant. Audiamus Grotium de comitibus & vasis Legatorum differentem: *Hæc*, inquit, *sancta sunt accessoriè & proinde quatenus Legato videtur. Itaq; si quid comitis gravius deliquerint, postulari à Legato poterit, ut eos dedat. Vi enim abstrahendi non sunt &c. Quod si dedere eos nolit Legatus, eadem scilicet faciendæ erunt, quæ modo de Legatò diximus. Ipse autem Legatus an jurisdictionem habeat in familiam suam, & an jus asyli in domo sua pro quibusvis eò confugientibus, ex concessione pendet ejus apud quem agit. Illud enim jurè Gentium non est. Bona quoq; Legati mobilia, & quæ proinde habentur personæ accessio, pignorù causa, aut ad solutionem debiti capi non posse, nec per judiciorum ordinem, nec manu regia verius est.* Atq; hactenus de privilegijs Legati: non omnibus quidem, (nam &, si domi conveniatur, dum in Legatione fuerit, non tenetur respondere, præterea muneribus publicis ad tempus vacare potest finita legatione &c.) sed potioribus. Nunc ad enunciationem mandatorum progrediamur. num. &

§. 13. Admitti jure Gentium debere Legatum diximus. Quod si difficultatibus obsepta admissio est, modestia & comitate, præsertim si ad validiorem missus est, removeat potius quam succidat has spinas, sibiq; viam prudenti solertia, quàm violentâ importunitate facere malit. Nec quenquam prius adeat visatq; Legatus, quam ad Principem fuerit admissus, cui honoris primitiæ omnino sunt consecrandæ. Etiamsi non moneamus, ipsa tamen res dictat, splendori & dignitati Legationis non satisfacere Principem, si per alios (excipimus causas sonticas) Legatum audire, quàm ipse malit, nec in sordido Loco, sed in augusto maximèq; decoro Legatum excipi oportere. Atq; ut primæ admissioni, quæ publica est & officiosa dicitur, amplum aliquod atrium, ita secundæ, quam vocant Negotiosam & secretam secretius conclave deputari solet. Enunciatio mandatorum

Ipsa vero forma admissionis, cum salutationis honore, qui à Principe Legato rependitur, legantis fortuna atq; adversum nos benevolentia metienda est. De sessione Legati mandata exposituri nihil addimus. Impetrata admissione Legatus non patiatur tempus se subterducere occasioni, quam quadrigis albis fortè post non indipiscet, adeoq; sine mora mandata expromat non timidè nec tumidè, animosè tamen (homines enim sunt, ad quos verba facturus est, & quod caput est, Principes, h, e, non tàm verborum quàm rei ipsius rationem habentes) & apud magnanimos cum magnanimate quadam, sed quæ mixturam modestiæ non aversetur, quæq; procul habeat ferociam & convitiandi calumniandiq; libidinem. Quod si acerba quædam exponenda sunt, & minantia, exscripto id facere eum satius est, ut non tàm suo ore, quam è Principis sui pectore loqui videatur. Ipse vero Princeps, qui scit ingrata nec concoquenda sibi nuntiatum iri, aut non admittat, aut quæsito impedimento id negotij alijs deleget.

Quâ lingua sit faciendа.

§. 14. Si quæratur, quâ linguâ sit Legatio exponenda, non dubitamus asserere, Legantis hic potiorem rationem esse. Quod de solennibus actibus intelligi volumus, cum in secretioribus congressibus lingua peregrina & commodior sit penetrantiorq;, & colligendæ benevolentiæ efficacior. Romani non alia lingua, quam sua Legationes edebant, quodam majestatis argumento. Itaq; illi quoq;, qui Atticam callebant linguam, Athenis non Atticè sed Latinè loquebantur. Nec reprehensionem effugere potuit Cicero, quod ad Græcos missus, Græcè prolocutus esset, Romanæq; majestati detraxisset. Interpretibus locum fecit necessitas, qui & minus significanter (cuiq; enim linguæ suus inest genius, quem nequicquam in aliam migrare jusseris) & minus dextrè alienam mentem explicare solent. Quare nec Legatus ipse prorsus rudis aut nescius esse linguæ interpretandæ & ipse potius interpretem secum adducere, quam ab iis, qui adeuntur, petere debet. Cæterum ut momenta fandi solicitè captabit Legatus, ita dicendi oportunam copiam nactus decorum corporis habitum motum nutumq; & in primis in dicendo temperatam brevitate servet gravitatem, eam sc. quam dicendi Magistri *& esse & videri gravitatem* dixerunt, quæ cum in rerum sententiarumq; pondere, tum in verborum artificio versatur,

tur, quam expressit in Philippicis Cicero, & in concionibus aliquot Thucydides.

§. 15. Ubi auditus fuit Legatus, responsum sine ignominia legantis intermittere Princeps nequit. *Satius enim est*, Livio dicente, *non admittere & audire Legatos, quam auditos sine responso dimittere.* Sed & hic prudentia Legati rem moderabitur, ne & Principis sui dignitatem neglexisse, & sui immemor fuisse videatur. Externus autem Princeps, qui Legatum diu detinet ac suspendit, præterquam quod intolerabili fastu se contaminat, nonsatis securitati suæ prospicit, quod *inconsultum* sit, (verba sunt Ciceronis) *ac Reip. periculosum, si Legati, præsertim hostium, diuturniori morâ trahantur, cum varia interim moliri, insidias quærere, exteriorum q; machinationes ac consilia moderari possint.* Porro non est una respondendi ratio. Nam & per signa quædam nostram evolvimus mentem, quomodo, quid fieri vellet, decutiendo eminentiora papaverum capita, Tarquinius ostendebat, imò ipso silentio quædam abundè videmur expressisse atq; abjecisse. Optimè cum Legato ageretur, si rotundè & clarè responsa semper formarentur, quem latere nec debet nec potest, omne prudentiæ punctum eum tulisse Legatum, qui, ubi vel subdola interrogatione pungit & perstringit potius quam instruit Princeps, vel contorto atq; implexo sermone sententiam abscondit, in ipsa, quod ajunt, arena consilium rapere verius quàm capere novit, atq; in antecessum meditata habet ea, quæ suo Principi ex usu sint futura. Præterea hoc sciat Legatus, non dari statim responsa, quæ ingentes lites semel vel concitare vel sedare possunt, sed differri. Quare nuspiam majore sibi opus esse circumspectione ducat, quam in excipiendo Principis externi responso. Hic autem, si sermone respondet, succinctè respondeat & ex dignitate suæ personæ. Nunquam vero Princeps cum Legato disputationem inibit, aut morosè contendet, nisi quidem se ipso vilior esse, Legatoq; ipsi deridendum se propinare velit.

Responsa Principum lib. 2.

§. 16. Inprimis Legatus responsa ironica ænigmatica ac recondita à seriis & apertis accuratè discernere norit. Post mortem Francisci Sfortiæ Rex Galliæ Franciscus I ad Carolum V Imp. Legatum (Velium ajunt fuisse) mittebat, petitum Filio duci Aurelianensi Mediolanensem ducatum. Calidè non solum sed fervidè is ne-

Varietas responsorum.

is negotium sui Regis agebat. Carolus superbiam impudentis postulati indignatus hæc tandem respondit: sibi idem placere, quod Regi fratri suo placere videret. Quæ verba Regius Legatus, ut solemus creduli esse & proni in ea, quæ cupimus, ita interpretabatur quasi annueret Regis petito Cæsar, paratusq; esset potentissimum ducatum Insubriæ ei cedere. Itaq; sine mora ad Regem perscribit, rem sua industria esse confectam. Rex literis acceptis non satis ausus fidere, monet Legatum, rem certius exploraret, sibiq; explorata & aperta, non dubia & ambigua renunciaret. Legatus, ubi denuo rem ursit, tergiversari Cæsarem animadvertit. Quare promissi fidem implorat, quo sibi visus fuisset Regis petito accessisse. Tum Carolus, Tu vero, inquit, alioversum mea verba interpretatus es: id enim volui ducatum Mediolanensem, quem ambit Rex tuus meus frater, non minus mihi placere, quàm Regi tuo, ac proinde è manibus meis nunquam dimittendum. Hic ergo Legatus sit oculatus. Themistocles olim ad Andrios miserat, qui pecuniam posceret: cumq; duobus magnis numinibus (πειθῶ & Ἀνάγκην i. Suadelàm & Necessitatem ea vocabat) se fretum nunciasset, renunciari illi jusserunt, æquè valida numina se habere πενίην καὶ Ἀμηχανίην h, e, Paupertatem & Impotentiam, quæ pecunias vetent Themistocli & Atheniensibus dari. Quam tutissimâ viâ Legatus ibit, si qualiacunq; responsa literis consignari petat, ut sic quicquid futurum est offensæ in Principem externum expetat; tum ne ipse Legatus pro subitu mutare ea aut invertere possit.

Herod. lib. 8.

Legati officium Epistolare.

§. 17. Hic de literis à Legato quaquaversum mittendis non nulla interfanda sunt. Non tantum ad Principem ille suum, si novus emergat casus, de quo nec generale nec speciale mandatum habet, perscribet, nec suo solius judicio, si potest, stabit, sed & literas ad ministros sui Principis alibi agentes, amicos quoq; magnates missiculabit, sed sua persona dignas, h, e, non futiles, nec de rebus futilibus vel alienis: ubiq;, qua dabitur locorum, amicos literis parabit, qui sedulo & accuratè explorent fideliterq; suggerant singula, ex quibus sui commodum Principis exædificare possit. Cavebit tamen, ne rem parum exploratam continuo perscribat, neu inani vel spe impleat, vel suspicione aut pavore Principem suum feriat,

feriat. Cautus erit, ut qui maximè, in exaggerandis difficultatibus, quæ subnascuntur, quò si votis par eventus respondet, plus inde laudis reportet, sin minus, adeoq; si spem interceperit & frustrata vis major fuerit, minus adhæresçat labis. Porrò, qui literas Legati perferet, à nemine alio conducatur, ne ullo modo retardetur cursor, ipsaq; gerendarum rerum momenta pereant. Sed nec ullius alterius manibus oculisq; subjiciat Legatus, quæ perscribit. Cui rei occulti characteres, de quibus supra diximus, esse idonei videntur: quanquam & huc humana pertigerit industria, ut, quantumvis contectis imaginibus res obnubiletur, discussa nube in clara queat collocari luce.

§. 18. His ita peractis, qui admissus jure Gentium fuerat & hactenus inviolabilis præstitus, eodem jure dimitti incolumis sine mora debet. Execrabile factum Tuccæ Illyriorum Reginæ digna merces consecuta est. Ex tribus illa Romanorum Legatis juniorem, quod minas sibi intentasset, cum bona quidem gratia dimisit, sed redeuntem occidi mandavit: quæ res ipsi Reginæ populoq; exitio stetit. Oportunè nobis hic offerunt sese Bodini non silenda præcepta, ex ipso Politicæ prudentiæ fonte hausta. *Admonendi*, inquit, *sunt legati, ne securitate publica legationis specie abutantur: neve principum ac populorum majestatem verborum arrogantia violare sibi fas esse putent: Sed ea, quæ in mandatis acerbiora videbuntur, oratione lenire, quæ vero ad amicos referenda erunt, gratiora reddere oportebit: in his tamen impunè est excedere mandata; in illis capitale: quia fit interdum, ut legatorum temeritate ad iracundiam, prudentia ad amicitiam principes adducantur.* Et paulo post. *Tametsi legatos principum suorum majestatem tueri decet, id tamen principis, ad quem missi sunt, illæsa majestate fiat oportet, quod sæpius ita, qui in liberis ac popularibus civitatibus educati sunt, usu venire solet, qui eadem cum regibus, quà cum suis civibus libertate uti licere sibi putant, eoq; ineptiarum vitio cumulatissimi sunt. &c.* Diximus, dimitti debere Legatum, addimus non sine honore: cui Legantis dignitas & ipsius rei favor modum ponent. Atq; ut citra expressam Principis sui veniam discedere non debet, ita impetrata venia omnè sibi morā abrumpendam ducat Legatus. In itinere salutet quos amicos & fœdere junctos Principi suo scit, quosq; convenire voluit aut vellet ipse. Nec plura addimus.

Dimissio Legati.

lib. 5. circa finem.

Munera-ratio Legati.

§. 19. Sequitur Legati muneratio. Multum rigidi fuerunt Athenienſes, qui ſub pœna capitis interdicebant Legatis. ne munera quæcunq; à quoquam acciperent: quod Venetorum Respubl. æmulatur. Verum nec eadem cauſa omnium Legationum eſt, nec eadem munerum intentio eſt, quæ Legatis offeruntur. Mittuntur Legati ad amicos vel gratulatum & honoris aut obſequij, vel pactorum fœderumve aliaq; ſimili de cauſa. Rurſus, alia munera ſunt ordinaria & publica, quæ Lautia vocant, alia extraordinaria, quæ privatim Legato dantur. Illa, quæ ab amicis veniunt, velle omnino Legatus debet: in his cautior Legatus erit, nec inconſulto principe quicquam (ne eſculenta quidem aut potulenta) ſibi muneris obtrudi patiatur. Solent namq; munera, ipſo DEO teſte, *excæcare oculos ſapientum, & pervertere cauſas juſtorum.* Unde Ephialtes ne ab amicis quidem accepit, veritus, ut vel contra jus ijs gratificaretur, vel ſi id non faceret, ingratus videretur. Quæ vero dona à ſuſpectis proficiſcuntur animo ad fraudem comparato, nemo ſanus accipienda dixerit. Quanquam & hic arcanum ſœpè latet, quod etiam alienis verbis expromeremus, niſi ſpatium deficeret. *Scilicet omnia poterit oblatorum munerum non contemtor ſed, expetitor; quanto ꝙ plura admittet, amicior elargienti videbitur. Is enim deſpici ſolet, cujus munera rejiciuntur; ille obſervari & amari cujus accipiuntur.* Num vero Legati ſint munera: an legantis dubium habet. Nos Legati eſſe pronunciare non dubitamus, niſi forte ejus generis ſunt, quæ Legati ſortem excedunt vel reſpuunt. Quare concludimus, apud exteros illud Antonini Legato obſervandum: ὅτι παντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων. Vera domi Legatum eaq; ampliſſima præmia maneant, Legatione cum cura & laude peracta: ſicut pœnæ eundem manent, ſi ſomniculoſè & fraudulenter rem geſſerit: (ne dicam de ſumtuum &c rationibus reddendis, quod erat veteribus εὐθύνην τῆς πρεσβείας διδόναι) quanquam hic monendi Principes ſunt, ne quemcunq; eventum fortunæ Legato impingant, cujus eſt fidem præſtare, cum nequeat eventum.

Deut. 16.
Ælian. lib. 11. hiſt. cap. 9.
Vid. Fred de Marſ. lib. 2. diſſ. 45.

Renuntiatio.

§. 20. Reliqua eſt renuntiatio, quæ ſit vera & ſimplex, excluſis omnino alienis. neq; enim v. g referet reſponſa ſuperba & minacia: quin id ſe non facturum expreſſè apud Reſpondentem principem profitebitur. Eſt enim Legatus interpres, adeoq;, ut eadem refer-

referre tenetur quæ in mandatis habet: ita non potest vel debet diversa nunciare ab ijs, quæ ab externo Principe accepit. Negari tamen non debet, quin multum ponderis sit habitura renuntiatio, si responsi circumstantias, præsertim quo vultu, quibus oculis, qua animi motione sua protulerit Princeps, adjecerit, suumq; judicium modestè interposuerit. Quod si mandata quoq; accepit ab externo Principe super communi negotio, quòd fieri non minus interfit externi Principis, quam legantis, ea omnino ferre referre fas est. Sed ab amicis hæc accipienda sunt, non ab inimicis & injuriis. Respondeat ergo Renuntiatio κατὰ μέρη &articulatim instructioni atq; mandatis. Sed nihil ne præterea referet Legatus? imò vero. Quæ de forma ac facie Reip. exteræ, capacitate item, aditu facili & operoso, obvio & inaccesso; quæ de indole, consuetudine natura Principis, aliisq; comperta habet, omnino edissertabit. In quam sententiam prudenter Baro Herbersteinius: *Romanos*, inquit, *ferunt, Legatis, quos ad longinquas ac incognitas nationes miserint id etiam negotij dedisse, ut mores, instituta, totamq; vivendi rationem ejus gentis apud quam legationis nomine versabantur, diligenter literis consignarent; quod adeò deinceps solenne fuit, ut renunciata legatione, commentaria ejusmodi in ædem Saturni ad instituendam posteritatem reponerentur. Quod institutum si fuisset à nostræ vel paulo superioris memoriæ hominibus observatum fortasse plus lucis in historia, certè minus vanitatis haberemus.*

De Legati qualitatibus.

§. 22. Ex his, quæ hactenus proposita sunt, quam clarissime liquet, quàm arduum sit Legati munus, quantaq; circumspectione ac solicitudine legendus, quibusq; dotibus ornatus atq; cumulatus esse debeat. De his ut nonnulla addamus, tempus & pagina monent. Tria esse bonorum, quibus homines perficiuntur, genera, nemo ignorat. Et bona quidem corporis si adsint, tantò spectabilior erit Legatus. *Dignitas enim corporis*, ut habet Cicero in officijs, *apta compositione membrorum movet oculos & delectat, vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiant.* Idem de fortunæ bonis est sentiendum. Tanto venerabilior apud exteros erit Legatus, quanto est domi illustrior: &, qui opibus cæterisq; fortunæ instrumentis domi abundat, minus apud exteros contemtui atq; corruptelæ expositus erit. Inprimis curandum, ut talis legatur cujus fama

fama sit secunda: cum, dicente Cicerone, conditio omnium, qui ad Rempubl. accedunt, non veritate solum, sed etiam fama nitatur. Cæterum maximum in animi bonis instar est, quæ si adsint, cætera omnia pleniſſim è pensabuntur. Inter ea eminent, quæ disputationibus proximis dixisse ineſſe cuivis Reip. officiali debere: Amor sc. & fidelis erga Priucipem non minus quàm Principatum affectus, Virtus, ejusq; directrix Prudentia. Etenim *res privatæ semper offecêre, officientq; publicis consiliis.* Virtutem cum dicimus, fortitudinem & magnanimum pectus tum metus tum adulationis expers, insuper temperantiam, munificentiam, manſuetudinem, fidem, urbanitatem, affabilitatem, juſtitiam, & quæ Virtutum Legatos exornantium est compendium, intelligimus modeſtiam. Quæ eò magis Legato esse commendata debet, quo majores ex Legatorum immodeſtia concitatas turbas & accersita pericula nequit ignorare. Prudentiæ duo sunt fulcra, Usus rerum & doctrina. Ille in legato non vulgaris sed præcellens sit, quem peperere peregrinationes, congreſſus sapientum, diligens rerum & eventuum obſervatio, quæ facit hominem Polytropon, queis si acceſſerit ab adverſa fortuna robur, suis numeris perfectus exiſtet Legatus. Atq; ut Rempub. cum eam ex qua mittitur, tum eam, ad quam mittitur, maximè vero illam exactè noſſe, ita Legationum variarum expeditiones aliorum Principum mandata, reſponſa, relationes examinare in anteceſſum debet, ut eò minus, ubi in rem ventum, titubet, hæreat aut impingat. Doctrinam cupimus insignem esse, ut super rebus ethicis, phyſicis, œconomicis, hiſtoricis ex occaſione diſſerere, & subinde lepidam narratiunculam, paræmiam, apophtegma interjaculari, dum, quæ ad exterorũ ſtatum politicum ſpectant, indagat, poſſit. Ad doctrinam ſpectat peritia linguarum, & eloquentia, ne deeſſe oratio ſapientiſſimis ſententiis graviſſimisq; verbis perpolita poſſit. Verum hæc cogimur abrumpere.

COROLLARIA.

I. *Unus Legatus mittendus est nisi res sit gravis, quæ consulto magis quam facto opus habet: quo casu mitti plures possunt, quorum unus sit legationis caput, atq; negotii totius mensura.*

II. *Unus non debet plures simul legationes obire, nisi sint negotia valde invicem connexa.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0220
DFG

DEO DUCE.

DE Dominio Eminenti s. juribus Fiscalibus.

Disp. XIV. Resp. 4 Johan: Philip: Crusio.

Thesis I.

DEduxit nos ordo ad Jura Fiscalia, quæ dominium Eminens complectitur: in quorum tractatione summa rerum capita decerpenda nobis atq; delibanda sunt, quemadmomodum Politicæ Leges fieri jubent. Generalis enim disciplina Politica est, nec ad cujusquam Reip. ingenium sese demittit, nisi fortè incidenter aut gratia exempli: Speciales Politicæ sunt jus, ut vocant, Publicum cujusq; Regni vel Reipublicæ, in quo, quæ generaliter in Politica visuntur, ad individuum hujus vel illius Reip. accommodata deprehenduntur. Atq; ut in omnibus vel plerisq; Rebuspublicis facilè reperias ea, quæ sibi explicanda sumit Politicus: ita si oculos per singula Rerumpubl. circumferas, protinus miram varietatem agnosces, quam Politicus non attingit: nec potest nisi discentium malo, quos infinita varietas turbatura potius & confusura, quam instructura esset. Quare, quod nos hactenus facere meminimus, ut generaliter atq; universaliter Legum naturam, varietatem, privilegia item & dispensationes, magistratus aliaq; exponeremus, id deinceps quoq; curæ nobis erit, adeoq; instituti nostri & legum disciplinarium memores communia tradituri sumus, &, quod præsentem attinet disputationem, ab ipsa inscriptione & Nomine orsuri. Tantum id addimus, jura majestatis à plerisq; rei Politicæ scriptoribus non ineptè dividi in Majora & Minora. Ad Majorum classem spectant, quæ classe primâ de Legibus, secundâ de officialibus, Quartâ de Bello & pace dissertavimus: ad Minora refertur Quarta ordine quidem nostro classis, quam tamen, quia rem ipsam si spectes, inter secundam & tertiam classem medio loco sita est & utramq; tangit, medio quoq; loco voluimus exstare.

§. 2. Jura Fiscalia dicuntur à Fisco: quæ vox quanquam ab ærario ità distingui sœpe soleat, ut cum hoc pecuniam notet publicam

De Nomine.

rei tractandæ.

blicam & imperii, fiscus pecuniam significet Imperatoris, usus tamen patrimonium fiscale cum publico patrimonio confudit. Ascon. ad Varronem annotat *Sportæ sportulæ, sportellæ, numum sunt receptacula, & sacci, sacculi sacculi, crumenæ ex vellere, & scortea & manticæ & marsupia, ita Fisci, fiscinæ fiscellæ, spartea sunt utensilia, ad majoris summæ pecunias capiendas. Unde, quia major summa est pecuniæ publica, quàm privatæ, factum est, ut fiscus pro pecunia publica & inde confiscare dicatur.* Porro versantur hæc jura potissimam sui partem circa bona subditorum, quorum domina est Majestas universali quadam & eminenti ratione, quæ cum privato dominio nullo modo pugnat: hoc enim proprietatem rerum possessarum infert, illud dispensationem & administrationem ab imperio profectam, cujus utilitas civitatis & egregium publicum unica norma, esse debet. Plinius rotundè: *Tantum principis est, quantum omnium.* Et Seneca: *Illa, quorum ad regem potestas pertinet, universa possessio in singulos dominos descripta, & unaquæq; res habet possessorem suum. Itaq; dare regi & domum & mancipia possumus nec donare illi de suo dicimur.* Item: *Ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.* Quare non incommodè omnia Jura Fiscalia nomine dominii eminentis comprehendimus: hoc enim tam ad bona privata, quàm ad bona publica, quorum specialem commemorationem deinceps præstabimus, exporrigitur eminetq;.

in Paneg. 7. de benef. cap. 4.

Dominii eminentis definitio.

§. 3. Est autem dominium Eminens potestas instruendi, conservandi atq; augendi ex bonis quà publicis quà privatis fisci ad tuendam Reip. salutem. Jura Majestatis in Genere examinavimus disputatione sexta: quo loco Jurium Majestatis seu Regalium quatuor classes ordinavimus. Modò mentionem jurium Majestatis minorum & majorum injiciebamus, quorum differentia in eo potissimum posita esse videtur, quod majora Regalia ad dignitatem & salutem Reip. cum spectent, commodum pecuniarium Reip. per se & principaliter non adferant, habeantq; onus potius cum honore, quàm commodum aut utilitatem ullam. Minora vero Regalia circa reditus & lucrum occupata sunt, ut liquet ex ipsa dominii Eminentis definitione. Dicitur enim esse potestas (hoc genus est, quippe omnibus juribus Majestas commune) instruendi seu de novo adornandi, præterea conservandi, (non enim minor

§. 23.

nor est virtus quam quærere, parta tueri) deniq; augendi fisci, idq; ex bonis quà publicis quà privatis: quæ omnia modum capiunt & mensuram ex salute Reip., ut scilicet gubernator Reip. tantum inde capiat, semperq; in promtu habeat, quantum tuendæ Reip. dignitati & necessitatibus publicis sufficere possit, sive sint pacis tempora, sive belli. Minimè vero dubitandum est, ex bonis etiam privatorum tam quæsitis quam quærendis capi, quod fiscum ditiorem reddat, posse: nam, si corpus cujusq; civis & animi vires patria sibi vendicat, iisq;, si Respubl. indigeat, jure suo uti possit; quidni pecunia, aliisq; missilibus fortunæ? Simul patet, fiscum nos distinguere à privato patrimonio, quod ex propriis bonis profectum est, ejus, qui Reip. præest. Nam in regnis privatum Regis patrimonium hæreditario jure adiri ab omnibus liberis potest: regalia vero hæc & jura fisci tantum uni debentur, ei scilicet, qui in regno succedit.

Divisio Minorum regalium.

§. 4. Fiscalium jurium tres differentias memoriæ & perspicuitatis causa C L. Arnisæus constituit: quas ut erudite assignatas ab Arnisæo arbitramur, qui primus hic glaciem videtur fregisse, ita easdem haud paulo commodius ità nos efferre posse statuimus, ut dicamus, ad classem primam redigi debere bona publica: ad secundam bona privatorum, quatenus vel pœnam commeruerunt singuli, vel bona singulorum hærede ac possessore sunt destituta: ad tertiam bona privatorum, quatenus hi non spectantur tanquam singuli, sed tanquam partes universitatis, h, e, quatenus spectantur ut subditi & membra civitatis. Ad primam ergo classem referimus, vias publicas, flumina navigabilia, portus, fodinas metallicas, salinas, vectigalia, jus venandi, piscandi, aucupandi. Ad secundam bona vacantia, multas s. pœnas, veteres thesauros, bona peregrinorum morientium, sed cum limitatione, quam infrà ponemus. Ad tertiam referimus tributa, quæ civibus ut sunt partes civitatis imponuntur, sive ordinaria ea sint, sive extraordinaria: item angarias, parangarias, plaustrorum & navium præstationes, & si quæ his similia sunt. Tantum id hic attendatur, vias publicas ad primam classem non alia ratione pertinere, quam quatenus ex iis fiscus collocupletatur. In quantum vero de homicidio in via publica perpetrato cognoscit Majestas, salvum conductum præ-

stat euntibus & redeuntibus, damna restituit, eatenus non ad regalia minora, sed ad regalia majora, quæ jurisdictionem protectionem, securitaremq; præstant, redigendæ omnino sunt. Eadem portuum est ratio: neq; enim hi ad regalia minora pertinent quatenus muniuntur, ne classis hostilis eum onerariis navibus subeat, &c. (eatenus enim belli præludiis accensendi) sed quatenus ex portubus fisci augmentum pendet. Idem de fluminibus sentiendum, aliisq;, quæ memoravimus, juribus fisci.

De bonis publicis.

§ 5. Solent publica bona à communibus distingui (quanquam hæc distinctio in terminis juris Naturalis locum non habeat) eò quod hæc occupari, etiam à privato possint, v. g. jus piscandi in diverticulo fluminis: illa vero, cum ad proprietatem Reip. pertineant, non possint: neq; enim in loco publico ædificare, vel aquam per eum ducere licet: sunt tamen publica ipso usu communia. Prius quàm progrediamur, notamus, ut terras & flumina, ità partes maris proprias fieri Reip. posse, & occupari ab eo, qui terras ad latus utrumq; possidet, etiamsi aut suprà patent ut sinus, aut supra & infra, ut fretum, dummodo non ita magna sit pars maris, ut non cum terris comparata portio earum videri possit: de quo consulere jubemus H. Grotium. Cæterum pertinent, ut dictum est, viæ publicæ, flumina majora publica, navigabilia, portus, mare ad dominium eminens, quatenus ex iis fiscus ditescit, exacto sc. vectigali sive personarum sive rerum in via publica, fluminibus, mari, portubus: neq; ex piscationibus in mari reditus hinc excludendi sunt. Sed hæc ipsa cum onere quodam conjuncta sunt: quippe tenetur Majestas curare, ut viæ reficiantur, pontes instaurentur, muniantur ripæ, purgentur alvei, tutum iter ultro citroq; commeantibns præstetur, ratio exquisita habeatur mercium cùm importandarnm tum exportandarum, portus reparentur conserventurq; publici usus causa: de qua re modò dicebamus. Eodem spectant reditus ex fodinis metallicis, sive in publico loco, sive in privato repertis, qui pro locorum & temporum ratione atq; amplitudine sumtuum variant, & nunc decimæ, nunc octavæ, nunc decimæ quartæ nomen habent: nec ex metallis tantum, sed & mineralibus, fossilibus, & præsertim salina reditus ad fiscum uberes redundant. Tandem Palatia seu ædes in usum

lib. 2. cap. 3. num. 7. seq

Prin-

Principum exstructæ & ab omni privatorum usu & habitatione communi exceptæ huc referri solent.

§ 6. Sed de vectigali amplius videamus: & si enim vectigal privatorum bonis venalibus cumprimis, quæ vehuntur, hoc est, importantur vel exportantur (unde vectigalium in εἰσαγωγικὸν καὶ ἐξαγωγικὸν distinctio) imponatur, atq; propterea ad alterutram posteriorum classium referenda videri possit: tamen, quia fundamentum ejus bona sunt publica, ex quorum dominio atq; potestate cum onere, ut modo dicebamus, conjuncta vectigal fluit, merito nos ad primam classem fiscalium jurium retraxisse vectigal arbitramur. Cicero vectigalium tria genera recenset, decumarum, quæ ex vino, oleo, frumento & frugibus minutis; scripturæ, quæ ex pascuis; portorii, quæ ex mercibus exportandis & importandis exacta fuerunt. Sed & aliis rebus indici vectigalia solent, quomodo Romani litibus vectigal imposuerunt, quo à libidine litigandi homines absterrerentur. De Caligula Suetonius videatur. Atq; ut majestas sola vectigal instituere ita eadem augere sola potest: neq; enim qui absq; concessione à Majestate facta aut præscriptione nova vectigalia instituunt, aut vetera augent, vel plus quàm concessum est, exigunt, pœna teneri sive ambitus sive de vi publica, sive aliis non possunt. Eos quoq; qui, cum à vectigali præstando immunes non sint aut non profitentur res suas, aut debitum vectigal non solvunt aut animo de fraudandi fiscum via non publica, sed insolitâ utuntur, certa pœna manet. Sed hæc mittamus atq; primò de rebus, ad quas vectigalia extendi debeant: deinde de personis, à quibus vectigal exigi possit, breviter agamus. De vectigalibus

pro L. Man.

cap. 40.

§ 7. Duo vectigalium fundamenta hic sternimus, æquitatem & publicam salutem. Æquitas dictat, si ad præstandam securitatem mercibus aut inter cætera etiam ob hoc onera sustinentur, ad ea compensanda vectigal aliquod imponi mercibus posse, dum modus causæ non excedatur: quæ sunt verba Grotii, qui paulo post Strabonis dictum allegat, nostris quoq; temporibus accommodandum: *Difficile est, ut inter validos & feroces definiatur modus mercatori non gravis.* Eadem æquitas dictat, si quis transitu per terram, amnem, aut partem maris nostri lucrum facit, maximè si id fiat negotiatione apud nos, venire nos in societatem seu Rerum.

lib. 2. d. J. b. cap. 2. n. 14.

partem aliquam, quam eadem æquitas definiet, lucri posse. Atq; ut illa instaurando fisco, ità hæc amplificando jure bono subserviunt. Unde obiter colligimus, rebus, per quas lucrum nullum quæritur, indici cæteris paribus vectigal non debere: quales sunt res ad necessarios vitæ usus, puta victum & amictum spectantes, quasq; necessitate adacti de loco in locum transferimus. Salus autem publica non tantum rebus extra commercium positis vectigal imponi sæpè jubet, sed etiam ipsis mercium vectigalibus modum præscribit. De judiciario vectigali ante diximus: quod nec hodie improbandum censet quidam magni nominis Politicus. Prudenter Bodinus: *Quod si quis est*, inquit, *qui scire de me velit, quodnam genus vectigalium immortali DEO gratissimum, civitatibus pulcherrimum, principibus honestissimum, plebi utilissimum videatur, illud est, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant, aurea inquam, & argentea supellex, odores, pigmenta, innumerabilia vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ cæteraq; generis ejusdem; quæ prohibenda non sunt, nec si velis possis, cum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quam quæ sanctissimè vetantur. Quamobrem principes, qui Aquilonis regionibus imperant, nullum vectigal majus habent, quàm ex vino, quo subditi ut carere possint, nolint tamen; sed assiduè locis omnibus sese ingurgitabunt semper.* Subjungit factum Catonis Censoris, Augusti, aliorum, qui rebus, quarum sumtu faciendo labe fiunt civitates, vectigal imposuerunt: quibus accenseri Hollandorum prudentia debet, spectatores comicarum actionum, in quas effundere magnam pecuniæ vim sectatores otii solent, vectigal poscentium. Huc referri debet certa pecuniæ summa vel pars bonorum, quam, qui juri civitatis renunciant, in quâ lucrum fecerunt domicilium mutantes magistratui pendunt, jura emigrationis, ut vocant, habenti.

lib. 6. cap. 2.

Personarum ubi Quæstio.

§. 8. Superest ut de Personis videamus, quæ solvere vectigal tenentur. Æquitas & publica salus, quæ vectigalium fecimus fundamenta, in nonnullis locis omnes sine discrimine vectigali subjicit; in aliis excipit & immunes facit eos, qui pro publica salute excubant, vel eidem destinantur. Quales sunt personæ publicæ, illustres, clerici cum Ecclesiæ bonis, quamdiu non alienantur, Academia-

miarum Professores, studiosi, & si qui alii privilegio à præstando vectigali exemti sunt, vel præscriptione idonea se tueri possunt. Hic quæri commodè potest, an in vectigalium solutione durior esse peregrinorum conditio, quàm subditorum debeat. Turcarum princeps, teste Bodino, à peregrinis portu solventibus rerùm exportandarum decimas, à subditis vigesimas capit. At Reges Galliæ minimum quiddam ac pene nihil peregrinis pro salario vectigali; subditis vero gravissimum imperant. Et cum in ipsa Gallia salinæ totius Europæ uberrimæ sint ac præstantissimæ, unde Belgæ, Britanni, Dani, sal petere consueverunt, nobis tamen, inquit Bodinus, multò carius emitur, quàm illis: imo ab illis ad nos (latenter tamen) in fines hujus imperii revehitur: quo nihil absurdius esse potest. Scilicet, *ut civitatibus*, quemadmodum idem Bodinus rectè loquitur, *utilissimum est portoria rerum earum, quæ evehuntur quibus q; carere non possumus, augere: ita minuere necessum est vectigal rerum invectarum, siquidem cives iis commodè carere non possint. Augendum quoq; vectigal fabrilium, lanificiorum, sericorum ac omnium opificiorum, quæ aliunde advehuntur, ut cives ipsi eadem facere condiscant & consuescant. Sed ab informi ac rudi materia, quæ à peregrinis ad nos advehitur, amovendum, aut, quoad ejus fieri potuit, minuendum est portorium, nec ferendum materiam rudem è civitatibus exportari.* Sed ad res relabimur: de personis nunc sermo est, quas consultum est ex locis peregrinis & dissitis vectigalium lenitate quibusdam velut illecebris evocari, inducique; ut portum nostrum avidius frequentent. Atq; ut compendium faciamus verborum, ad propositam quæstionem respondemus, in exportatione rerum, queis cum peregrini tum ipsi nos carere haud difficulter possumus, conditionem peregrinorum meliorem esse posse: secus in iis, queis carere peregrini vel ægrè vel non possunt.

§. 9. Reliqua ex publicis bonis sunt jura venandi, piscandi, aucupandi: de quibus cum idem ferè sit judicium, in genere quædam monenda duximus. Pisces, aves, feræ, quamdiu naturalem obtinent libertatem, in dominio nullius sunt: esse tamen intelliguntur in dominio, si stagno privato aut piscina pisces claudantur, aut feræ vivario coerceantur vel silvis circumseptis. Sed in terminis juris naturalis negativi si subsistamus, feræ, quemadmodum di- De jure venandi.

dictum est, sunt nullius, fiunt autem venantis atq; capientis: quod si custodiam evaserint, ob difficilimam persecutionem atq; cognitionem pro derelictis haberi, atq; in pristinam redire libertatem censendum est. Quanquam vero dominio, quod hominibus DEUS commune in feras concessisse legitur, repugnare videatur jus venandi, quod sibi soli vendicat Majestas, non tamen existimandum est, injuriam subditis fieri, aut suum iis per vim prohiberi. Nam *jure naturæ aut gentium liberum esse venari, verum est,* inquit H. Grotius, *quamdiu lex civilis nulla intercedit. Cum autem lex civilis aliud constituit, eam observari debere jus ipsum naturæ dictat. Lex enim civilis quanquam nihil potest præcipere, quod jus naturæ (positivum) prohibet, aut prohibere quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat atq; etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua antevertere.* Hæc Grotius, qui alibi Germaniæ populos ait, cum principibus ac regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimasse ab illis rebus inciendum, quæ sine damno cujusquam tribui possint: eoq; jure Ægyptios usos esse. Adde, varia incommoda & intolerabiles impensas obstare, quo minus ab omnibus feræ, ut Virgilius ait, vastentur, ut satius fuerit quam paucissimis venationes concedere, quæ multos erant à cura rei familiaris abstracturæ, imò ad incitas redacturæ. Taceo hanc voluptatem molestiis ingentibus, quas Reip. causa perfert Majestas deberi, sed brevem, sed moderatam, ne cum Principe subditi graventur. Periclitatur enim Respubl. conculcantur querelæ viduarum, negligitur justitia, corrumpuntur magistratus, dum princeps officii sui immemor, à medio foro se subtrahit, & per solitaria nemora feras confodit bestias, ut ille ait. Tandem hoc monemus, venationem simplicem non posse in subditis tanquam crimen majestatis puniri, imò fas non esse, ob interfectam bestiam hominem morte multari. Tantum de jure venandi, à quo differt jus foresti consistens in cura nemorum, sylvarum: quæ duo conjuncta unum totum efficiunt, jurisdictionem nempè forestalem, ut loquuntur, de qua nihil hic dicendum venit.

lib. 2. de J. b. cap. 2. n. 5.

cap. 8.

De bonis ca-

§. 10. Pergimus ad secundam classem Jurium fiscalium, in qua primo loco offerunt se bona caduca. Generaliter quidem caducum

caducum dici posset id omne, quod in fiscum cadit qualicunq; de causa, τὸ χωρὸν εἰς τὸν φίσκον quomodo pecunia, quæ ex potestate venandi concessa Principi acquiritur, & fisco, caduca esset: specialius vero caduca opponi solent ereptitiis, suntq; bona caduca ἀδέσποτα, δημόσια, quæ privatis rebus excidentia in publicum civitatis bonum cadunt, eò quod sine dominio particulari inveniuntur. Huc referri merentur bona vacantia, seu bona illius defuncti (civis, peregrini) qui intestatus nullum ex qualibet sanguinis sive recta sive transversali lineâ vel juris titulo reliquit hæredem seu bonorũ possessorem. Hæc quia in nullum dominum descripta inveniuntur, merito fisco applicantur, si prius discutiatur diligenterq; inquiratur, an sint legitimi hæredes, iisq;, qui hæreditatem defuncti sibi deberi putant, ut se sistant, admoneantur. Ad vacantium bonorum indolem proximè accedunt res pro derelictis habitæ, desertæ, sive sint mobiles sive immobiles hero carentes. Hæ quidem, si naturæ jus negativum respiciamus, quia nullius sunt, invenientis fiunt & occupantis, modo ne per artes illicitas puta magicas eruantur, quomodo ex parabola Christi colligitur apud Ebræos receptum fuisse, ut domino agri thesaurus cederet: gentium tamen plurimarum jure ut alia, derelicta, ita thesauri quoq; non inventoris fiunt, hoc est, ejus qui loco moverit apprehenderitq;, sed Majestatis. Intelligimus thesauros veteres seu opes quascunq; abditas, quarum depositionis nulla exstat memoria, quarumq; dominus ignoratur. Nam res fortuitò amissa & mox ab alio inventa, huc non pertinet, quam vel domino repetenti inventor restituere, aut publicè indicare tenetur, se rem talem inveniisse, si furti suspicionem ejusq; pœnam effugere velit. Quod de thesauris diximus, idem de derelictis quibuscunq; pronunciandum. Meminit Strabo, Impp. Rom. olim in Ægypto per certum Magistratum inquisivisse, num bona aliqua vacantia, possessiones desertæ aut alia sine domino essent, ut illa dominio Imperatorum incorporarentur. caducis reverà

Matt. 13.

§. 11. Multum autem falluntur, qui sine manifestissima injuriâ naufragorũ bona fisco addici posse statuunt. Benè Euripides: De caducis apparenter.

ναύαγον ἥκω ξένον, ἀσύλητον γένος

Sum naufragus, spoliare quod genus nefas.

Navigia quocunq; locorum pervenerint (verba sunt Friderici Imperatoris) *si quo casu contingente rupta fuerint, vel alias ad terram perveniunt: tam ipsa navigia, quàm navigantium bona illis integra reserventur, ad quos spectabant, antequam ipsa navigia hujusmodi periculum incurrissent. sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic adversatur sanctioni: nisi talia sint navigia, quæ piraticam exerceant pravitatem, aut sint nobis sive Christiano nomini inimica. Transgressores autem hujus nostræ constitutionis bonorum suorum publicatione multentur* &c. *Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur?* quæ sunt Constantini verba notatu dignissima. Ad eundem modum impietatis detestandæ atq; sacrilegii reos se constituunt, qui sacras res ad classem vacantium bonorum redigunt, atq; illud jactant Pfaffen gut/raffen gut. Quæ res Ecclesiam reformatam coram DEO, Angelis & Ecclesia valdè deformavit, nec fieri aliter potuit, quin, qui Ecclesiam indignissimis modis spoliarant, ab Ecclesiæ filiis vicissim justo DEI judicio spoliarentur. Nec est quod dicas, prodigalitatem majorum restringi debuisse, atq; Ecclesiæ detrahi, quod nimium erat & oneri potius quam commodo futurum. Sustententur primum inde Ecclesiæ & Scholarum ministri, foveantur studia linguarum & artium in Ecclesiæ exædificationem, alantur deniq; pauperes qui sunt vivæ DEI imagines, & tum subducamus calculos; apparebit, nisi valdè fallor, majorum liberalitatem vix parem his sumtibus futuram. Nam quod otiosi ventres Ecclesiæ bona devorant, id vero inter ea scelera palmam obtinet, quæ justam DEI adversum Germanos vindictam concitârunt. ô DEUS immitte hostibus tuis tantam insaniam, & fac, ut hæreditas tua memor sit judiciorum tuorum! Olim aurea vasa & templorum ornamenta distrahebantur, & piè quidem ac rectè, ad redimendos captivos, sepulturam fidelium, pauperum alimentationem: hodie in media Ecclesia ab iis, qui videri volunt Religionem amare, Ecclesiastica pariter & Politica bona distrahuntur, ut tandem in miserrimam servitutem abducantur fideles, vel miserabili letho pereant, aut si benigne cum illis agitur, bonis omnibus exsuantur. Sed hoc ulcus, quod fortè satius esset non tetigisse, mittamus. Ad res apparenter caducas referri quoq; possunt furto ablatæ res & ἐπ' ἀυτῶ

Vide Levit. 5. 15.

ἀυτοφώρῳ apud furem deprehensæ, in quas malè imò pessimè nonnullorum locorum judices dominium sibi arrogant.

§. 12. Progredimur ad bona ereptitia, hoc est, ea, quæ possessoribus propter delicta adimuntur atq; eripiuntur. Et quanquam plurimis de causis bona vel omnia vel pars alicui eripi in pœnam queant, quæ diversis locis diversæ esse possunt, vel maximè tamen adimi bona & fisco adjudicari meretur Majestatis crimen atq; perduellio. Latè quidem perduellis quicunq; hostis est, etiam externus, cujus spoliis fiscus ditescit. Romanorum Imperatores, cum triumphum ducerent, spolia simul in ærarium inferre solebant: & Æmylius quidem Paulus ex victa Macedonia & in provinciæ formam redacta tantum pecuniæ in ærarium invexisse Ciceroni scribitur, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. Taceo publicos reditus ex agris hostium, quorum *alios veteranis in præmia assignabant, in alios colonias deducebant, quosdam mancipibus in longum tempus locabant, ut annuam mercedem principi darent*, ut loquitur Frontinus. Strictius loquendo crimen Majestatis perduellio est, de quâ ita Tacitus: *Legem majestatis reducebat* Tiberius, *cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant, si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, deniq; malè gesta Rep. majestatem populi Romani minuisset. facta arguebantur, dicta impunè erant.* Unde liquet, in rebus minimis aut solis verbis Majestatis crimen versari minimè posse. Quæ latius disputare nunc non licet: sufficit ostendisse, ad hanc secundam classem pertinere bona cùm caduca, tum ereptitia multas quoq; seu pœnas pecuniarias, quæ ob delictum infliguntur, atq; in fontes fiscalis augmenti digitum intendisse. De bonis ereptitiis. 2. Off. 1. Ann.

§. 13. Supereſt tertia classis jurium fiscalium: quò referri solent angariæ, parangariæ, navium & plaustrorum præstationes, deniq; tributa tàm ordinaria, quam extraordinaria. Horum alia fisci commodum juvant negativè, dum vetant publicis impensis fiscum attenuari, quales sunt angariæ, parangariæ, navium & plaustrorum præstationes; aliæ positivè, ut sunt tributa, amplificant fiscum. Solent huc redigere vectigalia, de quibus suprà dictum: item ripatica, quorum nomine intelliguntur proventus & commoda, quæ riparum occasione pro transitu earum sive prætervehen- De tertia classe.

hendo sive appellendo & aliquandiu consistendo percipiuntur. Sed de fluminibus, quorum sunt ripæ, cum suprà commodo loco dixerimus, non est, quod cramben recoquamus. De iis, quæ negativè fisco commodant, primum videamus. Angarus, monente Hesychio, vox Persica est, estq; propriè ὁ ἐκ τῆς διαδοχῆς βασιλικὸς γραμματοφόρος: cui respondent cursus nostri publici, & equi per vias dispositi, quas postas vocamus. In magnis enim & latè patentibus Rebuspubl. perquàm expedit vel cursus publicos instituti, vel equos citos in quavis illius Reip. parte disponi, ut de rebus omnibus quàm celerrimè, qui Reip. præest, admoneri possit, & maturè providere, ne quid capiat Respubl. detrimenti. Atq; hoc fine Cyrum tabellarios certis stationibus dispositisse, quorum alter
lib. 8. alteri traderet mandata, ut celerius perferrentur, ex Xenophonte patet. Angaria ergo est ordinarium & publicum servitium, ἡ δημοσία καὶ ἀναγκαία δουλεία, ut loquitur Suidas: parangaria ministerium, ad quod quis adigitur præter (hæc enim significatio τοῦ παρὰ nobis placet) ordinarium cursum, alioversum. Plaustrorum & navium præstationes quid sint, nemini obscurum esse potest. Atq; hæc negativè, ut dictum est, fisco prosunt: quanquam sæpè pro servitiis hujusmodi pecunia vel pensio certa à subditis solvatur, fisco applicanda, ad quam tamen, si ipsi nolint, nec urgeat necessitas, cogi non debent.

De tributis. §. 14. Versamur nunc in oneribus explicandis, quæ toti universitati imponi solent, in queis familiam ducunt Tributa, seu collationes. Est autem collatio, contributio seu erogatio patrimonialis pro Reip. utilitate indicta. Estq; ordinaria alia, quæ dicitur principaliter rebus ac possessionibus, quæ in territorio indicentis sunt sitæ, coherere, & ex lege vel consuetudine certam ratione rei & temporis habere præstationem in ordinarios usus Reip.: alia extraordinaria, quæ exhausto ærario ob Reip. necessitatem incidentem indicitur, nec certam habet in re & tempore præstationem. Negavit olim Philippus Cominæus publici consilii in Gallia particeps, tributa principibus imperare licere, sed ea tantum capere posse, quæ consertientibus subditis dono darentur. Quod de certo genere tributorum, v. g. pro expediendo ære alieno & privata

vata Principis necessitate, verum fortean esse possit: de omnibus tributis si accipiatur, fallit, ut suprà ostensam est. Memorat Polydorus Virgilius ab Eduardo Angliæ Rege Exactionis genus novum institutum, quod Benevolentiam appellavit. Egit enim cum subditis, ut sponte sua ad sumtus belli pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re benevolentiam singulorum mensurus esset: ut scilicet eum, qui plus daret, se plus diligere censeret. Hoc consilium ut prudentiæ leges dictare possint, ne alienissimo tempore civium animi alienentur, ità salvo majestatis jure, quod nunc præ manibus est, usurpandum venit. Tributorum enim fundamentum non est voluntas subditorum, sed salus publica, quam supremam legem vocamus. Diximus enim, indici contributiones pro salute Reipublicæ debere, ut nimirum utilitas publica, seu *necessitas erogationum & ratio quæstuum inter se congruant*, ut Tacitus loquitur. Sed ordinaria primum: deinde extraordinaria videamus. 13. An.

§. 15. Quod de vectigali suprà monebamus, esse videlicet ea exigenda ex æquitate & publica salute, id de tributorum utroq; genere dictum quoq; volumus. Nam qui Principes hanc cynosuram negligunt, & pecuniis studeant acerbè conquirendis, plus invidiæ sibi, quàm virium addent. Carthaginenses olim, teste Polybio, Africanis populis avariter imperantes, mediamq; fructuum partem auferentes, tributa duplicantes, & solum probantes ministros atq; præfectos, qui grandem ærario pecuniam per fas nefasq; corrasam intulissent effecerunt, ut pleræq; civitates seditiosis militibus posteà accederent. Superiori seculo pacem exuebant Belgæ, avaritia magis Albani ducis, quàm obsequii impatientia. Talia exempla, quæ infinita sunt, Principes doceri debent: *pauci* enim *prudentiâ honesta ab deterioribus, utilia à noxiis discernunt; plures aliorum eventis docentur*, quæ sunt Taciti verba. Quod monitum ad ministros quoq; Principum pertinet, qui alieno malo dediscant malorum consultores vel ministri esse. Vespasianus olim rapacissimum quemq; ad ampliora officia ex industria solitus est promovere; quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi siccos madefaceret & exprimeret humentes, Suetonio teste. Quod prudenter videri factum posset, leniendo scilicet odio populi, qui omnem errorem

De tributis ordinariis. lib. 1.

lib. 4. An.

in administratione Reip. admissum, omnemq; vectigalium, tributorum aliorumq; onerũ impositionem gratiosis in aula viris, & ut Ammianus loquitur, *formatoribus imperii* adscribit. Caveant Principes! caveant ministri! Sed in viam redeamus. Æquitas (hæc primũ est fundamentũ tributorum) jubebit rebus tributa imponere, ex quibus fructus aut quæstus percipitur, parcere rebus mobilibus otiosis h, e, fructu carentibus v. c. rebus, vestibusq; adeoq; toti supellectili ad quotidianum usum necessariæ. Eadem æquitas modum observabit, ne deglubantur subditi, ac ità eis pennæ incidantur, ut nequeant renasci: vetabit ex rebus sordidis lucrum captare, aut ex delationibus, per quas fieri solet, ut locupletissimus quisq; quamlibet innocentissimus in prædam corripiatur, deniq; vetabit novis oneribus subditos turbare. Ex hoc monito sequitur, parcendum esse personis, (de ordinariis tributis hac thesi loquimur) quæ Ecclesiæ, Scholis, Reipubl. inserviunt, exiguo salario, nec latifundia possident: his enim immunitas ab oneribus merito velut in partem stipendii cedere debet, ne quorum mater & nutritia Respubl. esse debebat, eorum durissima fiat noverca. Demum æquitas jubebit æqualitatem servare, ut *justa & uni formi contributio sit, nec per bonam malamve gratiam hunc subleves, illum premas*, quæ sunt aurea Lipsii (quem hic sequimur) verba. Cui rei (æqualitati) unicè subservit Census, quem nesciri aut negligi hodiè cum Lipsio omnes miramur. Morum quidem censura hodie sacerdotibus commissa videtur: censores autem, qui ævitates populi, suboles, familias, pecuniasq; censeant, nuspiam ferè comparent. Inæqualitas inde, ex qua pullulat odium, diffidentia, deniq; reverentiæ & imperii excussio. Caveat inæqualitatem Reip. præfectus, curetq; censores constitui, atq;, ut odium suspicioq; muneri aspero detrahatur, ab ipso populo elegi binos, ternos. Jam salus publica & necessitas tributa omnia leniant. *Neq; enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt*, ut loquitur Tacitus. Hic id monemus: Principi curandum, ne per delicias aut sumtus indecoros pecuniæ, quæ est anima & sanguis subditorum, illudat, sed rectè rem dispenset & ex usu publico, temperetq; sibi ab omni violentia, unde *iræ & questus, & postquam non subvenitur, remedium ex bello*, quemadmodum prudentiæ Pater Tacitus monet.

lib. 4. Pol. cap. 4.

§. 16. Tan-

§. 16. Tantum de ordinariis tributis: sed quis modus extraordinariorum? Idem ferè qui ordinariorum. Nam & æquitas & necessitas publica in oculis habendæ ei, qui extra ordinem tributa indicit. Det operam Reip. custos in indicendis tributis extraordinariis, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, Necessitati esse parendum. Deinde abstineat exactionibus illicitis, immodicis, variisq; prædandi vocabulis. Tum à vi temperet, & coerceat avaritiam ministrorum, nec nisi spectatissimo cuiq; hanc provinciam mandet. Præterea non vanè & inutiliter effundat, sed dispenset ad exemplum boni patrisfamilias. Denicq; æqualitatem servet, nec cuiquam liceat esse immuni, siquidem id publica utilitas efflagitet. Hæc Lipsius suggerit de tributis; à quo non recedit Forstnerus, in eruditissimis ad Tacitum notis. Scilicet septem modos, quibus tributorum necessariorum invidia leniatur, tradit, à nobis hic perstringendos. Primo veterum artes imitari jubet, qui limitanea regnorum loca non tàm gravibus vectigalibus, atq; ea, quæ in meditullio regni sunt, onerârunt, metu defectionis. Deinde jubet non imos quæstores exigendis à populo tributis præficere: ipsorum civium hoc sit munus, qui ex suo corpore eligant, per quos ea pecunia cogatur humaniùs: præstat enim per assuetos magistratus, notosq; lictores ad solutionem adigi. Tertia cautio est, ea tributi nomine exigere, quæ quibusq; locis vilissima habentur. Quarta, ea tributis onerare magis, quæ divitum luxum instruunt, quàm quibus pauperes vitam tolerant, de quo suprà quoq; diximus. Quinto curæ ærarii & tributorum præponendi sunt homines sanctissimi, & qui puras innocentesq; manus habeant. Sexto, multum tributorum invidiam minuet, si Princeps fundos patrimoniales suos & quicquid iu domestica ejus hæreditate est, coli jubeat, & inde redactas opes publicis tributis jungat. Denicq; exactam pecuniam cum artificiosa quadam parsimoniæ ostentatione in publicam utilitatem erogare decet &c. Hæc Forstnerus, qui alibi hoc quoq; monitum inculcat. Dixerat, fieri sœpè, ut cives, cum externo pavidi bello pensione, quam Princeps imperat, credunt se salutem redimere, principis luxum instruant, aut præpotentium iu aula avaritiam pascant: *tum*, inquit, *illud intolerandum est, quod, quæ sub discriminis articulo extraordinaria ratione solvuntur à civibus, post perpetua fiunt*: &, *quæ*

gravia

De tributis extraordinariis.

grȳdvia atq; intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace manent plerumq;, ut Tacitus ait.

De negotiationibus publicis.

§. 17. Hactenus de Juribus Fiscalibus & ratione amplificandi ærarii, cujus mensura status publicus est, quantum sufficere proposito nostro potest, egimus. Neq; tamen omnia conficiendarum pecuniarum puncta ac momenta collegimus. Bodinus præter rationes augendi fisci, à nobis hactenus percursas, tres novas monstrat, amicorum scil. largitiones, sociorum subsidia, & mercaturam. Sed ipsum audiamus. *Sunt omnino*, inquit, *septem genera conficiendæ publicæ pecuniæ, quibus cætera continentur. Primum ex agris publicis; secundum ex hostium spoliis; tertium ex amicorum largitionibus; quartum ex sociorum vectigalibus ac tributis; quintum ex mercatura, sextum ex earum rerum vectigalibus, quæ aut evehuntur aut invehuntur; septimum ex subditorum tributis.* Primum & secundum genus suprà tangebamus. Tertium huc non spectat, quod in amicorum largitionibus versatur, ad quas dominium eminens non porrigitur, (idem de annua pensione dicendum, quæ ex fœdere à sociis percipitur) nec multis explicari opus habet, tum (verba sunt ipsius Bodini) *quod nihil incertius aut varius sit, tum etiam, quod quæ principibus principes populive magnificè largiuntur, vix in rationem accepti veniant, cum nemo, qui dignitati Reip consulat alterius debitor esse velit* &c. De quinto genere conficiendarum pecuniarum publicarum, mercaturâ scilicet abundanti & quæstuosa, quam princeps suo vel alieno nomine exercet, operæ pretium erit audire ipsum Bodinum, qui, cum objectionem sibi movisset, quod majestate Principis minimè videatur digna mercatura, suum judicium subjungit minimè adspernandum. *Ego*, inquit, *si statuendum mihi sit, principem mercatorem nolo: sin optio detur, mercatorem malo quàm tyrannum, & patritios* (nam & iis qvæstus omnis indecorus videtur) *viros negotiari, quàm prædari. Quis est enim, qui nesciat Lusitaniæ Reges, cum angustissimis regni finibus coercerentur, nec jura suæ majestatis satis commodè tueri, nec subditos rodere vellent, mercaturam abundantissimam & quæstuosissimam sine contumelia & maximo Reip. commodo exercuisse?* Vide ibi plura. Et mox: *Id autem in principe minimè ferendum est, ut subditos exportare frumenta resq; venales prohibeat, quibus ipse quæstum faciat: turpius etiam ac fœdius vili pretio mercari à subditis ut eosdem carius res emtas emere cogat. Omnium tamen mercaturæ genera detestabilissimum est magistratuum & honorum mercatura &c.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0236
DFG

DEO DUCE! De Jure Belli.

Disp. XV. Resp. 43 Valentino Musculo, Stralsun: Pomer. 4. Pol. 9.

§. 1.

NUnc ad Quartam Jurium Majestatis classem, h. e. ad jus belli suscipiendi, gerendi, finiendi progredimur. Et hæc quidem potestas facile exsuperat explicata nobis hactenus Majestatis jura, eòquod in eorũ, qui arma tractant, manu universa sit sita Respubl. Aristotele teste, nec omnino sine armis constare sibi Majestas possit, sive sint civium scelera vindicanda, sive reprimenda vis externa. Quamobrem prudenter multis in locis cautum est, ne cuivis civium arma gestare liceat, aut ea apparare, quæ belli reperit necessitas, non munire urbem, non castella exstruere, & quæ his similia propulsandæ injuriæ humana solertia excogitavit. Commendari merentur Massilienses, hodiè Argentoratenses, alij, *quorum opidum intrare nulli cum telo licet, præstoq; est, qui id custodiæ gratia acceptum exituro reddat, ut hostitia sua, quemadmodum venientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint*, ut habet Valerius Maximus. Nos aliis omissis, quæ ad bellum gerendum requiruntur, qualis est apparatus pecuniæ, commeatuum, armorum, item dilectus militum & disciplina, electio ducum, consilij bellici copia, & si quæ sunt his affinia, de quibus cum alij, qui de arte militari cum cura scripserunt, tum nostris lectoribus legatur inprimis J. Lipsius, hac disputatione jura belli suscipiendi, & gerendi sumus percursuri, atq;, quid bellum sit, an & quibus de causis suscipiendum, quà fide gerendum, breviter ostensuri.

lib. 2. c. 6.

lib. 5. Polit.

§. 2. Definimus Bellum, quod sit status duorum populorum per vim contendentium. Bellum rectè Varro deducit à duello: quem sequitur J. Cæs. Scaliger. *Initio* inquit *fuit duellum à duobus. nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit, ac quemadmodum dic bi, duorum bonum, sic duellum, bellum.* Genus belli est status contendentium

Definitio Belli.

lib. 3. de Poët. c. 90.

non actio aut certatio ipsa. Differunt enim bellum, pugna, prælium. Nam bellum universum dicitur, ut Punicum secundum,
Ibid. lib. 18. Hujus partes sunt pugnæ Cannensis, ad Trebiam, Thrasymenum. Rursum in una pugna multa sunt prælia. Aliud enim in cornibus aliud in media, aliud in extrema acie geritur. Amplius in definitione dicitur, quod sit status contendentium per vim, ut distinguatur bellum à contentionibus, quæ in judicio atq; ubi jure experimur, vigent, quibus cessantibus demum ad arma prosiliendum est. Nam ubi juri nullus relinquitur locus, adeoq; ubi desinunt vel deficiunt judicia, ibi incipiunt bella & per vim concertationes. Ultima verba (duorum populorum) non possunt obscura esse. His enim discernitur bellum à singularibus dimicationibus, & ostenditur bellum publicis viribus & authoritate sive totius populi sive ejus qui in populo summam obtinet potestatem niti: nō quod plures populi nequeant infestis signis concurrere, sed quod ad minimum duo populi, aut ejusdem populi duæ velut partes requirantur, ac fieri possit ut à duobus populis eminentioribus & principalibus negotium denominetur, vel etiam multi populi fœdere conjuncti stent pro uno.

An liceat bellare. § 3. Quanquam vero Veteres cum Philosophi tum Christianorum Doctores magni nominis nonnulli omnem videantur militiam improbare, hæc tamen apud nos tanti esse non debent, ut propter privatam quorundam sententiam omnia bella illicita esse sine discrimine pronunciemus. Loquimur nunc de bellis, quæ ipsa necessitas extorquet, ut nobiscum societas civilis salva esse queat. Neq; enim illud Plutarchi καθόλε ἀληθὲς censemus quod in Stoicorum contradictionib⁹ habet, *nullum scilicet inter homines bellum non ex vitio nasci, aliud ex voluptatum cupiditate, aliud ex avaritia, aliud ex honorum aut imperij nimio studio conflari* Fatemur quidem experientia cum prisca tum recentè comprobari,
Alcibiad. 1. quod de Græcis Plato asserit: (hodie RATIONEM STATUS vocant) *Raro, quænam Justiora, quænam injustiora sint, ab hominibus quæri, talia putantibus esse perspicua: His igitur omissis, quæ conconducant agentibus, inquiri.* Utut ἐπὶ τὸ πλὺ vera hæc sint, sive de primaria belli causa sermo sit, sive de concomitante, possunt tamen

tamen justæ nos causæ ut bellum paci præferamus, impellere, adeoq; arma nobis imperare nec pietati nec honestis moribus adversantia, nisi malimus mala perferre quovis bello sæviora. De causis justis post agendi locus erit: nunc bellum licitum esse dicimus, sive Naturæ jus, sive Gentium, sive divinum spectes positivum. De jure naturali Ciceronis verba πολυθρύλητα καὶ ἐμπιλάζοντα adducimus: *Est*, inquit, *hæc non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa Natura arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Et mox de Jure Gentium: *Hoc*, inquit, *& ratio doctis, & necessitas barbaris & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit ut omnem semper vim, quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.* De Jure divino positivo non dubitabit, qui Historiam ab orbe condito usq; ad tempora percurrit Novi Testamenti, quibus non esse abolita belli jura ex multis cum Evangelistarum tum Apostolorum locis quacunq; exceptione majoribus liquido constat, atq; inde potissimùm, quod Politicam potestatem non tollat, sed statuat atq; firmet, cujus primarium officium in judiciis exercendis situm est, & si aliter fieri nequeat, per vim defendendis subditis, ablatis repetendis & sceleribus atq; latrociniis vindicandis. Pro Milone.

§. 4. Bellare ergo licet: sed publica authoritate atq; scito, in Democratia quidem totius populi, in Aristocratia optimatum, in Monarchia principis, secundum Augustini illud: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atq; consilium penes principes sit.* Et Plato de bello suscipiendo legem condit: ἐάν τις ἰδίᾳ πιήπῃ πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον ἄνευ τῆ κοινῆ, θάνατος ἔςω καὶ τῶτῳ ζημία, h. e. *Si quis consilio suo absq; authoritate communi pacem inivit aut bellum movit, ultimo supplicio afficiatur.* De gerendo autem circa initium libri hæc habet: *Militiæ gratia meritò magnæ habentur deliberationes, & leges multæ conduntur. Sed illud omnium maximum est, ne quis mas fœminave sine principe quicquam agat: nec civis cujusquam animus sive joco sive serio aliquid facere solus & suo* Licet: sed publico scito. lib. 22. con. Faust. cap. 74. lib. 12. de L. L.

duntaxat arbitratu consveſcat: ſed tam in omni bello, quàm in omni pace ad principem magiſtratumq; ſemper reſpiciat, & eum quocunq; ſequatur: atq; ita ad ejus nutum ſuam vitam inſtituat, ut vel minima quæq; ab eo guberuatus faciat, ſtet cum jubetur, & rurſus juſſus proficiſcatur, exerceatur, lavetur, comedat, ſurgat nocte, cuſtodiam agat, det ſigna & vicißim accipiat: & in prælio nec inſequatur unquam, nec cedat, niſi princeps & magiſter ſignificarint. Et ut ſummatim dicam, nemo penitus cognoſcat, quid ſit ſeorſim ab aliis agere: ſed ſimul ſemper communisq; quàm maximè omnibus vita ſit. Nihil enim hac re melius, nihil præſtantius, nihil artificioſius unquam erit ad ſalutem & victoriam bello acquirendam. Hactenus Plato, cujus dictatus auro contra cari cuſtodibus eſſe civitatis debent. Porrò, an penes Magiſtratus (hoc nomine officiales notamus, qui ſummæ ſunt poteſtati ſubjecti) ſit poteſtas ſuſcipiendi belli, non atramento hactenus, ſed ſanguine diſputatum fuit. Quod ſi juſta eſt tutela, quam ſuſcipit privatus, ubi in periculum vitæ, vel id, quod æquiparari vitæ meretur, haut aliter evitabile adducitur, manifeſtum eſt, ſi adigatur extrema neceſſitate ſui defendendi Magiſtratus, & moram res omnem præcidat, poſſe in quemvis ſalvo jure ſuperioris arma expediri. An vero ipſi ſuperiori, Principi ſive Reipublicæ, arma & vim Magiſtratus intentare poſſit, hujus loci non eſt diſquirere. Tractabitur ea quæſtio Diputatione Ultimâ, qua de Curatione Tyrannidis agendum erit. Videatur interim H. Grotius libro de Jure belli & pacis primo.

Cap. 4.

Non auſu privato. *Livius lib. 11.*

§. 6. Non ergo privatis quibuſcunq; bellare licet ſine publico juſſu. Cato Cæſarem, quod adverſus Gallos injuſſu populi bellum geſſiſſet, dedi Gallis oportere cenſuit, forte, ut metu Domini imminentis urbem liberaret. Et Hanno, cum injuſſu populi Carthaginenſis in Italiam exercitum Hannibal traduxiſſet, & prius Saguntum fœdere Romanis junctam urbem expugnaſſet, *non dedendum ſolum Annibalem ad piaculum rupti fœderis: ſed ſi nemo depoſcat, devehendum in ultimas maris terrarumq; oras, ablegandum eo, unde nec ad nos nomen famaq; ejus accedere, nec ſolicitare quietæ civitatis ſtatum poſſit.* In bellis civilibus utraq; factio jus ſummi imperij prætendit, eoq; ipſo aliquid habet irregulare, quod ad communia gentium placita & belli regulas exigi nequit. Deinde

inde ut cum rebellibus & fugitivis, nisi justissimas habuerint suæ defectionis causas, quam rem supra remittendo tetigimus, ità cum latronibus, prædonibus aut piratis, quanquam ingenti copia confluxerint non intercedunt belli commercia aut jura. Neq; tamen Ciceroni assentimur, qui *Piratam* ait *non esse ex perduellium numero definitum: cum hoc nec fidem esse debere nec jusjurandum commune.* Quanquam enim pirata (eadem ratio est rebellium subditorum) hostium more agere nequeat, nec Gentium jure, ut fit in bello solenni, nitatur, homo tamen est, & communione juris naturalis nondum excidit, adeoq; fides ei omnino servanda est, maximè si jurejurando fuit firmata. Quomodo belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus & sedes, in quibus sine rapto viverent. Et Cæsar à Romanis Ducibus cum prædonibus & fugitivis, qui in Pyrenæis erant montibus actum de compositione scribit: Augustus Crocotæ insigni latroni persolvisse pretium capiti ejus impositum dicitur, cum ipse se sisteret, ne fides violaretur. Et quamvis metu fuerit extorta aut dolo elicita promissio, si vincta fuerit jurisjurandi religione, rumpi prorsus non debet, nisi res promissa prorsus illicita sit atq; ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Sed hoc curare debet promissor, ut *in veritate*, i. animo sincero & verbis assonante, *in judicio* i. circumspectè, cautè, non temerè, *in justitia* deniq; (hæc enim Jeremias conjungit) seu derebus licitis justis, non adversantibus DEO & Bono publico det fidem. Juramentum vero efficit obligationem erga DEUM, quæ rescindi sine vulnere conscientiæ nequit, utut nulla esset obligatio erga piratam, eò quod pars civilis societatis non sit. Sed propterea, quemadmodum dicebamus, fides data violari non debet. *cap. 4. 2.*

§. 7. Explicaturi causas Bellandi id præmonemus, *esse*, quemadmodum Camillus ait apud Livium, *belli, sicut & pacis jura, justéq; non minus ea, quàm fortiter gerenda.* Et Dio cassius: *Maxima nobis justitiæ habenda ratio est: quæ si adsit, vis bellica spem bonam præbet: sin absit, nihil quic certi habet, etiamsi primæ ex sententia succedunt.* Deinde distingui jubemus inter causas & principia belli ex monito Polybij. Est enim causa ratio, quæ in deliberationem de bello suscipiendo proponitur, facitq; ut bellum decerna- De belli causis. *lib. 3. in prin.*

cernamus? Principium vero belli est prima in bello jam decreto actio hostilis, id est, in hostem tentata. Utraq; vero distinguenda, inquit Polybius, & in bello justa esse debet. Ultimo inter belli causas justificas distinguendum est & svasorias. Has προφάσεις vocat Polybius (Livius titulum) quia palàm proferri solent: illas generali nomine appellant αἰτίας. Sic προφασις belli Punici secundi erat controversia de Sagunto: (προφάσεως χὰρ μόνον δέεται ἡ πολεμία inquit Aristoteles) causa vera indignatio Carthaginensium ob iniquas conditiones, vi potius necessitateve extortas, quam jure ullo belli & æquitate sibi à Romanis concessas, & aucti spiritus ex secundis per Hispaniam rebus. Qui neutro causarum genere in bella feruntur, &, ut Cicero loquitur, *temerè in acie versantur, & manu cum hoste confligunt, immanes suut & belluarum similes*: per quos minimè stabit, quo minus omnes ubiq; civitates, adeoq; universa societas humana funditus extirpetur ac deleatur. *Perspicuum est*, inquit Aristoteles, *omnia civitatis studia, omnes q; curas quæ ad bellum conferuntur, esse has quidem præclaras habendas, verum non ut summum rerum omnium finem, sed has illius gratia.* Qui sola imperij cupiditate aut opum, quæ sunt præcipuæ, ut ait Tacitus, bellorum causæ, abripiuntur, audiant Augustinum, qui, *Inferre*, ait, *bella finitimis, & inde in cætera procedere, populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Sed de causis suasoriis dicemus, si prius, quæ sint causæ bellorum justæ, indicaverimus.

lib. 1. Rhet.

1. off.

lib. 7. Polit. c. 2.

IV. Hist.

lib. 4. ac C.D. cap. 6

Tres sunt bellandi causæ justæ.

§. 8. Tres sunt causæ justi belli, sed quæ ex uno promanant fonte, injuriâ nimirum. Injuria vero vel nondum facta est, utut cæpta fortè, nondum tamen consummata, vel jam facta est. Si in propinquo est injuria, quæ petit corpus, vitam, libertatem, patriam, parentes, res denig; nostras vel aliorum, quos armis tegere pietas jubet aut necessitas (de quibus paulo post magis distinctè) justè suscipi DEFENSIO potest. *Nonne hoc*, inquit Demosthenes, *per Deos durum atq; injustum est, nec scripti tantum legibus, sed & communi inter homines legi contrarium, ut non sinat vi uti adversus eum, qui hostiliter res meas rapsat?* Atq; hactenus justa

est

est defensio non tantum contra vim injustam sed contra vim justam quoq;, si jure agere atq; satisfacere, res repetitas restituere auctores belli dedere, & de damno dato cavere (ut Samnites olim) paratus fuisti: ἐπὶ γὰρ τὸν δίκας διδόντα ὁ νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι, ut inquit Archidamus apud Thucydidem. Quod si injuria facta est, aut reparari ea debet, aut puniri. Cyrus apud Xenophontem, cum in bellis æquitatem Justitiamq; belli suscepti inprimis noscendam dixisset Duci ipsi, & aliis ab eo proponendam, (sc. frangit & attollit vires in milite causa) duplicem causam subjungit belli justè suscipiendi: nempè *si vel injuria jam illata nobis propulsetur atq; reparetur, vel amicis sociisq; lacessitis & petentibus auxilium feratur.* Porrò, quod venit reparandum, aut nostrum fuit, aus nobis debetur, sive nostro peculiari, sive communi hominum Jure: quæ pluribus mox erunt explicanda. Quare secunda causa belli justi est repetitio vel recuperatio ejus, quod nobis debetur. Tertia causa est animadversio injuriæ illatæ, cum pœnam sumturi de iis, qui injuria intolerabili nos affecerunt, atq; eorum complicibus, arma capessimus. Has causas conjungit Camillus in denuntiatione ad Gallos: Omnia, inquit, *quæ defendi, repetiq; & ulcisci fas sit.* Summa, semper justum bellum est, quibus omnino necessarium: semper pia arma, quibus nulla, nisi in armis, spes posita est vitæ ac salutis.

Liv. lib. 9.

lib. 1.

lib. 1. κυροπαιδ.

§ 9. Sed nunc paulo pressius singulis causis insistamus. Defensio prima erat, non nostræ tantum salutis, sed & aliorum, inprimis sociorum, quia his oppressis ad te quoq; sit trajectura clades: imò, absq; hoc metu sit, fœderis id ratio flagitat, ne de cognatione dicam, quam consortiũ ejusdem Naturæ inter homines esse voluit. Adeoq; omnibus per iniquam vim oppressis aut opprimendis auxiliatrices manus porrigere, quoad nobis majora inde extimescenda non sint pericula, tenemur, inprimis vero illi, cui dedimus fidem defensionis. *Fortitudo*, inquit Ambrosius, *quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit Infirmos, vel à Latronibus socios, plena justitia est* Et Cicero, *Qui*, inquit, *non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat.* Hic valeat illud Jctorum, plenissimum æquitatis naturalis: Unusquisq; id facere tenetur, quod sibi non no-

De defensione.

cet, alij autem prodeſt: etiamſi ratio ſummi juris eum non obliget. Defendi ergo alieni quoq; Subditi poſſunt, ſed cum gemina cautione: Si ſatis pium, tutum, glorioſum, decorum ſit: deinde, ſi ſumma ſit injuria & ab incurabili aliquo Buſiride, vel Phalaride profecta. Quod de defenſione diximus, extendi quoq; ad Religionem, qua firmiſſimè unimur, debet, quæ inprimis, ita jubente DEO, (non autem injuſtum eſſe poteſt, quod DEUS imperat) à paganiſmo, hæreſibus atq; ſchiſmatibus defendenda eſt: ſed defendenda tantum, non etiam cogendi homines ad Religionem, quæ non tam hominum inter ſe, quàm hominis cum DEO eſt commercium. Hactenus ergo non licita tantum ſed juſta quoq; defenſio eſt, modo ne ſub hoc prætextu aliena appetantur:

3. de Rep. quod feciſſe Romanos ingenuè Cicero fatetur, *Noſter*, inquiens, *populus ſociũ defendendũ terrarum jam omnium potitus eſt* Superius paulò non obſcurè indicabamus ad defenſionem metum quoq; ſufficere: Sed metum intelligimus juſtum & ſignis minimè fallacibus incuſſum, non tenui conjectura, aut inani ſuſpicione.

1. Off. Cicero, *plurimas* ait *injurias à metu proficiſci, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo.* Xenophon aſſonat, & *multos*, inquit, *ego novi, qui calumnia adducti aut ſuſpicione, dum metuunt alios & prævenire malunt, quam præveniri & perpeti, atrociſſimis malis eos affecerunt qui nihil tale facturi fuerant, ac ne cogitaverant.*

De Repetitione. §. 10. Secundam cauſam juſti belli fecimus repetitionem rerum, quæ nobis debentur.

2. Off. *Duo enim ſunt genera decertandi*, ut præclarè Cicero, *unum per diſceptationem, alterum per Vim: cumq; illud proprium ſit hominũ, alterum beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Repetimus autem, quod ſuprà injectum, quod vel noſtrum fuit, vel nobis debetur ſive communi hominum, ſive peculiari noſtro jure Commune hominum jus, τὰ κοινὰ δίκαια dixit Plutarchus, depoſcit, ut maria, terræ, portus ad innoxium tranſitum ob juſtas cauſas qua perſonis quà rebus pateant: ut legati admittantur & incolumes dimittantur: ut expulſi ob copiam nimiam patria & novas ſedes quærentes, ſi poſtulent deſertum ac ſterile ſolum in territorio noſtro, admittantur jure imperii populo veteri ſalvo manente, & ſi quæ

ftam bellandi causam porrigere possunt. Quomodo Moses, cum transeundum haberet per alienos fines, primum Idumæo, deinde Emoræo has tulit leges: iturum se via regia, nec deflexurum ad possessiones privatas. Si qua re ipsorum haberet opus, justum pretium eis persoluturum. Notanter diximus, innoxium esse transitum oportere: quòd si hostes aliquis meos secum ducat, aut aliena invasurus est, negare transitum imò occurrere ei & armis iturum occupare jus & fas est. De jure nostro peculiari hoc addimus, non esse illud nimis longè repetendum, aut obsoletas prætensiones solicitandas quid enim hinc aliud, quam omnium inter se gentium bella existent? Romani olim Antiocho objiciebant, quod repeteret urbes, quas ipse, pater, avus, nunquam usurpassent: quid dicturos fuisse arbitramur, si JCtorum præcipuum audivissent Romano Imperatori hodierno Imperium universi orbis asserentem, alios Pontifici Romano in omnia Imperia terræ universalem dominatum vindicantes? Nimirum, quæ bello amissa sunt, aut pactionibus vel derelictione in aliarum gentium aut regum jus transierunt, eodem jure constant, quo Romani olim orbis partem florentissimam sub jugum miserunt. *Num. 20. & 21.*

§. 11. Ultima causa erat Coërcitio & animadversio injuriæ acceptæ. Sed nec quævis injuria bello vindicanda est & maximâ cura providendum, ne in alios, quàm, qui pœnam commeriti sunt, animadvertamus. Nam primò, quæ bella ob pœnam reposcendam suscipiuntur, nisi manifesta sint & atrocia scelera, aut alia aliqua ca usa concurrat, injustitiæ suspecta esse incipiunt. Quod si scelera talia sunt, per quæ societas civilis, jus naturæ atq; gentium immaniter violatur, non tantum in nos aut subditos nostros barbaro ritu admissa, sed & in alios, quibus, ut modò dicebamus, subvenire naturæ cognatio jubet, justam belli causam efficiunt. Quomodo commendationem meruit Valerij Maximi Theseus, *quod, quicquid ubiq; monstri aut sceleris fuit, virtute animi ac robore dextræ comminuit*. Aristoteles tres recensetmilitaris virtutis fines; primus est, ne nos ipsi aliis serviamus: secundus, ut principatum quærant eorum, quibus imperant utilitatis gratia, non injustæ in omnes dominationis causa: tertius, ut his, qui servire digni sunt, dominentur. Ultimum finem explicat Isocrates in Areop. Laudans *lib. 5. cap. 3. lib. 7. Polit. Cap. 14. sub fin.* De pœna.

enim mores & instituta veterum Athenienſium, exiſtimâſſe eos ait, *juſtiſſimum maximèq; neceſſarium bellum id eſſe, quod contra feras & truces animantes gereretur: alterum ab hoc, quod contra barbaros: eſſe enim hos idoneos & dignos, qui Græcis ſerviant.* Quod univerſim dictum nobis minimè placet, per ea, quæ diſputavimus diſſertatione Tertia; cum eâ quam diximus, limitatione tolerari quadantenus poſſet. Cæterum inferre bellum populis, quod à Religione Chriſtianâ abhorreant ſeu eo prætextu, ut Chriſti regnum amplificetur, nulla ratione tolerari vel debet vel poteſt. Veriſſimum enim illud Tertulliani: Evangelium non ſe vindicat ultore gladio: nec regnum Chriſti ad indolem mundanorum imperiorum ut hodie fieri ſeriò dolemus, quando Epiſcopi pleriq; cum ſpiritualium choro prorſus carnales facti ſunt, exigendum eſt. Quo reſpicit Canon Concilij Toletani: *Præcipit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cujus enim vult DEUS miſeretur, & quem vult, indurat.* Alterum punctum pœnæ juſtæ attingit ejuſdem exercitium in ſceleris autores & participes. Quales ſunt, (verba citamus Hugonis Grotij) *qui factum vitioſum jubent, qui conſenſum requiſitum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præſtant, aliove modo in ipſo crimine participant: qui conſilium dant,* (τὸν βουλεύσαντα τῷ πράξαντι μᾶλλον ἀδικεῖν pronunciat Ariſtoteles) *laudant, aſſentantur: qui cum ex jure propriè dicto teneantur vetare, non vetant; aut cum teneantur ex ſimili jure opem ferre injuriam patienti, non ferunt; qui non diſuadent cum diſuadere debeant, qui factum reticent, quod notum facere ex jure aliquo tenebantur, hi omnes puniri poſſunt, ſi in ipſis talis ſit malitia, quæ ad meritum pœnæ ſufficiat.* Adde quæ loco citato explicationis cauſa lectu prorſus dignißima ſubjunguntur, quomodo à ſubditis ſive veteribus ſive advenis in Rectores, & viciſſim à ſumma poteſtate in ſubditos tranſeat culpa.

lib. 2. de J. b. cap. 21. n. 1. ſeqq.

De cauſis ſuaſoriis.

§. 12. Nunc cauſas ſuaſorias quarum προφάσην injecta mentio eſt, velut in faſciculum collectas, ſub ictum oculi ponamus. Perinde autem eſt, ſive ſuaſorias eas appellemus, ſive injuſtas, cum, quicquid juſtam bellandi rationem non habet, & ſi utilitatem præferat, & ejus aſpectu ſuadeat belligerare injuſtum cenſendum ſit, utut juſti ſpeciem oſtentet. Quemadmodum vero rectum obli-

qui

qui norma est, ita ad justas examinandum causas, quicquid causarum ab hominibus bello obtendi solet. Defensionem supra suis limitibus inclusimus. Hos egreditur metus incertus dum sumere nos rectè censemus arma posse ad imminuendam vicini potentiam crescentem, quæ nimis aucta nocere nobis posset. Utile quidem tale bellum esset, & expetendum, si causa justa concurrat: sin minus, belli porta non patebit, sed cautionis & munitionum. Repetitionem ejus, quod nobis debetur, allegare nequeunt, queis in magna copia fœminarum matrimonium negatur, aut fœcundius solum illis, quos nulla expulit necessitas: neutrum enim deberi hoc casu censendum est. Sic imperatori hodierno, aut Regi Franco Galliæ, nullum jus reliquum est ad recuperanda, quæ olim Romani vel Franci bello acquisiverunt: nec Ecclesiæ aliquod jus à Capite Christo resignatum est, cujus vi regna mundana affectare possit: nec iis, qui dominico Imperio premuntur, ex naturali omnium hominum libertate jus competit, jugum bello excutiendi, sub quod Victoriæ aut alio idoneo jure missi concesserunt: minimè vero cultioribus gentibus jus à Natura tributum est, Barbaros tanquam, qui serviant, dignos bello petendi & subjugandi: deniq;, si quis quid debet non ex justitiâ propriè dicta, sed ex virtute alia, puta liberalitate, gratitudine, misericordia, dilectione, id sicut in foro exigi non potest, ità nec armis deposci. Facessant igitur bella in ingratos, similesq;. Tandem vindictam, quæ tertia erat belli causa, nequicquam allegant, qui paganos, hæreticos, schismaticos, quorum nemo nocuit nobis, punituri, arma in alienos quoq; expediunt: de quibus, quantum satis est suprà dicere nos meminimus.

Vid. Disp. III. §. 4. 5.

§. 13. Jura belli suscipiendi perstrinximus: id restat, ut, num jure ad bellum suscipiendum liquido & manifesto competente, protinus ad arma sit veniendum, videamus. Profecto, si vir bonus & prudens in privatis controversiis, quacunq; tolerabili pactione incredibiles litium molestias quàm lubentissimè redimit, inter quas eminent sine fine ampliatio, vafræ artes, animus exulceratus, impendia, avocatio melioris negotii, odia deniq;: quanto magis Rectori civitatis conveniet non statim ad arma ruere, potissimum, si cum valentiore res sit, magis vero verbis experiri, possis ne, quod jus est, obtinere, nec sanguine humano prodigè uti, sed incommo-

De bello non temerè suscipiendo.

da belli prius animo pensitare, quam ad arma conclamet? Illa nobis experientia admetitur non modo neq; trimodio verum ipso horreo. Ubiq; vastitas, stupra, cædes publica mala & privata, eoq; sæviora, quia indiscreta & promiscua. *In pace*, ait Tacitus, *causæ & merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes & noxij juxtâ cadunt. Quorum malorum*, verbis uti liceat Augustini, *multa & multiplices clades, diras & duras necessitates, si, ut dignum est, eloqui velim, quanquam nunquam sicuti res postulat possum, quis erit prolixæ disputationis modus?* Taceo nunc fortunam & Martem ancipitem atq; ἀλλοπρόσαλλον: quod omne bellum sumitur facilè, ægerrimè desinit, nec in ejusdem potestate est initium & finis: quod nihil tàm capax malignitatis & sermonum, maximè in Rectores, quàm Bella: infinita alia, quæ funestissima Germaniæ facies repræsentat, mala prætereo. Quamobrem jure nostro certo inprimis spectandum, quid prudentia, quid lex jubeat Christianæ charitatis. Atq; adeò, quod de prælio dicere solebant Scipio Africanus & L. Æmylius Paulus, id huc apprimè quadrat: Non esse decertandum, nisi summa necessitudo, aut summa data occasio esset. Quod si tanta circumspectione opus in bello etiam ex justa causa suscipiendo, ne prudentiæ leges & charitatis, quam tantopere nobis commendabat abituriens Servator, migrentur, cui amplius esse potest obscurum, indeprecabili ac pestilentissimæ temeritati caput adstringere eos, qui ex quacunq; suasoria causa, falsam obtinente justi speciem, in bella procurrunt?

De causis dubiis.

§. 14. Vidimus justas causas: vidimus suasorias: quid si dubiæ sint causæ? In Politices parte Generali, quam Ethicam dicimus, quo loco de Principiis humanarum actionum agitur, conscientia ejusq; varietas à nonnullis oportunè satis & rectè evolvi atq; pertractari solet. Est autem Conscientia (ut rem altius paulo repetamus) dictamen Intellectus practicè practicum, seu, quod homini in hoc vel illo casu adeoq; ut in scholis loquimur, hic & nunc præscribit, quid facere debeat aut non facere. Unde patet, dictamen illud cùm Legum divinarum atq; Humanarum cognitione, tum vel maximè prudentiâ & æquitate niti atq; constare. Porrò Conscientiam rectam, dum jubet aliquid fieri vel prohibet, sequi personam tum sui tum alieni juris, rectum est, & bonum; imò probabi-

babilem quoq;, quamdiu talis manet, quippe quæ ratione non adspernanda & authoritate sapientum fulcitur. Qui autem habet conscientiam dubiam, & sequitur eam, omninò peccat, quia, quantum in ipso est, contrà prægnantissimam rationem, quam conscientia in contrarium urget, adeoq; contra ipsam conscientiam vult agere: non autem peccat, qui agere distulerit. Quod si ergo dubia sit causa bellandi, cum tanto sit periculo exposita operatio cum dubio practico conjuncta, abstinere bello satius est, secundum illud: *Quod dubitas, ne feceris*: vel dare operam, ut dubia prius eximantur, quam ad agendum procedamus. Huic rei media offert H. Grotius, colloquium, sortem, arbitrium & nonnunquam certamen singulare: ipse adeatur. Quia in hanc materiam necessitas nos deduxit, non arbitramur, præter rem futurum, si de Conscientia errante tria verba addantur. Qui conscientiam errantem sequitur, errore insuperabili seu invincibili per humanam industriam, non peccat: secus est, & peccat, si error profligari diligentia nostra & vinci queat. Hinc illud quoq; patet, fieri posse, ut bellum utrinq; non sit injustum, non quod utrinq; justum esse bellum possit (nam nec id in privatorum controversiis, quæ minus intricatæ solent esse, quam populorum jura, fieri potest) sed quod ob ignorantiam vel errorem humana ope inevitabilem neuter bellantium injustè agat: injustè enim agit nemo, nisi qui ἐκ προαιρέσεως & scientia agit. Obiter adjiciendum hoc duximus, quomodo subditi in bellis adversus superiores se gerere debeant. Si justitia belli plenè ipsis est demonstrata, sequi jussa superiorum tenentur: si probabiliter, itidem sequi sententiam Principis par est, utpote majore prudentia suffultum: si injustitia belli patet, sequi minimè tenentur, imò vulnus conscientiæ infligunt patentissimum, si militent, (excipimus defensionem) quo casu non ad militandum adigendos, sed, si fieri aliter nequeat, tributa extraordinaria potius imponenda esse censent prudentiores, quibus miles alius conscribi possit. Omnium profligatissimi & perditissimi nebulones (non enim milites dicendi) sunt, quibus in oculis non causa, sed merces: qualium nostra tempora nimis (proh nefas) sunt feracia. *Non enim* Augustino teste, *militare est delictum, sed propter prædam militare, peccatum est*: imò prædonum est. Audiant Ciceronem: *Ea animi*

lib. 2. de J. b. cap. 23.

lib. 1. *elatio*, inquit in officiis, *quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitiâ vacat, non modo virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis.*

De belli denuntiatione. *lib. 6. 1.*

§. 15. Sequitur nunc alterum caput de ratione belli gerendi, in quo primo loco se offert nobilis illa quæstio, An & quando belli sit opus denuntiatione seu indictione? In bello defensivo nullâ opus esse, ex ipso jure naturæ, quod cuiq; arma porrigit, manifestum est, *bellum enim inferentem, is qui impetitur à se repellere solet*, ut ait Latinus apud Halicarnassensem. Sic adversus eum, qui non indicto bello prior nobis vim sanguinem faciendo aut strictis gladiis intulit, non est necessum aut opus præcisè, ut bellum indicatur, si injuriam illam nostro commodo, maximè, si periculum sit in mora, persequi lubeat: *nec est quod verbis & judiciis disceptetur ab illis, qui ultra verba læsi fuerunt, ut apud* Thucydidem Ephorus ille dicebat. Ità perpetuis hostibus, & quibuscum nulla intercedit pactio, aut, si induciæ intervenerunt elapsis illis bella non indicuntur nec rebellibus aut aliis, quorum suprà mentionem fecimus. *Philip. 4.* *Hostis* enim ille demum est, ut Cicero adversus Antonium ait, *qui habet Rempubl. curiam, ærarium, consensum & concordiam civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis.* Si auxilia sociis mittamus, bello se adversus hostem defendentibus nisi ille nobiscum societate aut amicitia junctus sit, non est, quod de bello indicendo soliciti simus: quod si autem communi sententia atq; sumtu ob rem communem belligerandum est, ut omnium voce bellum denuntietur jus Gentium cultiorum deposcit. Ex his liquet, verè olim à dione Chrysosthomo dictum: *pleraq; bella sine denuntiatione suscipiuntur.* Extra memoratos casus belli denuntiatio omnino est necessaria ex consensu cultiorum gentium. Est autem denuntiatio vel conditionata, quæ cum rerum repetitione conjungitur, ut si minus satisfiat, bellum indicatur: vel pura (priorem ea interdum sequi solet) quæ locum habet, ubi bellum jam alter intulit, aut ea deliquit, quæ pœnam merentur. Quanquam ἐκ περισσίας & ex superabundanti sœpè est, quod talia bella indicantur. *lib. 2. de Rep. Ebræ. cap. 20.* Quo referimus sententiam Maymonidæ, de qua videatur Cunæus, qui arbitratur Ebræos quoq; qui mandatum acceperant de puniendis septem populis Chananæis, eorumq; fortunatis sedibus occupan-

cupandis, non prius arma & vim paraſſe, quam feciales miſiſſent cauſâ offerendæ pacis & lege quam ipſis daturi erant Iſraelitæ. Cæterum indictum bellum ei, qui habet in populo ſummam poteſtatem ſimul indictum, cenſetur non ſubditis tantum ſed & ſociis ejus. Attamen bello finito ſi propter auxilia miſſa populus ſit bello petendus, non jam ut cum acceſſorio agendum, ſed ut cum principali, atq; propterea opus indictione eſt, quemadmodum feciſſe Romanos legimus bellum cum Philippo Rege Macedonum geſturos. Cur denuntiatione opus exiſtimarint eſſe gentes rectè Grotius exponit: videlicet non tantum, *ne quid clam aut dolo agerent*, verum inprimis *ut certo conſtaret non privato auſu ſed voluntate utriusq; populi, aut populi capitum geri bellum.* Idem Grotius & in eo verus eſt, quod ſubjungit de more Romanorum, qui ſpatium ei, cui bellum indixerant, dierum trium & triginta relinquebant, ut adverſus vim ſe quoq; præparare ritè poſſent. Quod rectè negatur ſemper neceſſum eſſe. *lib. 3. d. J. b. cap. 3. num. 11.*

§. 16. Ad belli progreſſum pertinet, tum ut fides quàm religioſiſſimè conſervetur, tum ut quàm minimo ſanguine decertetur. Quantum in bello liceat, pluribus ſucceſſurâ, cum DEO, diſputatione dabimus explicatum. Hic notamus, fidem vel in verbis relucere vel in rebus. A rebus ſeu factis omnis dolus abeſſe debet improbus. Unde humanioribus gentibus hæc ſtetit ſententia, non proditionibus hoſti nocere, non ſubmiſſis vel emtis percuſſoribus quorum facto perfidia ineſt, ducem (niſi forte ipſe defector ſit) necare, & ſi quid ad proditionem quàm proximè accedit, eo non uti qualia ſunt ficta transfugia & Zopyrianismi: *neq; enim fides ejus in regem perfidiam in eos ad quos confugerat, excuſare poteſt*, ut rectè cenſet Magnus Hugo. Eadem fides vetat veneno in hoſtem graſſari, aut venenatis beſtiis uti, aut ſpicula fontesve veneno inficere: *armis* enim *bella non venenis geri debere* tradit Valerius Maximus. Cauſam aſſignat Grotius, quando *credibile* inquit *eſſe à regibus id profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur, à veneno minus quàm aliorum tuta eſt, niſi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ.* Cæterum de armis, quæ jura belli permittunt, dicetur diſputatione ſequenti. Eadem fides ab omnibus pactionibus, quæ bello durante fiunt, abeſſe dolum improbum jubet, præſertim ab

De dolo malo.

lib. 3. cap. 24. num. 2.

lib. 5. cap. 5.

lib. 3. cap. 4. num. 19.

lib. 3. cap. 21. ab induciis, commeatu, captivorum redemtione quorum explanationem solidissimam cum præstet H. Grotius hisce huc lectorem nostrum nunc remittere cogimur. Quod si inferiores duces aliquid promiserunt vel pacti sunt, quod in ipsorum manu fuit v. c. inducias, obligantur ipsi ad fidem servandam; ipsi, inquam non item alij duces: sin autem tale quid promiserunt, quod ipsorum arbitrii non erat concedere, quodq; limites mandati publici (non etiam secreti) excedit, quin rescindere id queat summa potestas, cap. 23. non relinquitur dubitandum. An & quomodo in bello privati fidem servare debeant, videsis apud Grotium. Deniq; ut à factis ita à verbis quoq; dolus improbus abesse debet, omnisq; cavillatio, quæ timidum arguit & perfidum animum procul haberi, ubi verbis quædam pacti sumus.

De dolo bono. §. 17. Hæc quemadmodum recto stare talo arbitramur, ita nihil officere illis dicimus, quæ de dolo in bellis licito ex communi gentium consensu tradunt Autores. Etenim quanquam aliàs mentiri res sit indecora, & quæ juri nostro atq; in judicando libertati vim infert, eò quod teneatur quisq; vocibus, ut sonant, adeoq; ut sunt κατὰ συνθήκην signa mentis, uti: tamen in bello non tantum veritatem occulere ac dissimulare (nam hoc quoq; extra bellum locum habet) sed & mendacium hosti adspergere licitum, imò, si respondet eventus, commendatione majori dignum censetur. Quomodo prudentes duces, cum rem magnam moliuntur, lib. 8. spargere famam solere memorant scriptores de se ægrotis vel mortuis: quod de Hannibale refert Polybius. De strategematibus pleni omnes sunt libri: nobis nunc sufficere debet judicium Augustiquæst. 10. super Josuam. ni, qui, *cum justum*, inquit, *bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis, an ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Inprimis tractationibus id agi solet, ut per injectas spes hostis securus & negligens reddatur sed τὸ νάιφε καὶ μεμνασ' ἀπιξεῖν. τᾶυτα νεῦρα τῶν φρενῶν. Exploratores in bello utramq; paginam faciunt: armis quoq; non novis tantum sed & falsis, ut & vestibus, insignibus cæterisq; quæ errorem vel terrorem hosti objciant uti belli jura permittunt.

Corolla.

Equitatum peditibus postputandum disputat in Politicis Lipsius: quem egregiè refutat Piccartus in Comment. super Polit. Arist. lib. 4. cap. 13.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0252
DFG

DEO DUCE!

THESIS I.

DISP. XVI. Resp. PAULO BARVER Slesvicensi,

INcæpimus agere de eo quod in belli progressu licet; (esse enim aliquod fas & armorum & hostium ex dissertatione præcedente repetimus) quam rem velut duplici limite designavimus, fidei primum, quam religiosè in bello non minus quàm pace colendam diximus, & deinde, ut quàm minimo sanguine, non fortuitis pugnis aut ad ostentationem comparatis decertetur. Quo spectant strategemata cæteraq; artes bellicæ, per quas fieri solet, ut parcatur humano sanguini, & per insidias sanguinarius hostis præveniatur, imò circumveniatur. Id prius, quàm progredimur, ex dissertatione prima repetimus, Vocem licere non tantum significare, quod salvo pudore & æquitate fieri potest, sed illud quoq; quod apud homines pœnæ non subjacet, utut adversetur pudori, vel multo rectius majoriq; apud æquos & bonos laude omittatur. Quomodo Victori omnia in victos licere dicuntur, quod impunè omnia facit, v. c. indiscretè & gregatim captos occidat, fœminas constupret, vastet sine necessitate res tam sacras quam profanas, inq; omnibus insanæ cupiditati frœna laxet: quæ tamen à recti, sanæ rationis, pudoris & æquitatis regula exorbitant. Menippus quidem apud Livium *lib. 32.* *Victorii jus atq; arbitrium* esse dicit, *quid vellet, de victis statuendi*: & humanius paulo Thucydides in oratione Thebanorum de his, *qui in conflictu erant occisi, accidisse hoc illis ait jure quodammodo*: sed meminerimus, intelligi his locis strictum, prædurum summum jus, quod, quatenus opponitur naturali æquitati & ἐπιεικείᾳ, summa, ut ait Comicus, injuria est. Quamobrem nos licentiam bellicam intra sanæ rationis terminos arctabimus, nec tam quid absolutè loquendo liceat, seu impunè fieri possit, sed quid salva pietate, humanitate, æquitate & pudore facere Victori conveniat, expen-

temus. Quanquam vero hæc jura belli gerendi jura nominanda fuisse videri possit, eò quod ad belli pertineant progressum, nec à Victore semper exerceantur, maluimus tamen juris Victoriæ nomen præfigere, quod actus juris hujus maximè conspicui sint Victoria de hostibus parta.

Duo præcognoscuntur.

§. 2. Diligenter enim & accuratè duo sunt tempora distinguenda: unum, cum adhuc bellum geritur certaturq; ; alterum, cum certamini finis impositus, ac plenè parta Victoria est. Dum adhuc in ancipiti versatur Martis alea, & collatis signis pugnatur, vi certè quanta potest, maxima uti licet, quò superbus hostis & instans debelletur: aliter autem cum prostrato & victo agendum. *Quanta* enim *pervicacia in hostem, tanta beneficentia in supplices utendum*: sicut Romanis juris & æqui observantibus placuisse rescribit Claudius Imp. Quare dum in acie resistit hostis, & nostram vitam petit, non impunè tantum, sed & salva pietate & charitate occiditur: neq; enim jubemur proximum magis diligere, quàm nos ipsos, sed adæquè: primum nos, deinde proximum sicut nos ipsos. Hoc primum est, quod præcognoscimus. Alterum ut intelligatur ex superiori Disputatione repetimus, bella omnia ex generali fonte injuriæ oriri, quæ vel propulsanda, vel reparanda, vel ulciscenda venit. Unde patet hoc Victori agendum esse ut dematur injuria non tantùm, verum etiam ferus hostis in hominem, ut ait Seneca, cogatur, quo inposterum desinat injuriarum. Quare ad duo generalia capita revocari jura Victorum possunt, videlicet, demtionem injuriæ & in posterum securitatem.

Tac. lib. 12. An.

§. 8.

Tres generales regulæ.

§. 3. Atq; hæc ipsa jure Naturæ monstrantur, unde fluunt tres illæ generales regulæ, quas libro tertio præstruit H. Grotius, cujus in hoc argumento vestigia vel hoc cum primis nomine, quod auditoribus nostris crebro commendare nos de jure pacis & belli libros meminerimus, ut alibi, ita hic quoq; nobis legenda duximus. Primam regulam deducit ex natura finis, qui bonitatem ordinem & mensuram largiri mediis assolet: *Quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria moraliter, ad ea jus habere intelligimur.* Quare, si vitam aliter servare non possum, licet mihi vi qualicunq; arcere eum qui impetit, etiamsi forte is peccato vacet: jus enim defensionis non ex injustitia aliena nascitur, sed ex eo, quod natura quemq; sibi

sibi commendat. Quin & rem alienam, ex qua certum mihi periculum imminet citra culpæ alienæ considerationem invadere possum: non tamen dominus fieri: id enim ad eum finem accommodatum non est: sed custodire, donec securitati meæ satis cautum sit &c. Secunda regula est, *jus nostrum non ex solo belli principio spectandum, sed & ex causis subnascentibus.* Sic qui se aggregant me impetenti, sive socii sive subditi, in se quoq; tuendi me mihi porrigunt. Sic qui bello se miscent quod injustum est, præsertim si ipsi id injustum esse scire possunt ac debent, obligant se ad sumtus & damna resarcienda quia culpa damnum dant. &c. Tertia regula est: *ad jus agendi multa consequi indirectè & extrà agentis propositum, ad quod per se jus non esset.* Sic etiam innocentes, si interpositi defensionem aut fugam, sine qua evadi mors nequit, impediant, jure obteruntur. Sic navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti potest, etiamsi intra eandem navem aut domum sint pauci iufantes, mulieres aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum. Sed hæc cavenda esse monet H. Grotius nisi multo majus sit bonum, quo nostra actio tendit, quàm malum id quod metuitur, aut nisi in pari bono & malo multò major sit spes boni, quàm mali metus, quod prudentia arbitrandum relinquitur: sed ita ut semper in dubio ad eam partem, quæ alteri magis quam sibi consulit, ut tutiorem inclinandum sit. De iis, qui cum non sint hostes, nec dici velint, hostibus tamen res aliquas subministrant, puta quæ & in bello & extra bellum usum habeant (nam qui ea suppeditat, quæ in bello tantùm usum habent v. g. arma, hostium loco hatendus: qui ea, quæ nullum in bello usum habent, advehit, nullatenus accenseri hostibus potest) quid sentiendum sit, apud ipsum Grotium videtis capite citato.

§. 4. A generalibus hisce descendimus ad ipsa Imperatorum jura κατὰ μέρη enumeranda. Atq; ut ordine progrediamur & distinctè, primò videamus, quid Gentes stricto jure in bello licere sibi voluerint, ea scilicet licentiæ acceptione, quæ impunitati respondet: deinde quid æquitati in bello conveniat, quidq; salva conscientia honestate & pudore fieri possit. Primum jus Imperatorum seu Victoriæ est jus interficiendi hostem, (repetendum ex superiori disputatione, quem hic hostem dicamus) quod Cicero ad Cæ- De jure occidendi hostem

sarem oratione pro Marcello expressit: *Cum ipsius victoriæ conditione jure omnes occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus.* Et hoc quidem jus hostis cædendi non eos tantum contingit, qui arma opponunt, sed omnes subditos, imò eos quoq; qui intra fines sunt hostiles, cum hoc tamen discrimine, quod subditos propriè dictos hostis mei ubivis tanquam hostes interficere belli leges permittunt, peregrinos autem dum intra hostis præsidia sunt. Victoriæ hoc jure cædes infantum, fœminarum, captivorum, imò
lib. 28. supplicum, deditiorum (sine tamen pactione vitæ) obsidum comprehenditur. Apud Livium Alcon ad Saguntinos, *Hæc*, inquit, *patienda censeo potius, quàm trucidari corpora vestra, rapi trahiq; ante ora vestra conjuges ac liberos belli jure sinatis.* Et plenæ rigoris hujusmodi omnium gentium sunt historiæ. Porrò pudicitiam Vitæ non tantum communis æstimatio, sed & divina lex adæquat: quæ ipsa quoq; juri armorum subjacet, & passim in fœminas stupra legantur permissa. Effossio item oculorum, manuum pollicumne vel pedum amputatio aut simile quiddam naturam deformans hominum, ubi justa sæviendi causa est, puta cum hostes virulentissimis nos convitiis lancinârunt, aut crudelissimè nostros habuerunt (non autem huc trahenda est pertinax defensio) ex jure talionis bellicæ usurpata leguntur. Capti quoq; duces necari possunt, cum satius esse videatur unius ducis culpæ totius authoris nece exsaturari, quàm in totam sævire multitudinem: & necari possunt non militari tantum, sed & atroci aut immani supplicio, ubi id perfidia eorum & crudelitas commeruit. De venenis suprà dictum est, nec repetimus ibi dicta aut extendimus: saltem de armis hoc addimus, seu vetera illa sint seu novitiæ inventionis, adeoq; omne genus armorum usurpari licitè potest. Tandem licitè quoq; in bello bestiis pugnatur, puta, Elephantis, canibus, leonibus, apris, ursis aliisq;.

Æquitas seu moderatio hujus juris.

§. 5. Hactenus quid impunè fieri in hostium cæde possit, diximus: nunc quid salvo pudore, æquitate & honestate fieri possit, videamus. Cyprianus, *Homicidium*, inquit, *cum admittunt singuli, crimen est, virtus vocatur cùm publicè geritur, impunitatem sceleribus acquirit non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.* Deinde: *Consensere jura peccatis, & cœpit esse licitum, quod publicum est.* Et pro-

profecto occidi neminem hominem conscientia salva posse, nisi vel nostram petat vitam nisi cæde vix repellendus, vel tale facinus admiserit, quod capitis pœnam mereatur, ex Naturæ præceptis liquidum esse arbitramur. Non autem est capitale facinus, quod ex animo invito sive per vim sive per ignorantiam, sed quod ex animo sciente & deliberato promanat. Porrò, non tanti est æstimanda injuria, cujus causa est perturbatio vel affectus, quanti venit facinus ab improbo & destinato ortum. Omnino distinguenda est plena injuria (ἀδίκημα) ab infortunio, (quod ἀτύχημα) eoq; actionis genere, quod Aristoteli ἁμάρτημα dicitur. Sed & distinguendi authores belli ab iis, qui seduci se passi sunt: iterumq; in belli authoribus causæ variæ esse possunt: sunt enim quædam justitiæ specie plausibiles, quædam ea prorsus carentes. In illis Victorem oportet facilem se præbere humanis erratis: quin &, ubi justa bellandi causa defuit, sæpè æquitas & magnanimitas (videlicet ubi exempli res non est) ignoscere, supplici præsertim, jubet. Alexander apud Curtium *quanquam belli authoribus poterat irasci, omnibus tamen* legitur *veniam dedisse*. Puerum ætas excusat, fœminam sexus, ut Seneca ait: non enim adversus imbellem turbam, sed palam adversus armatos bella tractanda sunt. Quare universim abstinendum cæde illorum, quorum vitæ genus ab armis abhorret, putà clericorum, studiosorum, sed & agricolarum, mercatorum, opificum, quamdiu tales manent, nec ipsi arma capessunt. Eadem lex humanitatis & æquitatis parcere capto jubet, nec repudiare deditionem paciscentium vitam salvam, sive in prælio, sive in obsidione, sive murum aries percusserit, sive vis nondum fuerit adhibita: parcere item supplicibus, quomodo dictum est, maximè vero obsidibus, nec committere, ut alieni periculi succidanei fiant. Stupra vero hominem, maximè Christianum, penitus dedecent. Ælianus cum narrasset à Sicyoniis victoribus fœminarum ac virginum Pellenæarum pudicitiam prostitutam, sic exclamat: *Crudelia hæc per DEOS Græciæ, & quantum memoria complector, ne ipsis quidem barbaris probata.* Tandem elephantorum, canum, leonum, ursorum usus (de promiscua ignivomarum machinarum displosione dubitare pectus pium & æquum possit) vix naturali æquitati conveniet, & pietati, ne de charitate Christiana nunc dicam.

De jure vastandi.

§. 6. Proximum huic jus est vastandi rapiendiq; munitiones hostium, portus, urbes, villas, naves, fructus, pecora & quæ his sunt similia. Neq; hinc sacra excipiuntur, quippe quæ sua natura non sunt DEO aut Divinis usibus dicata, sed à populo segregata, qui temporum necessitate in profanos usus eadem redigere potest, ut minimè mirum sit, populo subjugato res sacras ad pristinum statum, quo antè, quam sacrarentur, erant, relabi. Accedit, quod non eadem omnibus sint sacra: quod si autem in simulacro numen aliquod inesse creditur, id violari aut corrumpi nefas duxerunt gentes ab iis, qui in ea opinione conveniunt.

Ejus temporatio. *lib. 5.*

§. 7. Hic locus est adducendi gravissima Polybii verba. *Sævire quidem*, inquit, *& hostium castella, portus, urbes, villas, naves, fruges devastare, aliaq; hù similia, quibus illorum vires atterantur, nostræ confirmentur, leges ac jura belli permittunt: ea vero destruere, quæ nec propriù rebus emolumenti quicquam afferunt, nec hostibus detrimenti, ut sunt templa, porticus, statuæ, aliaq; hujusmodi, rabiosi hominis est ac planè furentis.* Ex hoc Polybii loco plerasq; regulas exstruxit vir summus H. Grotius, (quem in tota hac materia nostris lectoribus commendamus) quibus vastandi libidinem coércet; ut abstineatur rebus frugiferis, quæ hostibus esse in fructu non possunt, quod tanto majus habere momentum debet, si magna sit spes celeris victoria: ut non vastentur, per quæ parum vel nihil detrimenti hostibus affertur, maximè sacræ res & religiosæ putà sepulcra aliaq; ornamenta templorum. Sic enim, inquit Grotius, fiet, ut magnum hosti telum eripiatur, desperatio, simul animi hostiles hac moderatione & clementia frangantur, concilienturq;. Alibi idem Polybius non rectè à Victoribus fieri ait, si quævis captarum urbium ornamenta secum auferant. Primo enim invidiam hæc res habet, quæ maximè illis, qui potentiam habent, formidanda est: deinde omnes miseratio eorum, quibus ablata sunt, tangit, odium eorum qui abstulerunt: tum illis ipsis, quibus erepta, calamitatum suarum memoria refricatur; *propriarum autem calamitatum recordatio quasi quædam adhortatio est ad odio habendos eorum autores.* Cæterum in urbium occupatione tanto magis curandum, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat, quo major isthic copia hominum innoxiorum est, quæ ipsa res DEUM impulit, ut veni-

veniam Ninivitis ad sanitatem redeuntibus haud gravatè, quæ est erga humanum genus ejus benignitas, indulgeret. Nec probavit Cicero eversionem Corinthi, quanquam fœdè isthic erant tractati Romanorum Legati, quia jam parta erat victoria, & satius fuerat nocentes plectere, quam incendiis ruinisq; in tecta innoxia, murosq; sævire. Et Alexandrum Macedonem narrant nullius rei à se actæ magis ductum pœnitentia, quàm quod Thebas evertisset, ut-ut pro communi hoste steterant, communiq; ceciderunt Græciæ consensu. Causas sufficientes eversionis urbium scriptores harum rerum arbitrantur, si oportunitas loci hostes ad rebellandum invitet, cujus rei metus Carthaginem delevit, si hostium sit receptaculum, si gravissimo crimine tenetur, si teneri commodè & ex usu nostro nequeat, quibus addunt contumelias & terrorem aliorum: quæ omnia ex prudentia & charitate, quam homini homo debet, modum capient.

§. 8. Pergimus ad jus acquirendi bello capta, de quo præclara habet H. Grotius, cujus, ut non semel facere nos meminimus, ita hic quoq; non pudet esse nos velut Epitomatores. Et jure quidem naturæ bello justo ea à nobis acquiruntur, quæ aut paria sunt ei, quod cum nobis debitum sit, aliter consequi non possumus, aut etiam, quæ nocenti damnum inferunt intra æquum pœnæ modum. Verum jure gentium quivis in bello solenni sine fine modoq; dominus fit eorum, quæ hosti eripit, eo sensu nimirum, ut à gentibus omnibus & ipse & qui ab eo titulum habent, in possessione rerum talium tuendi sint. Cæterum placuit in hac quæstione gentibus, ut cepisse rem is intelligatur, qui ita detinet, ut recuperandi spem probabilem alter amiserit, seu ut res persecutionem effugerit: quod in rebus mobilibus ità procedit, ut capta dicantur, ubi intra fines, id est, præsidia hostium perducta fuerunt. At is demum ager captus censebitur, qui mansuris munitionibus ità includitur, ut nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit. Quæ omnia non debent extendi ad res, quæ apud hostes quidem sunt, sed quorum domini nec hostium sunt subditi, nec hostilis animi. Quæ vero hostibus per nos erepta sunt, ea vindicari nequeunt ab his, qui ante hostes nostros ea possederant & bello amiserant. Disputari solet, cui in bello solenni res hostium acquiratur, ipsi

De jure captà acquirendi.

ipsi ne populo an singulis qui de populo aut in populo sunt, ubi distinguendum est inter actus verè publicos belli & inter actus privatos, qui fiunt occasione belli publici: per hos actus privatis res quæritur primò ac directe; per illos actus populo vel ei, qui in populo summam obtinet potestatem. Solum & res soli nisi publico actu, inducto exercitu, impositis præsidiis capi non solent: at res mobiles & se moventes aut in ministerio publico capiuntur, aut extra illud. Si extra ministerium publicum, fiunt, singulorum capientium: sin actu bellico, quatenus singuli reipubl. personam sustinent, ejusq; vice funguntur, populus ut possessionem ita dominium nanciscitur & id in quos vult, transfert. Itaq; prædæ dominus est populus: quanquam Imperatoribus sæpe ejus dispensandæ arbitrium permittatur, sed tale, ut actus sui rationem populo debeant. Inde legas, modo in publicum relatam prædam, modo militi datam, vel dividendam pro ratione stipendiorum aut meritorum, (ntrovis modo fieret divisio, licebat imperatori accipere præcipuum, quantum æquum arbitraretur) vel diripiendam, maximè post prælium opidive expugnationem. Sed & alios in prædæ societatem venisse passim legas. Et illud tacita consuetudine ubiq; ferè inductum, ut sua faciant, quæ capiunt aut socii, aut subditi qui sine stipendio & suo sumtu suoq; periculo bellum gerunt. Quanquam vero hæc ita sint, & capta publico actu populi aut regis bellum gerentis, privato privatorum fiant, potest tamen populus quisq; inter suos aliter constituere, & dominium singulorum ante vertere, ut in jure venandi factum videmus.

Ejusdem moderatio.

§. 9. Viso, quid in captis rebus arbitrio Victoris resignaverint gentes, facilimũ erit invenire moderationem & temperamentum. Nam humanitatis est & æquitatis non rigidè persequi jus suum, sed, quam rem sub potestatem tuam redegeris, possessori & colono veteri, qui multo ægrius eã cariturus est, concedere atq; indulgere. Qua in re Romanos legas æquissimos se præstitisse. Quanquam enim non tantum pro consequendo debito primario, quod bello originem & causam subministravit, verum etiam ad impensas belli & subinde illata damna repensanda & capi & acquiri res subditorum possint, tamen, cum ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον quicquid delirant reges, subditi plectantur, aut, si sint aliqua culpa obstricti, impa-

impari teneantur, ad eos, qui culpa vacant, prius non est veniendum, quam noxii bonis fuerunt excussi, quæ si expungendo debito & solvendis impensis non sufficiunt, humanitatis erit strictum jus emollire, idq; operam dare, ut securitatem tibi clementia potius firmandam ducas, quam rigore. In primis caveat humanus Victor, ne temerè opida capta militibus in prædam objiciat. Aurea sunt Cyri verba ad milites Babilone capta: *Injustè quidem non possidebitis, quæ tenetis: sed si quid non auferetis hostibus, id vestræ erit humanitatis.*

§. 10. Proximum huic est jus imperii in victos. Arioviſtus apud Cæsarem jus esse belli ait, ut, qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: Item, populum Romanum victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse. Cæterum cum imperandi ratio alia sit civilis, comparata in ejus, qui paret, utilitatem primatiò, alia herilis, in utilitatem imperantis potissimum intenta, (de utroq; videatur disputatio Quinta) modo hæc, modo illa in victos Victori usurpata legitur. Romani provinciis à se subactis imperabant heriliter, mittentes Româ quotannis magistratus, qui jus juxta morem Romanorum & lingua quidem Romanâ dicerent, deletis legibus propriis & institutis, præterea immortalia tributa & delectum militiæ imperantes. Tales Treveri, Carthaginenses quoq; ex parte & Annibal vectigalis stipendiariusq; & servus pop. Romani à Patre relictus, quemadmodum Historicus scribit. Et servitus quidem civilis non tollit libertatem personalem semper: hæc enim singulorum est, illa universorum, qui prius, quàm sub jugum mitterentur, civitatis jus habuerunt. Communio enim civilis tantum inter liberos homines intercedit teste Aristotele, nec civitas censenda est propriè loquendo, quæ sui juris esse desiit, ut alibi disputavimus. De Carthaginensibus quod modo ex Livio asserebamus, dubium habet, cum constet primo bello Punico confecto Carthaginenses αὐτονομίαν & jus summi imperii non amisisse. Secundi vero belli finis conjunctus cum diminutione imperii fuisse videtur. nam vetabantur Carthaginenses tam in Africa, quam extra Africam injussu populi Romani bellum gerere, jubebanturq; tributum annuum & obsides dare, cætera liberi suis legibus vivere.

De jure imperii in victos.

Quod si Romanis imperium in Carthaginenses asserendum est, non aliud id quàm civile fuisse censendum. Sed hæc mittamus.

Ejusdem moderatio.

§. 11. Narrat ex Trogo Justinus, qui ante Ninum bella gesserant, non imperium sibi sed gloriam quæsivisse & contentos victoria abstinuisse imperio: primum Ninum amplificandis imperii finibus intentum juri Gentium originem dedisse. Quod ut injustum esse minimè asserendum est, si in pœnam imperium auferatur ab iis, qui justa libertate nimium ad injuriam alienam abutebantur, aut in securitatem nostram, quatenus aliter tuti esse nequimus, ità multò melius fieri arbitramur, si, quantum potest, victis imperium relinquatur. Salustius de Romanis veteribus, Majores, inquit, nostri, religiosissimi mortales nihil victis eripiebant præter injuriæ licentiam. Inde factum, ut victos adeoq; hostes in civitatem reciperent, quomodo *Romam crevisse dicit* Livius *Albæ ruinis*: adeoq; victos victoribus miscerent, quæ tutissima firmandi imperii ratio est, hodieq; florentissimi totius orbis regni Franco-Galliæ exemplo luculenter patet. Atq; relinqui victis imperium sœpè non humanitatis tantum est, sed & consilii, ne videlicet moles imperii nos nimium gravet, ipsisq; quibus eripitur imperium stet exitio: itaq; non paucos populos, qui sub Romano imperio esse vellent, ab ipsis repudiatos; aliis etiam reges datos notat Appianus. Quod si imperium victis relinqui minus ex usu futurum est, non tamen erit inconsultum circa res minores suas ipsis leges, suosq; mores & magistratus relinqui, ut tanto sint ad jussa capienda promtiores, si serviendi rigor adimatur. Memorat Livius, cum Æmilius Paulus proceres Persei, utpote regio more vivere consuetos, cum filiis, qui annum decimum quintum ætatis excessissent, urbes suas relinquere, & in Italiam Romam migrare jussisset, quanquam mandata illa acerba videbantur, cognovisse tamen plebem, utiliter ea servitute suæ libertati consultum esse. Tandem avitæ religionis usum victis non persuasis non eripiendum exemplo Judæorum; aut si apud victos religio falsa sit, vera ne opprimatur curandum Victori, exemplo Constantini; adeoq; in imperio etiam plenissimo, & quasi herili victos clementer habendos & ità, ut eorum utilitates cum victoris utilitatibus socientur, multis adductis exemplis testimoniisq; probat H. Grotius.

lib. 45.

§. 12.

§. 12. Quintum idq; ultimum jus Victoriæ circa captos versatur, de quibus supra cum de primo Imperatorum jure ageremus quædam diximus, hic plenius paulo explicanda. Occidi captos posse, de rigore juris verum est: quem tamen emollire Gentibus plerisq; omnibus placuit, ut capti capientium servi fierent. Atq; inde servi dicti sunt, quod hi qui jure belli possent occidi, à victoribus conservabantur. Et Aristoteles, *duobus*, ait, *modis servire & servum dici. Est enim aliquis lege servus & homo serviens Lex enim pactum conventum quoddam est, qua lege bello capta eorum, qui vicerunt, eaq; ceperunt, esse dicunt.* Sed de servorum generibus videantur, quæ diximus dissertatione de societate Herili. Ibi enim justitiam bellicæ servitutis asseruimus, ex publica utilitate & captorum delicto. Sed & de justitia servitutis ex nativitate quædam subjunximus, quibus addantur, quæ habet H. Grotius: *ad natos*, inquit ille, *dominium hoc porrigi ideò placuit, quia alioqui, si summo jure captores uterentur, illi ipsi nascituri non erant: cui consequens est, ut nati ante calamitatem, nisi ipsi capiantur, servi non fiant. Ideo autem natos maternæ esse conditionis placuit gentibus, quia serviles concubitus nec lege nec certa custodia erant constricti, ità ut nulla sufficiens præsumtio patrem indicaret.* Huc pertinet severa & dura tractatio servorum, contra quam ne hiscere quidem ipsi audere debent. In servum domino nihil non licere ait Seneca Pater. Et Apostolus Petrus obedire servos jubet non æquis tantum & humanis, verum etiam asperis & præduris. Christianorum quidem moribus servitus ex bello deleta est, substitutaq; costodia captivorum (ea est singulorum qui ceperunt, si excipias personas digniores) donec persolutum sit pretium, cujus æstimatio est in arbitrio victoris, nisi certi aliquid convenerit: posse tamen justam & clementem servitutem, de qua disputatione memorata dicta quædam sunt, cum Christianorum moribus consistere, ex Pauli Apostoli pluribus locis abundè docemur.

De jure in captos.

lib. 1. Polit. c. 6.

§. 13. Neq; tamen inficias imus, commendatione dignam videri veterum Christianorum intentionem, qui ut aliis Naturæ consultis, ità huic quoq; de libertate omnium hominum locum esse inter se voluerunt. Nimirum ex dissertatione dicta hic repetimus, Naturam quædam determinasse, quædam suasisse. Inter ea,

Ejusdem moderatio.

ea, quæ Natura determinavit, sunt cum ea, quæ jure Naturæ jubentur, tum, quæ jure eodem vetantur: ab utrisq; ne latum quidem unguem recedere licet, imò nec ipsum Naturæ Autorem de mandatis hisce vetitisq; dispensare velle ex occasione, quam submini-strabant Leges Positivæ Humanæ, supra docuimus. Alia autem ratio est Naturæ consultorum, seu eorum, quæ suasit Natura: ea enim, si in magna simplicitate & integritate perstitissent homines utiq; valitura fuissent. Quo referri debet bonorum omninm communio, omnium par libertas: hæc enim suadet Natura, quæ charitatem commendat maximam hominibus, quorum idem ortus, idem sanguis est. Atq; hinc videas, primos Christianos, qui fraterno amore se mutuo prosequebantur, bonorum omnium communionem servasse, à qua tamen postea descitum est, cum animadverterent, Christianorum quàm plurimos tantæ perfectioni minimè pares futuros. Benè quidem ageretur cum rebus Christianorum, si tanta omnium integritas esset, ut naturæ consulta quoq; observari possent, hoc est, ut omnium rerum communio, qualis inter primos Christianos viguit, hodie quoq; obtineret, ut abstineri à bello pariter & ejus juribus, imò ab omni contentione fori, adeoq; ad eas regulas vivi posset, quas Matthæi quinto Servator Opt. Max. dictavit. Verum, quando plerorumq; Christianorum ea protervia est, quæ ipsa quoq; jussa naturæ & vetita perfringit, quis nisi mentis & prudentiæ Christianæ inops naturæ consulta Rebuspubl. obtrudere & in usum revocare laboret? Ex quibus patere arbitramur, ex usu publico futurum, si servitus clemens & justa in usum Christianorum reducatur: de qua re cum dixerimus abunde citata dissertatione, hic nolumus actum, quod ajunt, agere. Videamur nonnemini prævaricatores esse, qui de moderatione juris in captos dicturos nos professi, exasperationem potius inculcamus. Sed hæc revellenda prius fuerunt & quasi succidenda ut hanc moderationis viam minus impeditam habeamus. Spectandum ergo primò meritum captivi atq; conditio: cumq; acerbissima res sit captivum fieri & servum, maximè eum, qui aliena culpa in eam infelicitatem devenit, humanitatis erit, innoxios hoc nexu liberare. Eum autem qui servitutem meruit, ità tractabit æquus dominus, prout Paulus Apostolus præscripsit: domini, inquiens,

quiens, jus & quod æquum est servis præstate, gnari vobis quoq; dominium esse in cœlis. Cujus consideratio & adspectus clementiam in pœnis, operis, universaq; tractatione servorum inculcabit. At quas apud gentes jus illud servitutis ex bello in usu non est, optimum erit permutari captivos: proximum dimitti pretio non iniquo. Hoc quale sit, præcisè definiri non potest: sed humanitas docet non ultra intendi debere, quam deducto ne egeat captus rebus necessariis, quæ sunt H Grotii verba, qui & de jure postliminii videatur.

§. 14. Percursis ordine Juribus Victoriæ, de deditiis nunc paulò distinctius videamus. Deditio alia est pura & sine pactione facta, alia conditionata & cum pactione. Pura est, cum quis ipsi hosti de se arbitrium permittit, subditum faciens eum, qui se dedit, ei vero cui fit deditio, summam deferens potestatem. Et victus quidem post deditionem nihil non patiendum habet: quippe jam subditus eoq; in loco, ut nihil non eripi possit salvo gentium jure stricto, etiam vita, etiam libertas personalis, bonaq; non publica tantum, sed & privata. At victor ne quid injustè faciat, spectare primum debet ne quem occidat, nisi id suo facinore meritum: deinde ne cuiquam auferat nisi in justam pœnam. Semper autem, quantum securitas patitur, ad clementiam & liberalitatem propendere honestum est, sæpè necessarium. *Clementia*, inquit Seneca, *liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex æquo & bono judicat, & absolvere illi licet, & quanti vult, taxare litem.* Sunt etiam deditiones conditionatæ, quæ aut singulorum vitæ, libertati, bonis consulunt, aut etiam universitati. Jam supra diximus vitam salvam paciscentium non esse repudiandam deditionem, sive in prælio sive in deditione, sive murum aries percusserit, sive minus. Audiendus enim hic est Cicero æquitatem contra morem Romanorum inculcans: *Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi.* Infirmo autem hominum generi, quo exonerari solent urbes obsessæ, parcere æquitas jubet. Contra ea, quæ opponi hic possunt, tenendum illud Senecæ: *Nunquam committet virtus, ut vitia dum compescit imitetur ipsa; alienæ quippe culpæ aut malitiæ imitationem malè innocentiam vocaveris.* Neq; tamen

De deditis.

1. Off.

negamus licere deditorum oppida incendere, deditos interficere, ubi id commeriti sunt: quod & de captis suprà assertum est: sed non semper, quod licet, faciendum esse, æqui & boni studium dictabit. Scilicet contumacibus ac perfidis quantumvis extremè supplicibus, non ità facilè venia danda: quæ facti pœnitentibus, seq; victoris arbitrio permittentibus, nihilq; eorum, quæ petuntur, abnuentibus neganda non est. De deditiis hæc inter veteres quoq; agitata quæstio est: an qui à sua civitate dediti, nec recepti sint ab aliis, cives maneant? In Mancini Consulis exemplo dubitatum à veteribus est, qui pacem maluit ignominiosam cum Numantinis facere, quàm exercitum in summo discrimine versantem dare ad internecionem. Pacem eam ratam esse Senatus vetuit, dedendumq; censuit Mancinum solum. De jure deditionis dubitare aliquis posset: neq; enim publicæ violatio fidei uniushominis sanguine luitur, ut hic habet V. Paterculus. Scilicet, (verba sunt Eximii Historici) Varroni, qui Rempubl. olim Romanam desperatam effecerat, gratiæ in senatu actæ, quod de Rep. non desperasset: Mancinus, qui forte bellica circumventum exercitum, ne perderet, laboravit, ab eodem senatu deditione damnatus est. Dixeris, & illud in Varrone displicuisse, sed tempori concessum: & in Mancino hoc placuisse, sed secundum tempus præsumtum. Sed ad rem. Affirmativa quæstionis est Ciceronis, quia ut donatio, ita deditio sine acceptione non potsit intelligi. Adstipulatur veritatis Ciceroni Grotius, quantum attinet thesin, non vero quod attinet rationem; sed ipsum adiri melius est.

lib. 2.

lib. 2. de J. b. c. 21. n. 4.

De tropæis.

§. 15. Victoriam consequentia sunt tropæa, de quibus id monemus reprehensos esse, qui primi lapidea & ænea tropæa struxerunt. Prudentia enim jubet erigere tropæa ex materia, quæ non perpetuo duret, ut, qui bello vicissent, hi tropæa quidem statuerent, victoriæ testimonium præsens: cæterum via non præcluderetur redeundi in gratiam, dum alterius partis gloria, alterius infamia consecrata longævo aliquo monumento foret: quæ sunt verba præclara Forstneri in Notis. Florus bellum Allobrogicum describens, Romanos Imperatores, ait, ipsis, quibus dimicaverant, locis, saxeas erexisse turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixisse: eumq; morem notat inusitatum

ad Tac. Ann. 1.

tum

tum fuisse Romanis; nunquam enim populum Romanum hostibus domitis suam victoriam exprobrasse. Omnium maximè illi reprehensionem merentur, qui pudenda victis signa erexisse leguntur. Quale fuit illud Sesostris, de quo Diodorus Siculus: Cippos ubiq; terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Ægyptiorum literis, hoc verborum indicio inscriptos: *Hanc provinciam armis suis pervicit Rex Regum & dominus dominorum Sesostris.* In cippis illis τὸ ἀιδοῖον ἀνδρὸς apud gentes strenuas & pugnaces: apud ignavas autem molles & timidas τῆς γυναικὸς expressum erat. Ex parte hominis pudenda animorum in singulis adfectionem, posteris evidentissimam fore ratus. Atq; hoc eum feciſſe exemplo prædecessoris sui Regis Osymanduæ verosimile est, de quo idem Diodorus videatur. Ad Horum intemperiem & improbitatem quam proximè accedunt illi, qui devictorum ossibus illudunt, & ex calvariis pocula faciunt. Duci enim nihil magis fugendum, quam jactantiam & Formidinem gravissimi Politici tradunt. Videatur in decadibus CL. Piccartus. *lib. 1.* *ib. 1.*

§. 16. Jura belli suscipiendi, gerendiq; nunc vidimus: reliquum est jus belli finiendi. Belli finis Pax est, quam vel injustam utiliorem esse, quàm justissimum bellum Cicero alicubi pronunciat: qui tamen in Philippicis à semet ipso dissentiens, pacem dissuadet, quia turpis, quia periculosa, quia esse non possit. Nimirum pacem omnem, quæ bellum excipit, bello potiorem esse oportet, honestam quippe, minimèq; suspectam & cum servitutis ignominia conjunctam, deniq; simplicem, quam non necessitas aut defectus nervorum, sed reverentia DEI & amor status publici atq; tranquillitatis expressit. *Metuendum*, inquit Polybius, *esse bellum equidem non abnuo: sed non usq; adeo metuendum, ut ejus vitandi gratia omnia velis sufferre. Quo enim juris æqualitas nobis & facultas ex æquo dicendi, si sentias, quo libertatis nomen, quæ ferociter admodum jactitamus, si nihil est omnium, quod potius ducamus pace? Neq; enim Thebanos laudamus, qui belli Medici tempore pericula refugientes pro communi Græciæ salute obeunda, præ formidine Persis se adjunxerunt. Neq; item Pindarum, qui sententiæ ipsorum assentiens de conservanda quiete in suis Poematis sic ait: Prose quisq; civium tranquillitati consulens, Quietis magnanimæ lætum jubar requirito. Ille enim* De Pace. *ib. 1.*

justa

justa pace & honesta nihil pulchrius, nihil utilius, sic ea, quam vel
l. de L. L. *ignavia vel servitus infamant, nihil neq; turpius, neq; magis noxium.* Et Plato, *Quam*, inquit, *hominum plerig; pacem nominant, nudum & mane nomen est, reipsa vero bellum irre conciliabile.* Sœpe quoq; pacis mentio injicitur (idem de induciis sentiendum) ut hostis interim melio se parare possit, quod esse in usu Othomanicæ domui scribunt Politici, ut pacis tractatione hostem negligentem & dubium in consiliis & apparatibus faciendis reddat. Et illi, qui alios repentino bello adoriri, aut aliorum in se impetum remorari volunt, pacem & concordiam speciosis & irritis nominibus jactare solent, missisq; legatis aut ad se missis detentis adversarium ludificare, imo dimittere hostium oratores non alio cum responso, quam secuturos mox relaturos responsionem, qui tamen vel planè non mittuntur, aut non nisi compositis necessariis rebus tardè nimis
ad 3. Ann. expediuntur. Exempla vide apud Forstnerum in Notis. Quando autem facienda pax? respondet Cæsar, dum uterq; sibi confidit & pares ambo videntur. Penes quem potestas sit pacis faciendæ sœpius diximus: de qua re, ut & de rebus pactioni subjectis, ruptura pa-
lib. 3. c. 20. cis, aliisq; cognatis videatur Vir Illustris H. Grotius.

De Fœderibus.

§. 17. Pax duobus ferè modis fit, aut cum victis leges dicuntur, quæ pax nisi sit mitior & tolerabilis, diuturna esse nequit; aut cum pares bello æquo fœdere in amicitiam veniunt. Hic ergo quædam de fœderibus dicenda, quæ ipsa adversus externam vim paratissimum sunt remedium, quorum metu hostium protervia reprimitur atq; coercetur. Atq; ut jura belli Majestatis sunt, ita jus quoq; fœdera percutiendi à Majestate principaliter & unice promanat. Fœdera vocant pacta solenniter facta, de re quadam præstanda, præter id, quod gentium jure debetur. Suntq; alia æqualia, in quibus una pars tantum præstare tenetur, quantum altera, puta in captivis dimittendis, captis restituendis, & circa commercia, ne vectigal ullum utrinq; solvatur &c. circa belli communitatem, ut auxilia præstentur paria, vel ab una parte pecunia, ab altera mili-
lib. 2. cap. 15. tes &c. alia inæqualia, de quibus vide Grotium, aliisq; huc spectantibus. Nos hic cogimur abrumpere.

Corollaria.

Ad jus belli commode refertur jus Repressaliarum (olim dicebatur clarigatio) quæ belli speciem representant, & adversum eos quibus licitè bellum inferri potest, exercentur

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0268
DFG

DEO Duce!

Disp. XVII. Resp. 47. Theodoro Mollero.

Thesis I.

REmpublicam nihil esse aliud, quam ordinem eorum, qui imperant, & eorum, qui parent, ex iis, quæ disputatione V. dicta sunt, clarissimè patet. Quare, cum Imperantium naturam & proprietates, quantum nostro videtur instituto sufficere, explicuerimus, ex lege ordinis resolutorii nobis ad eos, qui parent, nunc transeundum erit, agendumq; de Subditis non tantum generaliter, sed & de differentiis subditorum. Quam rem velut extremis labiis gustavimus disputatione, quâ de Civitate & civibus egimus: hic excutienda penitus erit, nec tantum in classes certas digerendi subditi, sed & singularum usus in Republ. ostendendus, simul difficultates exorientes sed nobiliores enodandæ venient. Primo autem subditum universim describemus, quanquam forte descriptione nulla opus sit, cum relata se mutuo definiant, & percepta natura imperantis non patiatur ignorari naturam subditorum. Deinde differentias subditorum in genere, & in specie excutiemus.

§. 2. Subditus est altera Reip. pars, quæ Majestati subest, ac paret. Subdo idem est ac suppono, item in locum alterius pono. Inde subditus suppositus, plerumq; in partem deteriorem, ut subditum testamentum, subditus puer, quem Terentius subditicium, Plautus subditivum vocant. Politica scribentibus subditus est qui sub imperio alicujus est, qui in ditione alicujus est, seu qui subjectus est, ut pareat. Genus vel quasi genus constituimus partem, quæ vox notat vel partem integrantem, ut sunt in homine caput, manus, thorax, venter &c. vel partem adnascentem atq; accessoriam ut sunt in homine pili, ungues, in navibus aplustria. Hic pars sumitur prout abstrahit seu præscindit ab utroq;: nec miretur quispiam à nobis describi subditum per terminum transcendentem, vel genus remotius omissis intermediis differentiis: non enim ex-

Descriptio Subditi

actè hæc talia definiri queunt, quorum latissimè fusa significatio est, quæq; inferioribus ὁμωνύμως i. e , alteri propriè alteri impropriè tribuuntur. Nisi Aristotelis vestigiis insistendo velimus definire Homonyma, secundum eam significationem, quæ maximè propria est: quo pacto definire subditum posses Civem parentem: ut ex §. tertia liquebit. Dicitur altera pars, ut distinguatur à membris caput, atq; à subditis Majestas. Cætera ex præcedentibus disputationibus clarent, in quibus de Rep. Majestate &c. egimus: & ex eo, quod mox dicetur, amplius patebunt.

Generalis subditorum divisio

§. 3. Subditi enim alii sunt improprie subditi, *respondentes partibus adnascentibus*: alii propriè & verè dicti subditi *resp. animatis*. Illi sunt vel peregrini, qui in aliena Republica versantur, ubi nec domicilium habent, nec Reip. sunt partes integrantes; vel incolæ, qui in aliena quidem Republica domicilium habent, sed Reip. partes integrantes non sunt. Hi verò (propriè dicti) partes sunt Reip. integrantes, hoc est subjecti per omnia, quoad corpus & facultates Majestati, unde vicissim omnibus Reip. juribus & facultatibus fruuntur. Hi ipsi nihil sunt aliud, quam Cives qui parent. Definivimus suprà ex Aristotele civem, *disp. 4. §. 11.* quod sit socius multitudinis, qui imperii est particeps. Ubi repetendum per vocem Imperii non Imperium definitè summum vel intermedium intelligi, sed indefinitè quamcunq; curam de Republica, quæ in suffragiis, creatione Magistratuum & deliberationibus consistit. Unde Civis alius est Imperans sive cum potestate summâ sive cum potestate intermedia: quidam parens, qui tamen à suffragiis vel à creatione Magistratuum vel à deliberationibus publicis non excluditur, & cum imperante potestate intermedia sœpè coincidit. Cum ergo subditus propriè dictus sit Reip. pars integrans, juribus Reip. gaudens, animamq; civitatis, hoc est Rempubl. participans manifestũ est à Cive parente subditũ non differre, adeoq; subditum esse quemcunq; Majestati subjectũ, etiamsi in Magistratu versetur. Nam quanquam imperans sit Magistratus ratione inferiorũ, ratione tamen superioris subditus est & paret, quemadmodum in Logicis Genus subalternum respectu speciei, quæ subjicitur, Genus est, respectu Generis, cui subjacet, tantum Species.

Peregrini

§. 4. Subditos impropriè dictos esse peregrinos & incolas jam dictum est. De peregrinis quæritur an in Republ. sint ferendi?

di? quam quæstionem non magni esse momenti arbitramur. Nemo enim nisi hominem exsuere volet, ne de commerciorum libertate nunc dicam, peregrinos arcendos duxerit. Equidem contingere potest, ut peregrinorum & hospitum quidam contra Rempubl. quid moliantur, atq; ita toti alicui genti, præsertim si eadem in omnibus perfidiæ indoles timetur, aditus ad nos præcidatur: quomodo Athenienses decreverunt Mitylenæos omnes, Siculi Gallos trucidare, cum viderent Rempub. ab iis peti. Unde Aristoteles lege caveri vult quos admitti oporteat, quos non: ne videlicet, si promiscuè quivis peregrinorum etiam illi, in quibus malæ mentis notæ apparent, admittantur, vel arcana Reip. pervestigent, & in detrimentum ejus convertant, vel malis persuasionibus moribusve civium animos corrumpant. Interim non omnes peregrini excludendi, quod cum faceret Lycurgus, lege principiis suæ Reip. & scopo è diametro repugnante, matrimonia cum peregrinis interdicens omneq; commercium, moneta cudi ex corio jussa, ne peregrinis merces suas eò portandi lubentia esset, brevi exhausta est civitas Lacedæmoniorum, adeoq; post unam calamitatem, Leuctricam scilicet pugnam, in qua mille septingenti tantum periere, resurgere nunquam potuit ob civium paucitatem. Aliud Romanæ Reipubl. fuit institutum, quam vires nunquam defecêrunt, etsi Trebiæ, Thrasymeni, Cannarum cladibus una post alteram adfligeretur, eò quod peregrinos, imo servos in civium numerum reciperent: unde factum, ut nunquam exaruerint duo illi fontes, ex quibus validissima Romanarum copiarum flumina erumpentia orbem terrarum inundârunt: Tribus dico & Colonias, quibus tertius addi fons meretur Sociorum. Sed præterquam quod usus receptionis peregrinorum manifestus in Republ. est, inq; viris pariter & viribus per libertatem commerciorum augeri solitis conspicitur, ipsum naturæ humanæ consortium, & lex charitatis, quam homo homini debet, peregrinos usu urbis & regionis prohibere vetat.

7. Polit. cap. 4.

Sunt recipiendi

§. 5. Recipiendi ergo peregrini: sed num omnes sine discrimine modoq; admittendi? Non certè mali, à quibus periculum moribus rebusq; nostris immineat: quales sunt errones illi, qui in terris nostris vagari solent, die Ziegeuner manipulus furum &

Sed cautè?

colluvies otiosorum ac fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ità procul ut ipsi præferunt, remotis, sed vicinioribus collecta, ut loquitur cl. Camerarius. Tales certè non recipiendi sed quocunq; modo ignavum hoc pecus à ptæsepibus, pestilentissimi fuci ab alvearibus nostris arcendi sunt. Qui vero spem aliquam bonæ frugis promittunt, præter meritum miseri & præsertim ob religionem exules recipiendi omnino sunt. Sed nunquid petentibus civitatis jus concedendum? Arbitramur, sed cum his cautionibus. Detur jus Civitatis peregrinis, qui indubiam spem faciunt amplificandæ & exornandæ per industriam suam Reipubl. Agricolis & opificibus, ut ad moliendas res novas ineptioribus promtius: mercatoribus verò circumspectè, & cum conditione certâ. Deinde non protinus ad civium jus primarium ac summum admittendi, sed in gradu quodam inferiore locandi sunt, ut fidei suæ in minoribus specimina edant: nec iis permittatur αὐτονομία aut peculiaris Jurisdictio, sed receptis legibus esse attemperent. Neq; de nihilo videtur, quod suggerunt gravissimi Politici, respiciendum esse ad gentis, unde veniunt morem & rationem, quam in tractandis nostris observat: imò ad socios quoq; & fœdere nobis unitos, ne eos fortè recipiamus, quos recipere per fœdus prohibemur. Tandem id circa peregrinos observari rectè solet, ut, si auctis in Rep. nostra opibus aliò migrare constituant, non sine onere id faciant aut pecuniæ summa, quam pendant Reip. cujus tot commoda senserunt.

Cent. 1. med. hist. cap. 17.

De Incolis ubi de judæis,

§. 6. Hactenus de peregrinis: de Incolis pauca restant. Hi vel ejusdem sunt nobiscum religionis, vel diversæ. Si ejusdem, nihil novi ferè dicendum occurrit, præter quam quod de peregrinis monuimus. Si diversæ, quales in Christianorum Rebuspubl. hæretici, Gentiles, Judæi sunt, itidem certis limitibus sunt circumscribendi. Et Judæos quidem, (unde, de aliis quomodo habendum conjectura facile capi potest) quod concernit usurarum nomine potissimum hodiè infames, id primo curandum, ut fœnebri malo modus constituatur. Cl. Forstnerus, postquam id malum vetus pœnisq; nunquam satis coercitum, hodieq; medullis civitatum regnorumq; Christiani orbis altissimè inhærere dixerat, mercatoresq; simul & nobilitatem fœnore urbes agrosq; exhaurire sub-

ad lib. 6. Annalium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0272
DFG

subjecerat, de Judæis ità loquitur. *Ista gens post immane occisi Servatoris Jesu Christi piaculum, irâ Numinis omni exuta dignitate, & quo cæteris mortalibus ostentui esset suis ejecta sedibus vaga atq; egens, quà lucri fraudiumq; tuto exercendarum spes duxit, omnibus se terris dispersa effudit, perq; omnes urbes promta dolis, pecuniæq; vias omnes callens fœneratur. Ità juxta plebs primoresq; everruntur fortunis, circumveniuntur, atq; obruuntur fœnore. Principes illis ac spongiis utuntur, & postquam satis biberunt exprimunt madidos &c.* Aliæ leges quibus recipiuntur Judæi, hæ fere sunt. Non contrahant matrimonia cum Christianis: non sibi peculiarem & propriam regiminis formam, aut jurisdictionem ullam usurpent: non ullum iis jus civitatis detur; certo signo vestium à Christianis injuncto ipsis internoscantur: non sine consensu magistratus Synagogas exædificent: non Christo ulla licentia verborum insultent: non deniq; Judæum transire ad Christianos cupientem ullo pacto retineant. Non possumus, quin hic de Judæis magni nominis Theologum adducamus, qui in Apparatu suo, postquam seculo millesimo & quod excurrit, post Christum natum Judæorum doctores non Thalmudi tantum, quod antea factitatum, sed scripturæ quoq; sacræ enarrandæ incubuisse ostenderat, hæc verba subiicit. *Neq; vero opera illa* (Rabbinorum) *contemnenda est, quam litera & contextus præsefert, adsequuturo: quin spem facit, si Christiani adnitamur & majore caritate quàm odio miseros prosequamur, posse aliquando, si quidem facem quam Scriptura præluceat, sequi omnino non detrectent, in viam reduci.*

De tribubus.

§. 7. Nunc vero subditos per classes dividamus, & generaliter primò, deinde specialiter. Hæc enim divisio & memoriæ atq; intelligentiæ serviet, & causam aperiet sui, quæ non alia fuit, quam ut commodè gubernari Reipubl. per jussa & imperia Majestatis queat. Apud Ebræos non tantum, sed etiam apud Athenienses, Lacedæmonios, populus totus in tribus fuit distributus, quarum quidem similitudinem adumbravit Romulus dividens Romanos in tres partes (inde tribuum vox deducta videtur) Tatienses, Ramnenses & Luceres; expressit autem Servius Tullius, sextus Romanorum Rex, cujus summa prudentia factum testatur Florus, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumq; discrimina in tabu-*

lib. 1. Hist.

las referentur, ac si maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur. De Romulo ita Isidorus: *Tribus dicuntur tanquam curiæ & congregationes distinctæ populorum, & vocatæ tribus ab eo, quod in principio Romani trifariè fuerunt à Romulo dispertiti, in Senatoribus Militibus & Plebibus, quæ tamen tribus nunc multiplicatæ nomen pristinum retinent.* Digitum intendit Isidorus ad tres in Rom. Rep. Ordines, Patritium s. Senatorium, Equestrem, Plebejum. Cæterum quatuor urbanas instituit tribus S. Tullius, nec liquidum satis est, quot rusticas adjecerit, nisi quod ex Cicerone aliisq; haud obscurè colligitur, triginta tres tribus fuisse, in quas fuit descriptus à S. Tullio populus Romanus, quippe qui non mœnibus solis includebatur, cujusq; pars maxima extra urbem in Latio, Campania, Hetruria tribubus adscripti erant. Nam urbanus populus non nisi in quatuor tribus divisus erat, Suburbanam, Esquilinam Collinam, Palatinam: cæteræ una & triginta, (hæc ex Francisco Boccho docet Forstnerus in notis ad Tacitum Politicis) extra urbem erant, appellationem sortitæ vel ex locis, ubi degebant, ut Crustumina, Vesentana, Ocriculana &c, vel à fluminibus, ut Arnienſis, Anienſis &c. vel à præcipuis Romanis familiis, ut Cornelia, Fabia, Sergia &c. Hic erat populus ille Romanus qui leges ferebat, qui magistratus creabat, qui belli atq; pacis arbitrium obtinebat: hi ad comitia in urbem confluebant, jus habebant suffragiorum, magistratus honoresq; suscipiebant, hi deniq; veri erant & originarii cives. Quanquam fuerunt quoq;, qui velut ex privilegio, cum longius Româ abessent in tribuum nomina adscisebantur: quomodo Atestini in Romiliam, Veronenses ac Tergestini in Publiliam, Patavini & Brixienses in Fabiam, Mediolanenses & Comenses in Ufentinam, Bergomates in Vituriam sunt conjecti. Tandem tribus in Curias, hasq; in decurias Romulus divisit, quemadmodum Lacedæmonii in ὠβὰς, λόχους moras: erat autem curia decima pars tribus certis sacris certoq; loco allegata. Servius vero Tullius aliter distribuit populum ex censu in classes & centurias: sex enim classes in centum nonaginta tres centurias instituit (quanquam sextæ classis seu proletariorum & capite censorum ratio non ità fuerit habita) pro ordine census & divitiarum. Inde ratio appellationis comitiorum curiatorum, centuriatorum.

§. 8.

§ 8. Iidem Romani Græcos imitati cives in collegia quoq; diviserunt. Est autem collegium plurium personarum ejusdem conditionis societas. Inde collegæ qui secundum Isidorum à colligatione societatis & complexu amicitiæ dicti sunt: sed magis ἀναλόγως à con & lex dicuntur, quod iisdem legibus & conditione agant. Et quanquam numerus collegarum nequeat definiri plures tamen duobus sint necessum est, quo tertius velut arbiter disidentibus intervenire possit. Hominum autem dissimilis conditionis nulla est societas vel collegium, nisi in alio quodam officio communi aut magistratu conveniant, quomodo Theologi & JCti in officio concurrunt professionis. Porro situm est jus Collegii seu sodalitatis in hoc, ut possit de rebus suis & in collegas statuere, adeoq; ratum sit &, ut loquitur Solon (qui autor existitit collegiorum) κύριον, quicquid ab ἐπιτρόποις positum fuerit, ἐὰν μὴ ἀπορρεύσῃ δημόσια γράμματα seu modo non sit contra leges publicas. Nam ut consensu Reip firmanda collegia sunt, à quâ universa eorum potestas ac jurisdictio, quæ in omnibus non eosdem habet limites, pendet, ita curandum collegiis est, ut intra limites, quos posuit Majestas, sese contineant nec vel latum unguem à salute publicâ recedant. Tantum de collegiis in genere: nunc §. 12.
speciatim cives in collegia dispescamus. Dissertatione quarta ex Aristotele octo civium seu subditorum maxime propriorum ac legibus civitatis obstrictorum, ejusdemq; privilegiis gaudentium genera fecimus, ad quæ ferè omnes subditi commodè satis referri possunt; modo id notemus, alio loco Aristotelem his addere quoq; Sacerdotes. Hinc nobis enascuntur novem Collegia seu genera subditorum. Primum Collegium est Ecclesiasticum, complectens Sacerdotum collegia & Scholarum. Secundum est Magistratuum: tertium judicum, Consiliariorum. Quartum Collegium est divitum magnatum, qui suis opibus civitatem augent & juvant: quo spectant Nobiles quoq; ut in frà ostendemus. Quintum est militum, qui necessarii sunt tàm conservandæ libertatis, quàm depellendæ servitutis causa. Sextum est Mercatorum, negotiatorum, qui emendo vendendoq; rem faciunt. Septimum est Agricolarum, qui civitati victum procurant. Octavum est artium sive sedentariarum sive minus, quæ vel necessitati in victu, sanitate,

te, tegumentis aliisq; utensilibus procurandis inserviunt, vel deliciis & voluptati- Nonum idq; ultimum collegium est mercenariorum, ad quorum classem referri lictores, apparitores, vespillones similesq; possunt.

Collegium Ecclesiast.

§. 9. Ecclesiasticis primum inter subditos locum damus, quibus merito summum honorem conciliat, quod tanti domini sunt Ministri. Atq; hoc Collegium saluberrimi est instituti, ne in curandis sacris unius hominis stetur arbitrio, quæ multo rectius à consilio & spiritu plurium gubernantur. Et absq; ambitione esset, studio præterea rixandi, præconcepta opinione, mutuis odiis, deniq; libidine sophisticandi, profecto dubitandum minimè foret, quin per hæc collegia pax & tranquillitas Ecclesiæ in DEI timore promovenda fuerit atq; mire exædificanda. Tantum instar & momentum in congregationibus sacerdotum est, ut si præluceat verbum DEI, & amor veritatis ac gloriæ DEI dominetur, in solido locari possit per virtutem Altissimi, quæ ab istis cœtibus nunquam abest tranquillitas Politica non minùs quàm Ecclesiastica orbis Christiani. Ad Collegia Ecclesiastica pertinent quoq; & reduci debent Collegia Scholarum, in quibus eminent Academiæ, quæ nihil sunt aliud, quàm cœtus docentium & discentium certis privilegiis munitus. Et quanquam Academias ex orbe profligari cupiant nonnulli, quibus sudes, quod dicitur, in oculis est, quod in Academiis id agitur, quo possit eorum inscitia aut Sophistica retundi, tamen, cum ab educatione juventutis omnis vel laus vel labes in Rempubl. redundet, non tolerandas tantum Academias, quippe in quibus semina doctrinæ ac virtutum adolescunt vel certè adolescere debebant, verum etiam summo honoratisimoq; loco habendas esse concludimus. Cæterum rediguntur docentes ad quatuor classes, Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum deniq;, sub quibus linguarum quoq; Professores comprehenduntur. Ex diversis enim professionibus nascitur corpus, inde Universitas, quam Academiam vocamus. De Theologis diximus. Jurisconsultis an in civitate locus sit dandus Plato aliiq; dubitant, qui tamen dissentientem habent Aristotelem, nec tam de Veris Jureconsultis, quam de rabulis, qui quæstus

3. Pol. c. 8.

gratia

gratia lites producunt, & exhauriunt clientes, loquuntur. Tales enim valdè Rebuspnbl. sunt pernitiosi, dum semina simultatum spargunt, & civium amicitiam, in qua Rerumpubl. dignitas consistit, scindunt. Veri JCti justitiam, quæ vinculum est universæ societatis civilis, colunt, boni & æqui profitentes notitiam, bonas leges condunt, judicia, curias regunt fulciuntq; deniq; efficiunt, ut honestè, tranquillè, & decorè cuncta cùm constituantur tum conserventur. Inventi quoq; sunt, qui medicinæ detraherent, & nullum vel non satis honoratum iribuerent locum. Quos ipsa necesitas Medicorum, (Platonem non audimus, qui simplici naturaliq; civitati minimè necessarios esse Medicos statuit, sed turgidæ solum & delicatæ) ipsiusq; Medicinæ summa utilitas ac dignitas satis refutant. Naturæ enim minister Medicus est, nec sine commoda valetudine humana felicitas sibi constat, & si cæterorum bonorum abundè sit. Quid? quod eum morbi corporis à Medico curari videantur, tanti tamen beneficii minimè sit expers animus. Quemadmodum ii, ut inquit alicubi Lipsius, qui mare navigant, si tempestate exorta, navis jam rimas ageret, undam & fluctus admitteret aliquis autem esset ex illo numero, qui vel præsentia animi vel arte omnes è tanto periculo liberaret, & navem in portum statueret, is gloriam non servatæ navis, sed hominum merito referret: Ita Medici, qui in corpore ipso animum servant, non tam corpus mihi, quàm id, quod in corpore præstantissimum, servasse videbuntur. Aliis visa fuit releganda Philosophia, & potissimum Mathematica Metaphysica, Logica, Eloquentia, Poesis. Poetas è sua Republ. exterminavit Plato eo quod moribus noceant, & pessima exempla venenum melle conditum instillent: Eloquentiam alii, quod ad seditiones, motus, oppressionem bonæ causæ, quæstum, odia deniq; civium faciat: Mathematicam rejiciunt propter astrologiam judiciariam: Metaphysicam eò quod futili subtilitate atq; inutili curiositate omnia fœdet: Logicam propterea, quod captiosos & contentiosos faciat. Verum hæc omnia uno ictu succiduntur, si dicamus, rerum præstantissimarum non usum, qui multò maximus est, ut nobis tacentibus res ipsa loquitur, sed abusum tollendum. 2. de Rep.

§. 10. Pergimus ad secundum Collegium, quod Magistratuum est, & cum eo connectimus tertium collegium, quod est judicum Collegia

Magistratum, Consiliariorum.

dicum & Consiliariorum. De consiliariis singulari disputatione egimus, quam excepit Disputatio de Magistratu, cujus pars jurisdictio & judex est. Distingui tamen possunt, ut de Magistratus essentia magis sit imperium, de judicis essentia jurisdictio, Ad subditorum classem cur referantur, ex traditis superius liquido patet: nec quidquam in his collegiis supereſt, quod hic notari mereatur, nisi quod accessioriè huc spectent honoratiorespublici ministri.

De Collegio Nobilium. v. Pol. 4.

§. 11. Collegium quartum est divitum magnatum seu nobilium. Nobilitas enim secundum Aristotelem est antiquarum opum copia cum virtute conjuncta: ἡ εὐγένεια ἐστὶν ἀρχαίου πλοῦτου καὶ ἀρετή. Olim maximè censebantur Nobiles ἐξ ἱπποτροφίας hoc est, ex altura multorum equorum. Unde Demostheni Oratione περὶ στεφάνου: μέγας καὶ λαμπρὸς ἱππτρόφος magnus & illustris equorum altor. Et Isocrati περὶ τοῦ ζεύγους: Equos alere beatorum solùm hominum officium est, humilis & abjectus nemo hoc in se suscipiet. Refert Ortelius, in descriptione Transylvaniæ, inter Transylvanos neq; nobilem neq; rusticum esse, sed omnes eodem jure censeri. Contrà Germaniæ nobilitati, ut notat in Satyrico Barclajus, magna & superstitiosa sui generis cura est; & maculari veterum sanguinem putant, si ad novam imparemve familiam matrimonii consortio accesserit: nec in multas stirpes hæc nota eluitur. Quippe ad patritii generis sincerum documentum, in utraq; parentum serie octo ex majoribus enumerant, in quibus hæc inæqualis conjugii labes non hæserit. Aristoteles & citato capite & præcedenti nobilium quatuor genera constituit his verbis: *Nobilium autem & clarorum virorum* (nobilis enim quasi noscibilis, γνώριμος) *alii ex divitiis & amplitudine reifamiliaris, verbi gratia, ex facultate alendorum equorum* (de qua modò dicebamus) *claritatem consecuti sunt, alii ex præstantia generis, alii ex virtute* (togatâ sive bellicâ) *alii denique ex doctrina.* Et divitias quidem nobilitare non vulgus tantum, verum etiam sapientes asserunt *Nobilitas mundi*, inquit Hieronymus, *nihil est aliud, quàm inveteratæ divitiæ. Multum possunt opes* ut habet Euripedes, *quas quicunq; indipiscitur, statim fit nobilis.* Et rectè divitiæ nobilitatis nomine veniunt (verba sunt Piccarti) tum

quia

quia sœpè nobilitas ex divitiis orta est, tum quia divites videntur nobilitate digniores, quàm pauperes, eò quod rectius instituuntur, & præsumuntur esse meliores: nam propter quas causas aliqui improbi sunt, & injurias inferunt, eæ causæ divitibus peccandi non sunt. Generis claritas alterum constituit nobilitatis genus, quæ sola ferè hodie in Europa dominatur. Sed pudere merito nobilitatis hujus debet eos, qui à majorum parta gloria ac virtute nequiter descisscunt, &, cum nobilitatem habeant τῆς κακίας πρόσκημα s. malitiæ suæ velamentum, non tamen erubescunt araneantes & fumosas imagines crepare. *Quis*, inquit Juvenalis, *generosum dixerit hunc, qui Indignus genere est, præclaro nomine tantum insignis*? Facetè olim Franciscus I. Galliæ Rex ad nobilem degenerem solis literis, quibus nobilitatis jura majoribus suis data confirmataq; ostendebat, suffultum: diligenter, inquit, fac eas serves: nam si aliquo tibi fortunæ casu perirent, næ tu miserrimus omnium esses nobilium, qui nullo vel virtutis vel eruditionis documento te nobilem esse persuadere cuiquam posses. Proxima est nobilitas ex virtute quæ ipsa primam nobilitati originem dedit. Turcæ institutorum laudabilium observantissimi nobilitatem hæreditariam ultra nepotes non extendunt, hoc nimirum fine, ut eos ad cultum virtutis, siquidem plebeis & ignobilibus aunumerari nollent, instimularent. Cumq; virtus sit bellica vel togata, utramq; conciliare nobilitatem asserimus. Quin doctrinam quoq; & scientiam nobilitare multis splendissimorum autorum locis comprobat Piccartus, quorum nonnullos transcribere visum fuit. In Codice justinianeo habetur hæc verba: *Quos scientia nobilissimos fecit.* Agellius: *Sedentibus doctrinâ, aut genere, aut fortunâ nobilibus viris.* Cassiodorus: *Doctrina generosum exornat, ex obscuro nobilem facit.* Plinius: *Manilius Senator maximâ nobilis doctrinâ.* Cicero *Valerium* dicit *ex doctrina nobilem & clarum fuisse.* *de postul.* *L. providendum.*

§. 12. Quintum Collegium fecimus militum, quos merito subjunximus nobilitati, ad quam consequendam velut scala militia est: unde Turcæ ex militia, quæ summa apud illos virtus, nobiles judicant. Platonem, qui hoc genere civium non opus esse existimabat, præsertim tempore pacis, belli tempore posse ex opificibus eligi, aut foris contrahi, Platonem, iuquam, ità sentiem- De Collegio militū.

tem redarguit Aristoteles cap. citato, quod de fine civitatis perperam senserit. Nam civitatis partes tantum fecit quatuor initio, textorem, agricolam, sutorem & architectum: his postea adjecit fabrum ferrarium, item pecorum pastores. Quasi vero nihil aliud quàm mutua utilitas ex societate civili exspectanda esset: quomodo nullum esset congregationis hominum & apum formicarumve discrimen futurum. Nunc autem beata αὐτάρκεια excludere milites penitus vetat: quippe quæ sine libertate sibi non constat: ad hanc porro sive conservandam sive recuperandam nisi per militem aditus non est. De opificibus quod monebat Plato, satis, nisi fallor, constat, ex opificiis & sedentario vitæ genere imbellem militem legi: ab externo autem milite quæ exspectabitur fortitudo, quæ fides, quæ constantia, quæ deniq; disciplina castrensis? sine qua tamen cadaver futurus exercitus est. Quis ignorat Carthaginensibus periculosissimum cum mercenariis suis fuisse bellum? Et infinita exempla suggerit recentis & veteris ævi Historia, quam fuerint externa auxilia periculi plena. De Seleucensibus & Parthis olim Tacitus signantissimè: *Quoties concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisq; contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversus omnes valescit.* Audi Germania! Tandem hoc monemus, militem omnis generis nos intelligere, terrestrem & classiarium, & concludimus, dum pacis dulce nomen obtinet, de bello & milite cogitandum esse.

De Collegio Mercatorum.

§. 12. Quemadmodum Collegiis quinq; prioribus salus Reip. locum fecit: ità eadem Mercatores non infimo gradu in civitate esse voluit, utpote per quos cùm superflua exportantur tum necessaria importantur. Neq; enim sine imperio & commercio durare societas civilis potest: præterea, absq; mercatoribus sit, ipsi agricolæ & opifices vendere sua & emtorē exspectare, atq; sic rus & opificia negligere cogentur quod habet Plato. Romani, notante Sigonio, mercatores vocabant, qui Romæ domicilio familiamq; habebant, licet interdū quæstus causa in provinciis versarentur: negotiatores vero, qui eundem quæstum secuti in provinciis sedem fortunarum suarum collocabant. An sordium aliquid omnis habeat mercatura, disputatur. Cicero inter mercaturam tenuem distinguit & amplam: hanc, quia

a, de L. L.

quia ſummaria eſt & ſplendida, omniumq; rerum affluentia copioſa, nobilitati nihil derogare Romanorum exemplo patet, apud quos equeſter ordo à negotiatione non abſtinuiſſe Ciceroni in Verr. memoratur, qui tamen ipſe ordo ſeminarium erat Senatorum, teſte Lampridio: unde Paterculus Senatum & Equeſtrem ordinem partem vocat meliorem. Mercatura vero tenuis merito propter fraudem, perjuria aliaq;, ſordida, illiberalis & indigna Nobili judicatur, nec male Cicero ſordidos judicat, qui à mercatoribus mercantur, & qui eodem loco ac momento quo emerunt, vendunt. Cæterum & Romanis omnis mercatorius quæſtus Senatoribus viſus eſt indecorus, & in Germania hodie contaminari nobilitas, etiam amitti hoc quæſtu exiſtimatur: unde nec olim ad ludos equeſtres admiſſi, qui mercaturam ordinariam exercerent. Apud Thebanos, ut docet Ariſtoteles, lex fuit, ut, qui magiſtratum gerere vellet, decem integros annos antè à mercatura omni abſtineret. Optimè Poloniæ Rex Sigismundus petentibus jus negotiationum nobilibus reſpondit: *Oportet me in regno habere triplex genus hominum, nempe ruſticos, qui agrum colant, mercatores, qui neceſſaria importent & exportent, & deniq; Nobiles, qui me & patriam defendant. Quæ patriæ defenſio cum per ſe ardua ſit, & cum aucupio lucri ac quæſtus vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa pectora patriæ defendendæ nata mercatorum negotiis implicari, aut ſi hoc cupiant, permittant mercatores in ſuum locum ſuccedere, & patriæ defendendæ curam ſuſcipere. Quod quidem cum facturi generoſi Viri nunquam ſint, idcirco mercatoribus ſuum ſtatum permittant & proprium tueantur.* Tantum de mercatoribus, quos cum dicimus, omnis generis intelligimus mercatores, terreſtres, maritimos, quoscunq;. Mercatorum collegio affines ſunt, qui hoſpitia, diverſoria, tabernas habent, qui & ipſi emendo vendendoq; rem faciunt.

in Vita Alex. Severi. lib. 1.

l. Pol. 3.

§. 13. Sequitur Collegium Agricolarum, quos Ariſtoteles multis nominibus commendat. Eſt enim genus agricolarum antiquiſſimum, ſimpliciſſimum & probiſſimum, minimè ambitioſum, ſua contentum fortuna, minimè aliena appetens, deniq; ἄσχολον ſeu minime otioſum, ſemper habens ruri quod agat atq; hinc quietum & tranquillum. Benè Patritius: *Cum nemo ſibi ſatis eſſet nec quisquam inveniretur tantæ induſtriæ, ut neceſſaria omnia ſolus ſibi com-*

Decollegio Agricolarum, *lib. 6. Polit. c. 4.*

comparare posset societas hominum inventa est, quæ inprimis tribus rebus indiget, alimento, domo, veste. Alimenta nobis agricultura præbet, ædificium adjuvat & vestimentum pene suppeditat. Hinc factum, ut à prudentibus rerum æstimatoribus nulla ratio augendæ rei honestior, uberior, & communibus rebus utilior habita fuerit agricultura, quam nec regiæ, nedum consulares & laureatæ manus erubuerunt. Cumq; nobilitati officere existimetut Mercatura, eidem tamen non præjudicat Agricultura, licet eam quis manibus suis in agro proprio exerceat: adeò nobilitati non fastidienda agricultura visa fuit, ut multa quoq; nobilium familiarum cognomina à re rustica sint profecta. Profecto hodiernos mores si respiciamus, procul absunt nobiles à cultu urbano, qui urbes incolere opificum & mercatorum esse putant, atq; in prædiis suis habitant. Lege Romuli inter Plebejos agricolæ numerantur: nec hodie in opidis è plebe urbana desunt, qui vivant ex agricultura, qui vero in agris glebæ sunt adscripti, iis nihil esse contemtius potest. Agricolis Aristoteles adjungit pastores, (hos animatam Agriculturam exercere dicit) quos itidem dilaudat, eo quod otium fugiant occupati in pascendis pecoribus in campis, pratis, pascuis: quod nec lites alunt, nec turpilucrium sectentur, nec luxuria peccant: deniq; quod ex pecuariis pariter & Agricolis optimi legantur & robustissimi milites, tum quia laboribus perpetuis corpora eorum indurantur, optimoq; sunt habitu, tum quia sub dio vitam degere adsueti sunt, & molestias perferre, frigus æstumq; juxta pati possunt. Ad Collegium Agricolarum propter alimenti parandi rationem non dissimilem referimus pastores, ut dictum est, piscatores præterea, & hortulanos &c.

De Collegio opificum.

§. 14. Veniamus nunc ad Opificum Collegium, de quibus pulchrè Cicero: *Quid memorem*, inquit, *artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quis enim agris subveniret? quæ esse oblectatio valentium? quis victus aut cultus corporis, nisi tam multæ nobis artes ministrarent?* Non possumus, quin venustum carmen de necessaria artium conjunctione subnectamus.

Homines sociantur per me artibus suis:
Nam quærit ecce fullo calcearium
Equitum magistro gratus est fræni faber:

Agrum

Agrum colenti Mechanicus conjungitur
Breviter habeto: quælibet ars cuilibet.
Piscator omnis indiget re rustica,
Eget piscatore rura qui colit,
Ille panes dans, ipse pisces accipit:
Sic omnis opifex quærit alterius opem,
Hic deniq; modus civitatem promovet.

Et cœperunt quidem artes mechanicæ, quamprimum hominum aliqua multitudo exstitit. Neq; necessarii tantum sunt civitati opifices, sed etiam insigni ornamento. Quæ res Imperatores, Reges, Principes impulit, ut non tantum artifices magnifacerent, impensè foverent, amplissimisq; præmiis ac stipendiis quoq; prosequerentur, verum etiam ipsi vel exercitii gratia, vel valetudinis ergò, vel etiam propter utilitatem opificia tractarent. Nam quanquam de plurimis opificiis verum sit illud Ciceronis, opifices, dicentis, in sordida arte versari, & officinam nihil ingenui habere, imò quasdam artes quippe ministras voluptatum à Republ. amandandas esse, id tamen opificum universum collegium minimè ferit. Sunt quidem sordida quædam opificia, per quæ fit, ut in opere faciendo multum sordium & fuliginis artifex contrahat: sunt etiam alia, quæ ingenii viribus magis quam corporis constant, quales sunt pingendi, sculpendi, aliæq; artes. Plato quæstionem, cur artes mechanicæ ὄνειδος φέρουσι seu turpitudinem quandam habeant, ità dissolvit. Tunc certè, inquit, hæc in nobis turpitudinem & opprobrium habent, quando quis partis optimæ speciem naturâ sortitus est imbecillam, adeò, ut bestiis (parti hominis rationis experti) quæ in ipso sunt, dominari non possit; colere vero tantum & possit & studeat, & earum blanditias nosse. Nonnè ut hujusmodi Vir à tali quodam duce regatur, à quali & optimus quisq; regitur, servum ipsum esse debere dicimus optimi viri, divinumq; in se ipso imperatorem habentis: neq; ad subjecti jacturam parere illum debere superiori censemus, sed quia præstat cuiq;, divino sapientiq; principi subjici, maxime quidem si talem in seipso principem habeat: si non habeat, principi huic saltem exteriori: ut omnes simus quoad fieri potest consimiles & amici, eidem principi subjecti?

lib. 9. de Rep. sub fin.

§. 5. Ul-

De Collegio Mercenariorum.

§. 15. Ultimum est Collegium mercenariorum, ut sunt bajuli & alii in Republ. operarii ejusmodi: quibus affine quid habent aurigæ & nautæ: de quibus non vanè Ludovicus Vives, Nautas esse feces maris, aurigas feces terræ. Nos concludimus hanc de subditis dissertationem, & occasione verborum Platonis, quæ modo citabamus, hoc unum monemus: Majestati incumbere, ut certo ordini certisq; legibus singula subditorum collegia adstringantur, verbi causa ut Mercatura loco, tempore, mercium genere, personis, moneta, mensura, pondere circumscribatur, ut mercatus publicos constituat, immunitatibus, libertatibus & privilegiis exornet, in monopoliis sit circumspecta, nec temerè privatis ea permittat: ut ordini opificum atq; artificum jura & privilegia concedat, certaq; statuta præscribat: ut agricolarum curam gerat, iis quoq; certum præscribat modum in familia &c. servandum: ut artes voluptatum damnatarum ministras exterminet: certum pretium hospitibus, mercenariis, opificibus definiat: deniq; omnes ex Lege, quam dixit, vivere jubeat, ut simus omnes, quoad fieri potest, consimiles & amici, ejusdem Majestatis jusso parentes.

COROLLARIA.

1. *Infra subditorum conditionem abjecti pauperes sunt, quorum eximia cura custodi Reip. habenda est: salvo tamen Platonis decreto, Nemo, inquientis, in nostra Rep. mendicus esto, quisquis id tentaverit, & miserabilibus precibus stipem victumq; collegerit, eum præfecti è foro, ædiles tota urbe, agrorum præfecti tota exterminent regione.*
2. *Præstat ante urbes sepulturas habere, ubi à fœtore cadaverum nihil metuendum est incommodi, quàm in urbibus.*
3. *Carnifex per se infamis non est.*
4. *Nec præbitio veneni, nec per aquam probatio tolerari debet.*
5. *Tortura non est censenda adversari simpliciter pietati aut honestati, modo observetur mediocritas κατ' ἡμας, quam prudentia definit.*
6. *Non ineptè Carolus V. duo esse indicia dixit benè constitutæ civitatis: Scholam rectè institutam, & Horologium sibi constans.*
7. *Ad unam quidem civium classem Aristoteles judices & Consiliarios refert, sed mox eodem capite Platonem reprehendens distinguit τὴν δικαιοσύνην δικαστικὴν & σύνεσιν πολιτικὴν cujus τὸ βουλευτικὸν est. JCtus magni nominis Gifanius dicere solebat, in Germania JCtis plus imponi quam ferre possint, quia jubentur respondere de illis, quæ extra jurisprudentiæ sunt limites. Conjungatur in JCto Consiliario oportet jurisprudentia cum Politica studio & Historiarum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0284
DFG

DEO DUCE!

THESIS I.

DISP. XIIX. Resp. 48 GEORGIO CRUSIO REGIO-BORUSSO.

HUcusq; pleraq; omnia, quæ ad Essentiam Reip. pertinent, explanata dedimus, adeoq; à Fine ad Media sumus provecti, quæ eadem instrumenta sunt, quibus Respublica constituitur suisq; partibus integratur non minus, quàm conservatur. Neq; enim media constituentia à conservantibus distincta sunt, cum per idem res quæq; constituta conservetur, ut in naturalibus palam est. Porrò de mediis Rempubl. amplificantibus (vocant amplificationem externam, quæ fit emtione, spontaneâ populorum aliorum subjectione fœderibus, expugnatione, deditione, dote &c.) non est quod multum soliciti simus, aut de ea re præcepta coacervemus: neq; enim Populus aut Rex studere debet amplificando imperio, sed tegendo & exornando. Quod si justis armis acquirantur novæ Respubl. id opera danda est ut omnibus modis favor subjugatorum populorum & consensus obedientium, in quo vis imperii consistit, comparetur, cum, quod violentum est, diuturnum esse nequeat, sitq; metus infirmus officii magister. Interim conducibile quoq; futurum est, ut regna sub potestatem nostram subjuncta vel Respubl. in provinciæ formam redigantur, ita tamen, ut veteris imperii quædam remaneat umbra, de qua re in disputationibus de Legibus dictum est: ut linguam, moresq; nostros in devictos disseminemus, colonias deducamus, præsidia militum imponamus & si quæ alia sunt, quæ in novo Principatu usurpanda Politici, inter quos aliis in hoc argumento videtur acutior Machiavellus, arbitrantur. Sed hæc dimittamus, & ad ea, quæ extra Reip. sunt essentiam, pedem promoveamus. Ea sunt τὰ πάθη, morbi Rerumpubl. & interitus causæ morborum & everſionum, deniq; remedia, quæ morbis Rerumpubl. adplicantur, quas alii Rerumpubl. causas con-

servantes adpellant, eò quod potissimum versentur in Legum observantia constanti, officialium prudentia, solertia & solicitudine aliisq;, quæ Respubl. constituunt, & conservant.

Mutationū Reip. genera.

§. 2. Aristoteles universam hanc de Morbis & Remediis doctrinam tàm accuratè complexus est libro quinto de Republica, ut nihil ferè limatius atq; consummatius inveniri queat. Quare, qui semper Aristotelis veneramur authoritatem, tantum ei hic tribuimus, ut non nisi orbitam Aristotelis premendam, ipsaq; Philosophi verba nostris inserenda ducamus. Initio Aristoteles mutationes Rerumpubl. distinguit, docetq;, aliis Reip. statum simpliciter ac penitus mutari, aliis non quidem statum Reip. mutari sed aliquid tamen in statum inferri, quod manifestam arguit mutationem. Prior modus bifariàm contingere potest: primo per subversionem totalem, si populus universus vel ad servitia abducatur, vel exstinguatur, sive per externam vim id fiat, sive interna declinatione & ἀναρχία. Nulla enim magna civitas semper consistere potest, si foris hostem non habet, domi invenit: & cujusq; corporis & Reip. auxesis quædam est secundum naturam, deinde vigor, posteà rursus deminutio, & mors deniq;. Deinde per conversionem penitus mutantur Respubl. dum ex Monarchia fit Aristocratia & vicissim, vel ex Aristocratia fit democratia & vicissim, vel ex democratia fit Monarchia & vice versa. Quomodo Romæ sublatæ Monarchiæ successit quædam Aristocratia, huic democratia & sic in orbem itum est, cum in Cæsarem rursus potestatem populus transferret. Secundum genus mutationum triplex est 1. si statu Reip. manente Rectores ejusdem mutentur, & alii prioribus deturbatis substituantur: quomodo nuper dejecto Castiliæ Regi in Lusitaniæ regno dux Brigantinus successit. 2. quando neq; status mutatur, neq; principes illius status, sed status ipse restringitur vel laxatur: qui modus tunc temporis Venetiis contigit, cum Anno 1217. Patritii seculares omnes majores 25. annis in Consilium Majus, quod Majestatem obtinet admitterentur, de quo dictum est dissertatione octava. 3. quando novus aliquis magistratus velut statui repugnans introducitur, aut aliquis vetus abrogatur: quod Germaniæ contigit, cum Electorum potestas inciperet, & Galliæ, cum authoritas Connestablii expiraret.

§. 7.

§. Ge-

§. 3. Generibus mutationum expositis Aristoteles generalem fontem aperit mutationum in Republ, quem ait esse positum in vana inæqualitatis persuasione, quasi injuria alicui Reip. parti fiat. Nam omnes aliquo se jure niti putant, quod si negligatur incipiunt tumultuari. Populus adeoq; plebs libertatem jactant: Nobiles & divites divitias & nobilitatem: optimates virtutem. Itaq;, qui in una re sunt pares, volunt in omni re pares esse: & qui una re superiores sunt, puta genere vel opibus, volunt in omni re superiores esse, quod si non obtineant, dant turbas. Fieri tamen videmus, ut viri boni & virtute præditi, qui meritissimo jure neglecti possent turbas movere, quia sunt virtute superiores, quæ sola civilem societatem ligat, omnibus rebus merito superiores esse debent, minim è tamen id faciant: scilicet ea naturæ bonitas est & virtutis indoles, ut à seditionibus sint alienissimi. Hic est mutationum fons generalis, quemadmodum Medicis omnis morbus dicitur esse vel à repletione vel ab inanitione. Aristoteles rem illustrat, cum prioribus hæc subjungit: *Omnino enim homines æquale seu æquum quærentes inter se dissident & discordant. Est autem æquale duplex: unum numero, alterum dignitate. Æquale numero dico, quod est multitudine aut magnitudine idem & æquale: dignitate, quod ratione: Verbi gratia, æquali numero tria superant duo & duo unum: æquali ratione quatuor duo, & duo unum, uter enim numerus, qui superatur, eorum numerorum, qui superant, dimidius est. Cum inter eos autem conveniat de eo, quod justum est simpliciter, de eo quod justum est proportione, dissident: alii quidem, quoniam si aliqua re sint æquales existimant se esse omnibus rebus æquales: alii si aliqua re sint inæquales & superiores, pluribus aut majoribus se dignos esse putant.* Conferatur dissertatio nostra Quinta.

Causa mutationum generalis.

§. 13. 14.

§. 4. Cæterum, ut confusionem errorum matrem vitemus, exposituri causas morborum & mutationum Reip. initio distinguimus occasiones à veris causis. Sœpè leviculâ occasio materiam motibus maximis subministrat: quomodo caput Apri seminarium belli exstitit inter Ætolos & Arcadas, inter Pictos & Scotos ereptus canis. Tales occasiones supervenientibus injuriis foventur, donec in apertam vim erumpant: sed ipsæ verarum causarum vim non sortiuntur. Polybius inter principia rerum & causas distinguit

Distinctè de causis.

lib. 8. gnit. Causæ, inquit, omnibus in rebus prima sunt: Principia ultima causarum. Nimirum Principia dicuntur primæ actiones in rebus quæ judicatæ ac deliberatæ sunt: Causæ vero, quæ judicium, deliberationemq; præcedunt, quæq; efficiunt, ut ità judicemus, deliberemusve. Causæ ergo sunt cogitationes, consilia: principia quando cogitationes in actum primum deducimus. Hanc distinctionem Polybianam supra laudavimus. Aristoteles principia cum causis confundit, forte quod principiorum Polybianorum tanta varietas esset, ut ad certum numerum adeoq; ad præcepta disciplinaria redigi haud possent. Nos causas assignaturi mutationum Reip. prænotamus, alias esse causas opinativas, alias veras: deinde harum alias remotas, alias proximas constitui posse.

diff. 15. §. 7.

De causis opinativis.

§ 5. Ad opinativas referimus astra & positum stellarum, à quo nonnulli qui tamen inter se dissentiunt, ortus & interitus Rerumpubl. suspendunt. Non quidem ii sumus, qui (loquimur cum Senecâ) tot millia siderum judicemus otiosa lucere, aut ideo fabricata ornatu tanto, ut vacuam mundi immensitatem ocioso infarctu expleant. Fatemur potius admirandam siderum varietatem persuadere nobis, vim quandam insitam esse sideribus, qua non in ea tantum, quæ rationis sunt expertia, sed & in corpus hominis & temperamentum agere, quod inclinare animum ad hoc vel illud agendum experimento docemur. Quanquam vero mores hominum singulorum à temperamento quadantenus (inadæquatè sc. & per accidens) pendeant, unde fieri videmus, ut Cholerici, quippe qui bile abundant, cujus effusio adscensionem sanguinis circa cor & ζέσιν seu fervorem generat, ad iram sint procliviores, tamen non est tanta naturalis impressionis atq; proclivitatis vis, ut ratione & mente per educationem & disciplinam nequeat edomari. Simul apparet posituram siderum nullam inferre voluntati humanæ necessitatem, prout quidam Astrologi non horruerunt asserere, quorum doctrinam multa sunt, quæ incertam reddere possint. Eadem enim cæli positura atq; facies, à qua Chaldæi effectus illos suspendunt, secundum aliquos non redit nisi exactis demum annorum XLIX. millibus: nec, quæ in Chaldæa valet cœli observatio, alibi, variante quippe cœlo, valebit. Sed maximum huic evertendæ doctrinæ momentum adfert, si cogitaverimus, temperamentum,

lib. 2. quæst. N. c. 32.

tum, quo mediante in animos hominum agere cœlum dicunt, non esse tantum à cœlo arcessendum, sed potissimum à parentibus: atq; hoc pacto ad Adamum usq; adscendendum erit. Nec ea vis est in tempore nativitatis, quæ est in tempore conceptionis, quod ipsum unà cum gestationis tempore inextricabiles huic doctrinæ difficultates parit. Tandem quis maximos hominum exercitus, qui uno momento cæduntur., constare hominibus eodem natis tempore dicet? aut quis Esavum & Jacobum ex astris diversitatem inclinationis sortitos pertendet? Quod si ergo singuli homines quoad effectus ab astris non pendent, consequitur, nec civitatem, quæ est hominum collectio ab astrorum efficacia suspendi posse; tamen negamus, magnas gentibus vel civitatibus eventuras calamitates plerumq; astra præsignificare, sed inde non sequitur astra causas esse calamitatum & mutationum. Patet, quid dicendum sit de sententia eorum, qui ex thematibus Genethliacis urbium fortunas & ætates Rerumpubl. conjicere volunt: aliorum item, qui vel ad conjunctiones magnas superiorum Planetarum mutationes Rerumpubl. referunt, vel ad revolutionem Eccentrici terræ cum Copernico, vel cum Cardano ad extremam stellam in cauda Helices, vel ad Cometas Eclipsesq; interitum Rerumpubl. revocant. De quarum plerisq; rectè censet Seneca, Nihil, inquiens, *esse aliud, quod errorem incutiat peritis Natalium, quam quod pauci nos sideribus assignant, cum omnia, quæ supra nos sunt, partem nostri vendicent. Submissiora forsitan in nos propius vim suam dirigunt, & ea, quæ frequentius mota. Cæterum & illa, quæ aut immota sunt, aut propter velocitatem universo mundo parem immotis similia non extra jus dominiumq; nostri sunt.* Quod si ita est, quemadmodum esse probabile est, sequitur plenam horum scientiam à nemine hominum præstari posse, adeoq; siderum illum librum ita subtiliter scriptum esse experientia clamat, ut præter eum, qui scripsit, nemo legere atq; intelligere possit. Atq; huc quoq; pertinet sententia Platonis, qui libris de Rep. mutationis causas esse dixit Numeros, l. 8.
ὧν ἐπιτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται τρεῖς αὐξησέως: quæ verba plus habere difficultatis quam ponderis suspicatur Marsilius Ficinus Platonicorum nostri seculi Princeps. Sed videatur de numeris Platonicis Aristoteles libro quinto sub finem.

De causa remota.

§. 6. Pergimus ad causas veras quarum aliæ proximæ sunt alia remota. Remotam causam mutationum in Rep. dicimus esse Fatum. De Fato consulere jubemus Lipsii primum de Constantia librum. Nos advertimus Fatum nihil esse aliud quam providentiam divinam, quæ omnia creata disponit atq; gubernat. Epicurus olim etiamsi DEUM fateretur, fatum tamen omne sustulit. Alii fatum astruxerunt, sed in naturalibus tantum & necessariis: qui itidem in diversas distracti sententias vel in universis fatum collocârunt vel in æthereis tantum, quæ sententia posterior Aristoteli tribuitur, qui tamen non simpliciter à sublunaribus fatũ removit, sed solum à singularibus: nam circa specierum conservationem occupari fatum agnovit dubio procul. Quo minus autem ad individua fatum porrigeret, obstitit cum rerum contingentia, quas si curaret DEUS, sœpe fine suo frustrandus foret, tum liberum hominis arbitrium. Plato melius & fatum in rebus contingentibus actibusq; humanis statuit, & arbitrii libertatem. Est vero Platoni Fatum *ratio æterna, perpetuaq; lex naturæ universi*, ut est apud Stobæum. Quæ lex ut rebus naturalibus præscripta est, ita sancita quoq; præditis intellectu pro naturæ cujusq; captu. Unde Plutarchus de pla: Philosopho: *Plato quidem admittit fatum in animis hominum vitaq; eorum: sed addit etiam causam, qui ab arbitrio pendeat nostro. Stoici necessitatem ajunt invincibilem esse causam & violentam &c.* Sed de Stoico fato quo spoliatur homo libertate, nobis nunc sermo non est: nec de fato Mathematico, Astrologico seu Chaldaico in quod jure merito sancti Patres invecti sunt, quod & nos ipsi modo explodebamus. Redimus ad fatum Christianum quod ipsum quidem congeriem ac nexum causarum secundarum implicat, sed quatenus sunt subjectæ DEI providentiæ. Quæ tamen colligatio secundarum causarum aliter erga naturales res habet, aliter erga voluntates humanas, adeoq; quæ causas necessarias habent, necessario fiunt (quanquam non absolutâ necessitate; quippe multa interventu liberi agentis creati contingere possunt naturam præpedientia) quæ contingentes, contingenter. Atq; utrarumq; causarum colligatio fatalis est quatenus in ea spectatur tum prævisio DEI, tum decretum. Sed prævisio quanquam minimè sit fallax, nec necessitatem imponit humanis actibus, nec eventuum humá-

In Eclog. Phys. cap. 9. cap. 27.

humanorum causa dici potest. Necessitas altera spectatur ratione decreti, quo DEUS ut cuiq; homini, ita hominum quoq; collecti-oni, quam civitatem vocamus, suum præstituit finem ut tamen innitatur prævisione conditionatæ. *Ruere aut vertere hunc statum vult? (ob antegressa scelera) Consilia prava, & homines tales erunt, qui ad gubernacula admovebuntur. Delatio, adulatio, vanitas locum habebunt: probitas, veritas, prudentia exulabunt. Sed & ut in cythara concentus turbabitur, & obscura primum, mox palàm discordia erit,* ut Lipsii verbis hoc punctum concludamus. 3. Mon. Pol. cap. 5.

§. 7. Causæ mutationum proximæ vel externæ sunt vel internæ. De externa vi non est, quod hic dicamus. Triplici autem modo ex internis causis mutantur Respublicæ: vel enim spontè, vel per fallaciam, vel per vim internam Respubl. corrumpuntur. De spontanea mutatione tanto minus dici opus est, quanto est rarior hæc indulgentia eorum, qui Reip. potestatem in manu habent. Pauci enim Andreæ Auriæ similes ab omni ævo reperti sunt, qui cum patriam Genuam ad pacem composuisset, principatum, qui ipsi offerebatur, maluit, ut ipse loquebatur, patriæ dono dedicare. Fallaciæ sunt crebriores, eaq; vel populi in Principem sunt, vel Principis in populum. Fallaciam populi in imperio electivo notat hic loci Arnisæus, quando ait solere subditos sophistica quadam fallacia uti, ut non admittant ad Imperium, nisi certis legibus circumscriptum, quas non facilè adspernaturus est, qui præter electionem nullum regnandi jus habet. Si enim hæ leges de anno in annum acuantur, & sensim velut particula majestatis una post aliam decerpantur, ità ut tota majestas uno ictu præcidi non sentiatur, verè sophistixῶς proceditur ad potestatem unius minuendam. In exemplum advocat Arnisæus Carolum I V. quem Maximilianus I. haud vanè Vitricum & dissipatorem Imperii nominare solitus fuit. Fallaciam principis in populum Tacitus arcana dominationis & imperii: generaliter colores, & σχεμματα Politica, simulacra & inania, item obtentus dicuntur, Aristoteles σοφίσματα, & προφάσεως χάριν 1. prætextus sub quibus aliud latet; Lipsius fraudes vocat, & prudentiam mixtam. In historia prisca his artibus atq; fallaciis clarus est I. Cæsar, qui, quod plebi se familiarissimum faceret, (quem secutus est Augustus, hunc Tiberius) democratiam cum

De causis internis. lib. 2. Polit. cap. 3.

cum Principatu nemine animadvertente commutavit. Nostra ætate Guilielmus Auraicus eadem arte plus quam ulla acie Ibericas opes afflixit, & in Belgio fœderato Principatum cum democratiis commutavit. Nam, ut loquitur Barclajus, *sub prima initia defectionis, popularitatis novitate animos omnium in se convertit, reputantes, quanto meliori conditione quam sub ipso Rege viverent, sub auspiciis ducis, sibi fasces & imperium debentis. Quippe ab aratro aut navigio inculti adibant nec majestate nec satellitio gravem. Excepta vox in adulationem castigantium humanitatem suam; hominem benè emi, qui salutatione constaret.* Sed nunquid hæc σοφίσματα laudanda aut licita censenda sunt? Equidem arbitramur, utrumq; Heroem divinitus excitatum ad immutandum Reip. statum, quæ aliter salva esse non poterat: neq; enim Romanæ discordantis Reip. aliud remedium fuit, quam ut ab uno regeretur. Ciceronis quidem vox est: *ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter*; sed hæc non ita crudè accipienda est Nam, eodem judice, *communis utilitatis derelictio contra naturam est: & semper officio fungitur utilitati hominum consulens & societati. Stare debemus omnes*, inquit alibi Cicero, *tanquam in orbe Reipublicæ, qui cum jam versatur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas salusq; converterit.* Videatur in Politicis Lipsius.

3. Off.

pro Plan. l. 4. c. 13. seqq.

De causa interna per vim.

§. 8. Reliqua est tertia causa interna, quæ per vim Respubl. convellit nimirum seditio atq; discordia. Multum profecto à veritate aberrant, qui factiones & discordiam in Reip. gubernatione, ceu virtutis aculeum regnare contendunt. In qua sententia fuit Spartanorum Legislator, qui, quod suam Rempubl. rerum dominam fieri cuperet (nam de iis Rebuspubl. quæ sunt ἀυτάρκεις, hoc est, quæ libertate sua contentæ sunt, aliter judicandum censet gravissimus autor Polybius) optimos quosq; inimicitias in cives suos exercere jussit Homerus Agamemnonem de Ulyssis & Achillis rixa gaudentem inducit: quod facturus non fuisset, nisi invidiam & contentionem inter magnates ad conservandum Reip. statum momenti non parum habere judicasset. Sophistarum hoc est, qui sine discordia mundum subsistere posse negant: & hanc astrorum vehiculum, animantium omnium germen, atq; adeo totius universi harmoniam esse affirmant. Imò Tyrannorum est,

inter

inter potentiores inimicitias ferere, donec mutuis discordiis attritas vires sine negotio occupent, ut docet Aristoteles hoc ipso libro, in cujus excerptis reliquum nostræ dissertationis occupabitur, cum felicius rem expedire nequeamus, ipsa vero paginarum angustia nobis imperent brevitatem. Docet ergo Aristoteles ex undecim potissimum causis seditiones, morborum Reip. pestilentissimas erumpere, quarum tamen duo constituit genera, quando septem priores cum tumultu Rempubl. invadere asserit, quatuor postremas sine tumultu. Atq; hæc deinde adplicat ad Respublicas in specie Aristoteles, cujus ductum nos sequendum nobis proposuimus.

§ 9. Initio Aristoteles duas conjungit causas, ex quibus maximi motus in Rep existunt, Contumeliam & Quæstum. *Harum* inquit, *verum contumelia & lucrum, quam vim habeant & quomodo sint seditionum causæ, propemodum apparet. Nam cum in qui magistratus gerunt contumelioſi sunt in privatos, & plura atq; ampliora omnia per injuriam & avaritiam sibi sumunt, seditionem concitant illi tum inter se, tum in eas Reip. formas quæ hanc licentiam permittunt. Jam vero plura & ampliora habendi per injuriam cupiditas, quam pleonexiam Græci nominant, interdum res privatorum interdum in rem communem & publicam confertur.* In publicam rem exercetur à magistratibus avaritia, cum depeculantur ærarium: item cum novis exactionibus & oneribus subditos onerant. In privatam, quando privatorum bona specie quadam ad se rapiunt vel aperte & per vim, vel dolo malo & per quosdam prætextus. Adde nundivationem quando venduntur honores & magno quidem persoluto pretio, dolosq; qui circa honorum distributiones versantur, cum impensas quæ in Magistratus faciendæ, si jus nostrum consequi velimus. Nec ex avaritia magistratuum tantum seditiones exoriuntur, sed etiam ex avaritia privatorum cum divites pauperes usuris exsugunt, vel ad se rapiunt materias opificum, puta stannum, cuprum, ferrum quod deinde opificibus elaborandum tradunt eo pretio, quo vix ac ne vix quidem se tueri possint. Pergit Aristoteles ad causam tertiam, quæ est dolor, quod excludamur nos honoribus & alii illis ornentur. *In promtu etiam est, quid valeat honos, & quomodo seditionis sit causa. Nam & cum ipsi ignominia afficiuntur, & cum alios honorari vident, dissident ac discordant.*

Earum prima, secunda, tertia. *lib. 5. cap. 3.*

dant. Fiunt autem hæc injustè cum præter dignitatem aut honore afficiuntur, aut dedecore infamiaq; notantur, justè, cum ex dignitate.

Quarta, Quinta, Sexta, Septima.

§ 10. Quartam causam statim subjicit, *Propter excellentiam porro seditio oritur, cum aliquis unus aut plures, ampliores opes majoremq; potentiam obtinent, quàm fert civitas aut Reip. administrationi potentia. ex talibus enim rebus monarchia aut dynastia nasci solet.* Interfatur nonnulla de ostraciſmo, de quo sequenti dissertatione agendum erit: & claudit hanc causam insigni monito: *Præstat ab initio providere, ne viri tam excellentes possint in civitate existere, quam malo ex patientia & negligentia nato posterius mederi.* Hinc provehitur ad causam Quintam, quæ est metus isq; duplex vel oppressionis vel pœnæ. *Propter metum seditionem commovent, & qui injuriam fecerunt, ne dent pœnas: & qui suspicantur futurum ut injuria afficantur, volentes antevertere atq; occupare priusquam injustè lædantur.* Atq; hactenus causas quinq; vidimus, quæ cives concernunt sive imperantes sive parentes: sequuntur duæ, quæ gubernationis statũ quam proxime tangunt. Earum prior numero sexta causa est contemtus, de quo Aristoteles: *Propter contemtum autem seditionem excitant & impetu facto in alios invadunt: ut & in Oligarchiis cum plures sunt ii, qui à Reip. administratione excluduntur (meliores enim se esse putant) & in democratiis locupletes contemta confusione & perturbatione rerum imperii q; vacuitate.* Sed & principes caveant ipsi alios contemnere: caveant deinde contemni, seu ne causas se contemnendi præbeant. *Nunquam,* inquit Plinius, *nisi ex contemtu imperii nostri factum est, ut vincerentur.* Posteriorem, eamq; numero septimam Aristoteles his verbis edisserit: *Oriuntur & propter incrementum quorundam à proportione aversum ac remotum reip. administrationum commutationes. Quemadmodum enim corpus ex partibus constat, id q; oportet ex proportione crescere, ut maneat totius & partium commensus: sin minus, interit, cum pes quidem quatuor est cubitorum, reliquum vero corpus duorum palmorum: interdum vero etiam in alterius animantis figuram vertitur, si non solum ex quanto seu quantitate, verum etiam ex qualitate augeatur & crescat præter proportionem: ità & civitas ex partibus concreta & coagmentata est, quarum sæpè nonnulla occultè augescit & sensim, ut in democratiis & oligarchiis (cum aliquis*

in Paneg.

ordo

ordo nimium adsurgit plebis vel nobilium, divitumve) *vel etiam subito & perspicuè, puta ut casu & fortuito aliquis ordo augmentum capiat extincto altero.* Auro contra cara verba! huc contendentia ut inter Reip. partes ac ordines proportio sit, nec unus ordo alium scandere præsumat. Romæ harmoniam ordinum Senatorii, Equestris & plebeji primus disturbavit Gracchus, depresso senatorio, evectis reliquis, atq; ideo Romanæ Reip. eversor primus ab Historicis notatur. Plura exempla paginæ angustiæ excludit: cupimus ea ex Piccarto atq; Arnisæo peti.

Octava. Nona. Decima. Undecima.

§. 11. Hucusq; septem priores causas exposuimus, quæ cum tumultu erumpunt: sequuntur quatuor, quæ sine tumultu, nec tam ab improbitate, quam ab imprudentia oriuntur. Ex illis primam Aristoteles facit τὴν ἐξύβριν, quam alii vertunt, Rixam, Cl. Piccartus vilitatem seu vitæ rationem contemtam, quando videlicet magistratus sortito delectus incidit in homines viles & prorsus abjectos. Tunc enim indignantur honestiores, & quia magistratus à sordidis istis hominibus contaminantur, nolunt ipsi magistratus amplius gerere, permanent igitur apud infimam plebem, & latenter ab hoc malo itur ad interitum. Secunda causa est Negligentia est incuria, de qua Aristoteles: *Etiam propter negligentiam ac incuriam seditiones oriuntur, cum eos, qui à reip. administrandæ forma alieno sunt animo ad amplissimos magistratus pervenire sinunt.* Addit tertiam, eamq; numero decimam τὸ διὰ μικρὸν, sive τὸ παρὰ μικρὸν, hoc est propter id quod est parvi momenti: *dico autem*, inquit, *rem parvi momenti, quia sæpè non sentiunt homines magnam institutorum reip. mutationem fieri, cum in re parva connivent & negligentes se præbent.* Parva scilicet contemta scintilla magnum sæpe excitavit incendium. Viri fortis est, ut nihil timere, ita nihil contemnere. Agmen causarum claudit quarta motu carens, eademq; undecima causa, quæ ex naturali quodam hominis affectu manat. Nihil penè suavius ait hoc loco Piccartus, homini est, quam alteri maledicere & ab eo dissentire. Itaq; sæpè alienationes animorum inter plures: & quo plures conveniunt, eò crebriores sunt mutationes. Oritur autem illa dissensio ex dissimilitudine, quæ in multis esse potest. Aristoteles hanc dissimilitudinem collocat primum in natione, gente & genere, dum inquilini

multi & advenæ in civitatem recipiuntur: deinde in loco, quan do talis est locus, ut non sit ad unam eandemq; gubernationem aptus v.g si flumine aliquo dividatur, vel ex parte montosa sit civitas. *Quemadmodum enim in bellis ac prælijs cloacarum & fossarum vel minimarum transitus ordines distrahunt ac divellunt: sic omnis dissimilitudo ac diversitas, dissidium ac discordiam parere videtur. Ac maxima fortasse dissensio & discordia est ea, quæ est virtuti cum vitio:* (orthodoxis cum hæreticis, vel schismaticis: hæc enim res quantas turbas dare possit, temporum horum calamitates testantur) *proxima divitiarum & paupertatis: & ita alia, quam alia, major dissensio est.*

Superiorum explicatiuncula.

§. 12. Has causas mutationum generaliores complexus est Aristoteles capite tertio: quarto quid sibi velit, non eadem est interpretum sententia. Alii novas motuum causas, rem uxoriam, augmentum ordinis, & exæquationem omnium ordinum adferri: contra Piccartus superius enumeratarum unam alteram magis explicari rectius statuit. Docet ergo initio Aristoteles τὸ μικρὸν diligenter cavendum esse, potissimum in dissidiis Principum, quæ à levissimo orta initio maximam rerum mutationem aucta adferre queant. Motus quidem ipsi non versantur circa parva, nec rerum minimarum causa excitantur, sed rerum maximarum, ut dictum est: attamen ex parvis initiis proveniri solent atq; adolescere: ubi id opera danda ut lites vel ne exsistant omnino, vel mox sopiantur. Nam *in principio peccatum consistit: at principium dimidium totius esse dicitur*, ut prudentissimè Aristoteles. Altera capitis quarti parte resumit explicandum, quod de servanda proportione suprà monuerat: ne quis ordo in Rep. cum magnam sit existimationem consecutus re benè domi bellive gesta, exinde sibi spiritus sumat, aliosq; ordines præ se contemnat. Dices: si augmentum ordinum clades Reip. adfert, Ergone exæquatio omnium ordinum saluti erit Reipubl.? respondet Aristoteles non sequi. Cum enim ordines omnes sese pares vident, nullus alteri parere vult. Ubi vero ordinum aliorum quidem prærogativa est (intellige geometricam: nam arithmetica æquatio materinobædientiæ est) ibi inferiores coguntur, quod vel maximè apparet in viris bonis qui cum numerò sint aliis inferiores, à seditione sunt alieni. De vi atq; dolo quod subjungit, supra à nobis memoratum est: § 13.

§ 13. Progrediamur nunc cum Aristotele, & percursis generalibus Rerumpublicarum morbis ad speciales Monarchiæ, Aristocratiæ & democratiæ corruptiones accedamus. Primum Aristoteles de democratia disputat, eamq; mutari maximè ait propter demagogorum seu blandorum populi ductorum & levium concionatorum petulentiam. *Nam partim locupletes privatim calumniis onerantes, eos coire & conspirare faciunt (conciliat enim & conjungit vel inimicissimos communis metus) partim communiter multitudinem in eos incitantes*, quæ libenter audit calumnias in divites quippe persuasa, ab injuria & rapina tantas opes profectas esse, conjunctas cum suo damno, atq; hinc involare bona divitum paratissima est. Hinc patet democratias etiam in oligarchias mutari contra quàm Plato sensit: videntes enim divites illi de suo ludi corio præ-venire malunt quam præveniri. Secundus modus mutationis democratiæ per demagogos occultis fit artibus & velut per cuniculos. *Interdum enim ut à populo gratiam ineant, nobilibus injuriam inferentes, eos ad consensionem & coitionem faciendam impellunt, dum aut eorum bona legibus agrariis dividunt bonorumq; æquationem inducunt; aut vectigalia functionibus munerum publicorum exhauriunt: interdum falsis criminibus in judicium adducentes & in invidiam vocantes, ut divitum fortunas & facultates rei familiaris publicare possint.* Sed non in oligarchias tantum mutari democratias, verum etiam in Tyrannidem monstrat Aristoteles, hujusq; rei causam adjicit. *Prisci porro temporibus cum idem populi ductor fieret & Imperator, democratia in Tyrannidem vertebatur. ferè enim plerique tyranni antiqui ex populi ductoribus facti sunt. Causa autem quamobrem tunc fieret, nunc vero non item, est, quod populi ductores erant ex numero eorum, qui præerant exercitui, quique rem militarem administrabant: nondum enim eloquentes erant. Nunc autem arte dicendi propagata, qui dicendo valent, populo quidem præsunt, eumq; concionando moderantur: sed propterea quod sunt imperiti rerum bellicarum, non moliuntur res novas, neq; reip. administrandæ formam conantur immutare, nisi sicubi leviter quippiam tale tentatum est.* Adde, quæ sequuntur. Tandem democratia quoq; vetus & probata bonis mutatur atq; degenerat in democratiam vitiosam, seu Ochlocratiam, quæ in manu plebis rerum summam collocat. *Nam qui-*

De inorbis democratiæ. cap. 5.

bus in locũ magistratus per electionem deferuntur, non ex censibus, & populus eligendi jus habet: in eis ambitiosi homines populo assentantes eò rem deducunt, ut populus (plebs) *etiam legum sit arbiter & dominus, magistratuq; in vilissimas & spurcissimas personas conferatur, puta per sortes vel urnam.*

De morbis Oligarchiæ, cap. 6.

§. 14. Sequitur Oligarchia', quæ duobus maximè modis secundum Aristotelem mutatur: *Uno quidem, si pauci potentes & Reip. compotes multitudini injuriam inferant, Quivis enim fit hic dux idoneus ad præeundum populo sed tum maximè cum acciderit, ut dux ex ipsa Oligarchia existat.* De injuriis nonnulla diximus differt. VIII. §. 17. Secundo modo mutantur Oligarchiæ per dissidia Principum, qui multiplex esse solet. Interdum enim hinc disidia, *& ab ipsis divitibus seu nobilibus, non iis tamen, qui provecti sunt ad magistratus, nascitur Oligarchiæ interitus, cum valdè pauci sunt ii, qui honores sunt adepti: puta lege obtinente ne pater & filius, fratres item plures reip. administrationis simul fiant participes. Sic in Cnido cum populus dissidentes Olicharchicos occupasset, atq; oppressisset, & ex illustrium virorum numero ducem cepisset: impetu facto eos adortus prosligavit, rerumq; potitus est*: IMBECILLUM *enim est* ID OMNE, quod DISCORDAT. Deinde *mutantur* etiam *Oligarchiæ ipsorũ paucorum potentium culpa, cum propter contentionis studium populo blandiuntur atq; assentantur. Duplex autem popularis blanditia est: una quæ in ipsis paucis potentibus vertitur, cum unus paucis blanditur: altera, cum turbæ & feci populi blandiuntur & assentantur pauci divites imperium obtinentes.* Addit Piccartus tertiam adulationem, quando oligarchici factiones inter se alentes, eversam cupiunt alteram partem: ibi pars infirmior ad populum confugit eiq; assentando favorem & auxilium implorat. Sed & seditionem ciere, ipsosq; nobiles dissidentes facere solet luxus & prodigalitas Oligarchicorum, cujus comes individuus est æs alienum. *Etenim tales homines rebus novis studeni, & aut ipsi tyrannidem occupant, aut alium tyrannum parant: interdum pecuniam publicam furantur, ex quo aut hi inter se dissident & discordant; aut qui his remp. depeculantibus adversantur & repugnant.* Tertia dissidiorum inter Principes causa est, si Oligarchici quidam à summis magistratibus excludantur. Quarta causa est dissidentia *in bello quidem, dum propterea, quod*

quod populi fidem habent suspectam, militibus externis coguntur uti; in pace vero propterea quod mutuo fidem non habent, custodiam corporis externis militibus & principi inter eos medio tradunt atq; committunt, qui sit interdum utriusq; partis dominus. Quinta causa injuria est imperantium mutua: sexta, nimis impotens & dominica administratio, quam ægrè ferentes subditi, Oligarchias fregerunt atq; dissipârunt. Sed & ex eventu sœpè mutantur Oligarchia, cum ad censum, qui magistratibus definitus est, plures casu aliquo & fortuna ditati perveniunt.

§ 15. Idem, qui Oligarchias convellere solet, turbo Aristocratiam quoq; perflat, viris quidem optimis constantem, sed humanis erratis obnoxiam. Nam, cum omnia vicerint viri boni, sœpè ambitionem vincere nequiverunt, quæ sapientiam professis, ut ait Tacitus, novissima exuitur. Adde, quod inter bonos quoq; frigusculum exoriri possit, quod majoribus post turbis & mutationi submINistrare materiam possit: nec ita providè gubernari hominum fex possit, quin specie aliqua injuriæ proritata tumultuetur, remq; omnem evertat. Sed nos videamus, quos morbos speciatim Philosophus Aristocratiæ tribuat. In Aristocratiis seditiones existunt, *vel cum pauci honorum sunt participes & aliquantus est numerus τῶν πεφευγμαπσμένων, hoc est, hominum magnos spiritus gerentium, quasi virtute similium: vel cum aliqui à quibusdam honoratioribus viris ignominia afficiuntur, qui ipsi magni viri sunt, & virtute nemine inferiores: vel denique cum aliquis animosus, audax & robustus non est particeps honorum.* Alteram mutationis Aristocratiæ causam subnectit Aristoteles, videlicet magnam bonorum inæqualitatem, *cum alii magna egestate premuntur, alii valdè sunt locupletes & copiosi*; de qua re diximus dissertatione IIX. & IX. Tertia mutationis causa est, *si quis magnus sit, & qui major etiam fieri possit, ut unus & solus reip. præsit atq; imperet*: de quo itidem dictum disp. de Aristocratia. Convelluntur autem & intereunt maximè cum politiæ (democratiæ laudabiles) tum Aristocratiæ propterea quod in ipsa reip. administratione jus negligatur atq; migretur, uniusq; in Rep. ordinis sive divitum, sive nobilium sive plebis, seu deniq; Optimatum jus præponderet, de quo priori disputatione ex Aristotele quædam adduximus, quibus adjungantur, quæ de eodem capite hic præclarè à Philosopho disputantur.

De morbis.

§. 8.
§. 9.
§. 14.

Tan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0299
DFG

Tandem alium quendam suprâ, cum communia tractaremus, traditum modum, nimirum τὸ μικρὸν seu neglectum paruorum Aristocratiæ in specie accommodat. *Cum enim aliquid eorũ, quæ ad Rempubl. pertinent projiciunt ac deserunt, postea etiam aliud paulo majus facilius movent, donec omnem ordinem atq; ornatũ Reip. conquassârint.*

De morbis Monarchiæ. cap. 10.

§. 16 Ex aliquo intervallo Philosophus redit ad interitum & morbos Rerumpublicarum, atq; Monarchiæ lustratis morbis telam hanc detexit. *Ferè*, inquit, *iis quæ diximus, cæteris reip. administrandæ formis evenire, similia sunt ea, quæ regnis & tyrannibus accidunt Nam regnum quidem Aristocratiæ congruit, tyrannis vero ex oligarchia deterrima & democratia vitiosa componitur,* Cumq; regni & Aristocratiæ affinitatem docuisset, interfatur quædam de Tyrannidis origine: *Omnes*, inquiens, *Tyrannus vel à regno oritur, vel à magno aliquo magistratu* Post regis & Tyranni differentiam colligit à consilio & intentione utriusq; à fine, à studiis, deniq; à custodia utriusq; Inde digreditur ad demonstrandum, Tyrannidem ex Oligarchiæ ac democratiæ vitiis conflatam esse. Prius autem, quàm causas mutationum Monarchiæ plenius explicet, duo facit conjurationum genera, alterum in Principem, alterum in Principatum, ex quibus emergit nova conjuratio in utrumq; Cæterum mutari Monarchias generaliter ait Injuriâ ſ. contumelia sive ea corpori vel nostro vel nostrorum per libidinem inferatur, sive per plagas; deinde metu, & deniq; contemtu, qui oritur ex mollitie fœminina, ignaviâ & animio studio voluptatum, præsertim si imperaverit Monarcha generosis & qui τιμὴν πολεμικὴν habent. Sub finem duas causas internè regnum corrumpentes speciales addit, quarum prima est, si, qui regni sunt participes, puta fratres, agnati, in partes scinduntur; altera, si Rex tyrannicè imperet, quod ipsum cum in regno electivo, tum in regno κατὰ γένος seu successorio locum habet, in quo si succedant degeneres, crudeles, contemnendi ῥᾳδία ἐγίνετο ἡ κατάλυσις. Tandem & Tyrannis internè corrumpitur discordiâ τῶν μετεχόντων ſ. eorum, qui sunt participes imperii, & odio, de quo dictum est dissert. VII. §. ult.

COROLLARIUM.

De mixta Republ. nihil hic nobi dicendum occurrit, quin eam ipsam dari negat definitio Mixtionis. Est enim mixtio, miscibilium alterationum unio. Sed nec uniri diversæ Rerumpubl. formæ possunt salva contradictione, ut ostensum d. ſ. V. §. 8 & ea est indoles formarum cum substantialium, tum Accidentalium; ut quemadmodum nec intendi possunt, nec remitti ita quoq; nequeant alterari.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0300
DFG

DEO DUCE!

THESIS I.

Disp. XIX. Resp. FRICCO DABELOVIUS, Neobr. Megap.

MOrbos Rerumpubl. adeoq; τὴν παθολογικὴν tam in Genere, quàm in specie expendimus; restat, ut τὴν θεραπευτικὴν seu tractationem de Remediis nunc aggrediamur. Qua in re si tantum non superstitiosè vestigiis Magistri insistiterimus, nemo erit, opinor, qui hoc nomine nos censeat culpandos. Et opinativis quidem causis non est, quod præter ea, quæ Veritatis ocellus nobis dictabit, quidquam opponamus. Fato & providentiæ divinæ opponenda morum emendatio est cum seria & devota precatione conjuncta: neq; enim ulla de Hominis salute decreta DEI absoluta censenda sunt siquidem revelatæ DEI voluntate adhæremus, quod nos facere Fides jubet: conditio ubiq; adjicitur, *si observaveritis mandata mea, benè vobis erit; sin minus, malè.* De mutatione Reip. per vim majorem seu externam nihil habemus dicere: saltem inculcamus illud Platonis: *Hoc simpliciter verum est, omnem Rempubl. ex eo, quod dominatur, mutari, quando in ipso seditio oritur: dum vero secum ipsum consentit, etiamsi valdè exiguum sit, mutari impossibile est.* Ad internas ergo causas mutationum in Republ. conversi spontaneas prorsus dimittemus: σοφίσματα vero & vim internam ita eludere atq; elidere ex Aristotele docebimus, ut cum sœpè fallaciæ vis misceatur, nos quoq; remedia proferamus, quorum usus & in devitandis sophismatis & in persananda vi interna maximus esse queat. Interim hoc velut generale remedium prudentiæ mixtæ & sophismatis opponimus, ut similia similibus curentur, adeoq; ars arte deludatur: nam violentiâ quàm nihil proficiatur docent exempla quæ disputatione præcedente adduximus. Cæsaris & Principis Auraici. Quanto rectius commoda expectata occasio fuisset, & tantisper tolerata potentia Cæsaris, dum sua sponte exstincta esset, atq; intepuisset clientium favor? Quam rem tetigimus differt. IIX. Sed nunc incipiamus Aristotelis verba recitare.

Remediorum generalium Primum, ex cap. 8. lib. 5. Pol.

§. 2. *De salutæ* (τὴν σωτηρίαν opponit τῇ φθορᾷ : hanc morbi, illam remedia procurant) & *omnium Reip. administrandæ formarum, & unius cujusq; separatim, consequens est, ut dicamus. Primum igitur perspicuum est, si ea, quæ sunt perniciosa ac pestifera reip. administrandæ formis, teneamus, ea quoq; nobis esse nota, quæ sunt his salutaria Contrariorum enim efficientia sunt contraria At interitio seu pernicies saluti contraria est.* Quam illustre exordium ipsam continens cum tractandi ratione propositionem? Deinceps primum remedium adfert, huc tendens, ut caveatur *τὸ μικρὸν.* Ipsum audiamus. *In Reip. administrandæ formis benè temperatis, cum videndum sit, si quid aliud, ne quid cives contra leges faciant: tum maximè cavendum, ne quod parvum est negligatur, neve in re parva peccetur. Occulta enim serpit ac se insinuat legum violandarum, atq; institutorum civitatis negligendorum consuetudo: quemadmodum facultates rei familiaris parvi sumtus exhauriunt, si sæpè fiant. Non appareret autem commutatio, quia non profunditur universa: decipitur enim ab iis rebus mens, tanquam falso quodam syllogismo: cujusmodi est sophistica ratio, si unumquodq; parvum est, ergo & omnia. hoc autem est, ut sit verum, est ut non sit. Totum enim & omnia non sunt parva, sed ex parvis componuntur. Huic igitur principio statim opponenda custodia & cautio est.* Hactenus Aristoteles, qui cum consentit Plato: *Neq; gubernatoribus, inquit, neq; Imperatoribus res benè sub manum succedet, nisi minima quoq; curæ sibi habeant.* Cl. Piccartus hæc ad Tyrannidem Pontificiam applicat. Non animadvertebant majores nostri, cum nunc ædiculam, nunc agellum, nunc pagum, nunc aliud quidpiam cœnobiis & Religioni donabant, quo res tandem esset cassura, non intelligebant, quò pertineret, quod pontifices Romani mox attollerent hujus Regis imperium, alterius deprimerent, sicq; sensim omnium vires enervarent; nos miseri sentimus & hæc mala facta gementes plangimus. Et in Oeconomia hujus moniti usus est, ne sumtus minimos leves jacturas ducamus: nam quæ non obsunt singula, juncta nocent.

10. de L. L.

Remedium secundum.

§. 3. Accedimus ad secundum Remedium Generale, quod in dehortatione versatur ne iis, quæ callidè & captiosè ad multitudinem fallendam comparantur, fides habeatur: à factis enim redarguuntur & refelluntur. Libro quarto ostenderat Aristoteles, quibus

quibus velut decipulis populus circumveniatur, atq; aliquot so- cap. 13.
phismatum ſpecies recenſet, quibus & Oligarchici populum & populus oligarchicos involvit. Oligarchicorum ſophisma primum eſt in concionibus & deliberationibus publicis, ubi magnates ita decernunt, ut ad eas accedere quidem liceat promiſcuè omnibus, ſed divitibus, ſi abſint, pœna eſt conſtituta, populo nequaquam: qui poteſt abeſſe quando vult, aut populo quidem eſt ſtatuta pœna, ſed exigua, magnatibus contrà maxima. Sic fit, ut populus à deliberationibus avocetur, primum ſuperbia aliqua, ut libertate abſentiæ ſeſe oſtentent: deinde quia adſuetudine tandem nauſeant ad iſtas deliberationes: ſic decernendi jus relinquitur ſolis magnatibus. Secundum ſophisma eſt in magiſtratibus, quos non licet magnatibus recuſare, popello licet: qui ut videatur melior eſſe divitibus, privilegio, ſi diis placet, ſuo frui gaudet, & reſpuit magiſtratus, quos imitantes alii ſenſim relinquunt divitibus imperium. Tertium in judiciis eſt: ubi maxima mulcta imponitur, ſi abſint, magnatibus; nullo vel exigua populo. Sic abducunt ſe quoq; à judiciis pauperes, quæ alioqui ſunt invidioſa. De hoc ſophismate diximus Diſſ. IX. Quartum eſt de armis habendis, quæ magnatibus omnino imperari debent, pauperes hac re ſublevari: ſpecie, ne ſumtibus onerentur, reipſa ne quid turbare poſſint. Quintum eſt: divites exerceri militariter debent, & niſi adſint exercitiis, mulctari: pauperes poterunt abeſſe, ſic tamen, ut ne excludantur. Hæc ſunt ſophismata potiora Oligarchica, quibus contraria ſunt democratica. Nec in Monarchia deſunt ſophismata, ut diſp. præcedente oſtenſum eſt. Et notat Ariſtoteles hoc ipſo libro adulatores & demagogos in Tyrannide non ſecus ac in democratia florere: cap. 4.
demagogos, inquam, qui populi decreta ſibi placere clamitant, magiſtratus cavillantur, imminutaq; eorum poteſtate jus omne ad populum, vel potius, quem ipſi ſuſpenſo naſo circumducunt, ad ſe revocant, & Tyrannidem ipſi invadunt, quales ex religioſis hodiè ſunt domini Jeſuitæ. Vide Clapmarium de arcanis Rerumpublicarum.

§. 4. Tertium remedium Rerumpubl. quidem omnium commune eſt, ſed potiſſimum in Ariſtocratia & oligarchia locum habet. Nimirum *ii, qui magiſtratus & imperia obtinent, rectè ſe ge-* Remedium Tertium

rere debent tum adversos eos qui rempubl. communiter administrant, si inter se vivant amicè, tanquam pares: tum adversus eos, qui reip. administrandæ non sunt participes, si nullam his injuriam inferant. Cumq; hi duorum sint generum, honoratiores seu φιλόπροι & plebs φιλοκερδὴς, amplius saluberrimo monito nos instruit Philosophus, dum *eos* ait *qui sunt in numero privatorum ad principatum apti ad reip. administrationem vocandos: eos quidem, qui sunt honoris & laudis cupidi, nulla injuria, quæ infamiam conjunctam habet, afficiendos: plebem vero & multitudinem nulla injuria, quæ lucrum imminuat, damnumve inferat, afficiendam.* Et ad Aristocratiam conservandam porro ait facere, si magistratus magni non sint diuturni, sed summa imperia semestria, ut ita sæpius in orbem redeant, ne vel illi, qui magistratum gerunt, insolescere, vel excluſi indignationem concipere merito possunt. Sed hac de re dictum differt. IIX.

Quartum.

§ 5. Sequitur Remedium Generale Quartum: *Servantur autem reip administrandæ formæ, non solum, quod longè absint ab iis, quæ perniciem atq; interitum afferunt: verum etiam interdum, quod propinquæ sint. Dum enim metuunt, statum Reip. ambabus, ut ajunt, manibus atq; adeo mordicus retinent. Itaq; oportet eos, quibus Reip. status curæ est, terrores quosdam civibus opponere, ut sibi caveant, neq; dissolvant tanquam nocturnam vigiliam, sic reip. administrationis custodiam, & quod longè distat, propè admovere ac repræsentare, & veluti ob oculos ponere.* Nimirum his verbis non jubet Philosophus periculum accersere, sed metum fingere, quo sint omnes circumspectiores & vigilantiores. ὁ γὰρ φόβος βουλευτικὸς ποιεῖ, ut habet in Rhetoricis, ubi de metu eadem ferè, qui hic inculcat. *Metum quamvis inimicissimos conjungere* dixerat supra: in Rhetoricis, *Conjungit*, inquit, *omne noxium homines, maximè si communiter etiam dissidentibus sit noxium.* Cui simile est Livii dictum: *Metus externus maximum concordiæ vinculum.* Hoc consilio multa Regna contineri videmus, quæ semper, quicum bellum gerant, habent, imò captant bellandi occasiones, quo externo metu retineantur in officio cives, & imminenti communi malo, qui alioquin in varias erant factiones scindendi, conjungantur atq; copulentur. De Rep. Batavorum fœderatorum præclara habet Vir nostri seculi maximus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0304
DFG

mus J. Lipsius in prudentissima Epistola, quæ in Centuria ad familiares conspicitur, cujus verba adscribere non dubitavimus. *Mihi*, inquit, *crede, habent odia, factiones, & sua vulnera, sed occuluntur ea omnia impediente magno illo metu, qui æqualiter tangit omnes. Remitte paululum, ad ingenia & vitia sua redibunt ut boves instante lupo coeunt, capita & cornua jungunt; abeunte, quùquis sibi pascit. Sic Batavi nostri, quos ambitio fortasse valde non tangit, magis avaritia & amor quæstus. Ubi hoc postremum: annon regibus semper occasio ad se trahendi? aureo isto hamo piscandi? intelligunt peritiores. Sed ut fiat utiliter, quiete aliqua opus est, & occasiones ea dabit.* Quis Lipsium vatem fuisse negabit, qui expenderit factiones & dissidia duodecennalium induciarum, remonstrationes & contraremonstrationes? Ep. 88.

§. 6. *Præterea*, inquit Aristoteles, *& nobilium contentiones ac discordias conandum est legibus multo ante coercere: & eos, qui sunt à contentione immunes, priusquam in contentionem incidunt, præmunire.* Scilicet hoc ordine quintum est Remedium Generale, sed facilè primum dignitate. Duo vero sunt, quæ Aristoteles inculcat. Primum est, ut caveatur, ne unquam oriantur seditiones: quod cavebitur, si æqualitas amicitiæ in Republ. diligentissime servetur: item si pœnæ graves autoribus seditionum constituantur, eæq; sine discrimine peccantibus imponantur. Alterum jam orta seditione locum habet, quando multi in societatem sceleris adsciti ab autoribus sunt, tum cæteri à contentione immunes præmuniendi, ne sese jungant, seditiosis vero primum objicienda Legum & prudentium virorum autoritas. nam *malum à principio oriens cognoscere, non est fortè oblati, neq; cujuslibet hominis; sed ad civitatem regendam apti & idonei viri*, qui motos possit componere fluctus: deinde, si duo illa nihil proficiant, conciliatio amica tentanda est arbitris delectis, & tentanda ἀμνηστία, quibus omnibus irritis majori utendum est vehementia, ut pœna ad paucos, autores scilicet, metus ad omnes perveniat. De salubertimo remedio ἀμνηστίας hic repetimus alibi dicta: mirum eam primum fuisse repertam à Thrasybulo Athenienſi, ut testatur Xenophon, ex eoq; Ciceronem medicinam eandem arripuisse, cum post mortem Cæsaris imperium sua mole laborans ad occasum tenderet, essentq; cuncta plena Quintum. lib. 20. ἑλλην.

lib. 4. Ann. na motuum inteſtinorum. Qui plura de ſeditionum occaſionibus, & remediis volet, adeat eruditiſſimas notas ad Tacitum Forſtneri, qui & illud annotat ſolere conjurationes nundinarum, nuptiarum, feriarum, aliarumq; celebritatum tempore expediri, eamq; rem exemplis plurimis illuſtrat. Cæterum obiter hic notamus, Ariſtotelem tacite conſilium Solonis impugnare, quod apud Plutarchum legitur hac ſententia: *Si ob diſcordiam diſſenſionemq; ſeditio atq; diſceſſio populi in duas partes fiat, & ob eam cauſam irritatis animis utrimq; arma caperentur, pugnaretur q; tum, qui in eo tempore, in eo casu civilis diſcordiæ non alterutri parti ſeſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatusq; à communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo, patria, fortunisq; omnibus careto: exul, exterrisq; eſto.*

Vide Agell. 2. 12.

De Neutralitate.

§. 7. Hic amplius quærendum, an rectè ſatis à Solone ſeorſim ſentiat Philoſophus. Nam certè media illa via, non media eſſe, ſed nulla videtur. Thucydides in deſcriptione ſæviſſimæ Corcyræorum ſeditionis de *mediis* memorat, *ab utrisq; preſſos eos eſſe, aut, quia particeps ſeditionis eſſe recuſârunt, aut, quod ſoli ſupereſſent, odio habitos.* Adde medios illos, ſi alterutri parti ſe adjunxerint, magnum ad reſtinguendam ſeditionem pondus allaturos, ſuam partem regendo, & adverſariam ſenſim flectendo. Unde Græcorum: ὁ μαινομένοις μὴ συμμαινόμενος ἔστι μαίνεται, *Qui cum inſanis non inſanit, is inſanit.* Arbitramur Ariſtotelis ſententiam ſalvam eſſe, ſi minor populi pars in factiones fuerit diſcerpta, imò, etſi major pars efferveſcat, poſſe τὴν ἀδιαφορίαν ſeu neutralitatem, imò debere uſurpari ab iis, qui apud utramq; partem in authoritate præcipua ſunt. Quomodo Conſules apud Livium legimus diviſum Populum Romanum, adeo q; diſcerptâ à Senatu plebem revocaſſe, ſeq; medios inter partes diſſidentes geſſiſſe. In quam ſententiam Cæſar ad Atticum ſcripſit. *Viro bono & quieto, & bono civi nihil magis convenit, quàm abeſſe à civilibus controverſiis.* Et Pacuvii Campani exemplum ex eodem Livio adducit N. Machiavellus. Quia de neutralitate in civilibus bellis dictum eſt, verbum de neutralitate in bellis externis addamus. Eam eſſe infauſtam Autores omnes conſentiunt: quippe neutrales ſine gratia, ſine dignitate præmium victoris erunt. Sed quid ſi tam potens aliquis ſit, ut neutrum victorem metuere neceſſum

lib. 23. cap. 2. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0306
DFG

ceſſum habeat? hunc præſtat armis abſtinere, ſiquidem hoc modo & periculum declinabit, & ſumtibus parcet, & vires ſervabit integras, deniq; errores aliorum ſæpe commodam rei ſuæ faciendæ ſubmaniſtrabunt ei occaſionem: quæ verba Guicciardini recitat in Quæſtionibus ad Tacitum CL. Berneggerus, qui duas alias cautiones & limitationes regulæ de fugienda neutralitate adfert. Quarum prima eſt, ut quis finitimorum principum conſenſione mutua per ſeſe tueatur imperium, & à ſociorum bellis abſtineat. *Qua quidem ratione*, inquit, *Lotharingi, Allobroges, Burgundi libera pace ac tranquillitate ſtoruerunt, quamdiu à bellis finitimorum principum, & quidem eorum conſenſu abſtinuerunt: at, cum primum dux Allobrogum Hiſpanis ſeſe adjunxiſſet, imperio ac poteſtate à Francis exutus eſt.* Alteram ſubnectit: ſi vicini hoſtes mutuo inter ipſos metu prohibentur, ne nobis noceant, aut ſi uterq; hoſtium indigeat noſtra opera, metuatq; , ne hoſtiliter tractati ad alteros nos adjungamus, plurimumq; momenti ad ſe opprimendos adferamus: tum enim neutris ſine periculo accedere poſſumus. Q. 155.

§. 8. Pergimus ad Remedium Generale Sextum, quod ſuggerit æquam cenſus deſcriptionem, quæ neglecta multa incommoda & turbas cum omnibus Rebuspubl. objicit, tum potiſſimum illis, in quibus Majeſtas eſt penes plures, paucos, vel omnes. Cum enim Oligarchia ex cenſu magiſtratus legat, & vero cives contingat modo ditari, puta ſi fruges inſigniter proveniant, aut victoria aliqua nobilis obtineatur, modo calamitate aliquâ opibus minui, niſi maturè occurratur, facile malum & mutatio ſtatus exoriri poteſt. Conſultum erit, ut cenſus mutetur pro conditione rerum, ſic ut creſcentibus opibus Reip. augeatur cenſus, imminuta imminuatur: & mutetur quidem in parvis civitatibus quotannis cenſus, quia ibi augmentum vel decrementum facilius ſentitur: in magnis triennium intercedere poteſt, vel amplius etiam ſpatium, quomodo Romani ſingulis luſtris cenſum inſtaurabant. Hactenus ex Ariſtotele Piccartum adduximus, uſum cenſus in Oligarchiis monſtrantem. Poteſt tamen omnium Rerumpubl. conſervandarum atq; à labe præſervandarum quam efficaciſſimum utiliſſimumq; remedium cenſus conſtitui, adeoq; vehementer mirari ſe ait Bodinus, munus hoc cenſendi bona civium tam utile & neceſſarium, ſive ad civi- Remedium ſextum

lib. 6. cap. 1.

civium descriptionem, ætatem, numerum, ordinem, conditionem; sive ad fortunarum omnium ac facultatum æstimationem; sive, quod præcipuum est ad morum conformationem tanta posteritatis negligentia omissum fuisse. Pergit, & Romanos veteres de omnibus Græcorum institutis nullum Censura prius expressisse dicit, cum scilicet peregrinorum legibus facilè carere, Censura non possent. *Ac tametsi*, inquit, *regibus urbe exactis omnia quoq; regum instituta, jura, leges populus Romanus abrogavisset, censuram tamen, quasi certissimum publicarum fortunarum ac civitatis firmamentum, mordicus retinuit: quam regia potestate Consules primum exercuere: deinde Consulibus bello distractis, Censores: quos creari placuit, ne munus tàm necessarium ullo momento civitati deesset.* Videatur ipse Bodinus: & nos alibi hanc rem terigimus.

Remedium septimum.

§. 9 De septimo remedio ita Aristoteles: *Commune autem præceptum est & in democratia & in Oligarchia & in Monarchia & & in omni deniq; reipublicæ administranda forma, neq; nimis augere quenquam præter commensum & convenientem modum oportere; sed conari parvos, eosdemq; diuturnos honores deferre potius quam breves & magnos: depravantur enim hi & corrumpuntur cives: & secundas res ferre non cujusvis hominis est.* Nimirum eminentes virtute, honore & ultra privatorum conditionem potentiâ tam Regibus, quàm Rebuspubl. non absq; causa metuendi habentur. Sœpe est audita Alexandri Magni vox, Antipatrum Macedoniæ à se propositum, dum ipse in Asia bellum gereret, regium affectare fastigium: majoremq; esse præfecti opibus, ac titulo Spartanæ victoriæ inflatum omnia à se data asserentem sibi. Pompeji, qui parem, Cæsaris, qui superiorem ferre non poterant, exempla omnibus nota sunt. Quod si vero peccatum hac in parte sit, & aliquis nimiâ potentia, opibus & clientelis auctus sit, atq; plus quam civilia agiter, quomodo tractandus erit, nunquid subito de gradu & fastigio, in quod ab incautis & parum providis futuri evectus est, deturbandus? Non certe, siquidem Philosophum audiamus, cujus hæc sunt librarissima verba, quibus priora excipit. *Quod si aliter factum sit, non postea quam universos honores in unum aliquem effuderint, rursum adimere universos: sed sensim & paulatim: & maximè quidem conari legibus ita cives instituere atq; erudire, ut nemo in urbe exoriatur*

Curt. lib. 10.

riatur longè cæterùs antecellens potentia, neq; amicorum, neq; pecuniarum. Sin aliter evenerit, eos peregrinari jussos è civitate summovere. Huc redit Aristotelis consilium, ut feratur aliquandiu malum, ne sint remedia ipso morbo periculosiora. stultum est, inquit Piccartus. eas obtrectare vires, quas ipse feceris: quia, si violenter cum talibus agere præsumas, ad præcipitia eos & extrema consilia vocabis, ut desperatione adacti, quæ semel consecuti sunt, armata vi retinere velint. Et nescio annon Ostracismus quoq; quem tamen suadet Aristoteles, violenti nimium habeat. Cosmus Medices Florentia ejectus, & paulo post à factione sua revocatus, Florentiæ principatum invasit; quo non perveniisset, nisi suorum civium injuriis eò provectus fuisset. Vid. Forstneri notas ad Tac. Annales. *lib. i.*

§. 10. Insigne est conservandis Rebuspubl. medium octavum, de quo porro Aristoteles: *Quoniam autem etiam in vita privata res novas quærunt, certam magistratum in urbe constituere oportet, eos qui inutiliter ad reip. administrationem vivant exploraturum atq; inspecturum: in democratia ad democratiam, in oligarchia ad oligarchiam, itemq; in unaquaq; reip. administranda forma.* Adplicat hoc monitum ad Germaniam nostram Piccartus, & nos quoq; docet νεοπεξίαν seu novas res quærere, dum peregrinos mores, luxum, linguam, mores, odium deniq; status nostri & amorem peregrini avidissimè apud Gallos, Italos, Hispanos combibimus. Miramur implexas illas & inextricabiles Germaniæ calamitates: profecto aliunde non sunt, quàm quod peregrinitas omnia corrupit, nec exigimur ad normam exempli prisci morumq; priorum. DEUM immortalem! Quot per Germaniam regiæ sunt! quantus luxus & incisio nervorum publicorum! quantus νεοπεξισμὸς! quanta fames auxilii & imperii externi; Ipsa, si cupiat, Salus Germaniam servare nequeat. Nullum nos præsidium in DEO & nobismet ipsis collocamus: quin omnia huc sunt comparata, ut ludibrium exteris debeamus, ut in mutuum odium & lanienam inflammemur, & publica pax unioq; sanctissimis firmata legibus rumpatur. Qui Catholici audiunt, eos, qui Catholici sunt, diris devovent & hi illos. adeò nulla in Germania religio reliqua est, nullus timor Dei, nullus patriæ & fratrum amor, nulla observantia semel statutorum. Remedium Octavum.

Nonũ. §. 11. Nonum Remedium Generale non unum aliquem civem, sed partem civium seu ordinem certum attingit. Prospero scilicet fortunæ flatu hac illave civitatis parte utente, qui ei opposita est & infirmior, ei res gerendæ magistratusq; tribui debent: aut potentiores cum infirmioribus permiscerí vel ut medii crescant, vincantq; partes oppositas, ut tentare nihil ausint. Tutissimum vero est, initio cavere, ne pars aliqua potentia crescat.

Decimum. §. 12. Ultimum Generale Remedium velut caput in omni Rep. positum est in magistratuum abstinentia, quos æquum est honore suo contentos esse, lucrum non adfectare. Ne autem ærarium publicum expilare possint, prospectum est ab Aristotele: videlicet, ea veri hoc posse, si rationes publicæ pecuniæ sæpius à magistratibus exigantur, tàm acceptæ, quam expensæ: fiatq; id præsente toto populo, postea rationum redditarum monumenta fiant, conserventurq; in tribubus, curiis, sodalitatibus, sic ut plura exstent multis in locis, nec fraus à magistratu committi possit, pluribus videlicet conscíis ærarii, viriumq; publicarum. Sed vide hic ipsum Aristotelem & in eundem Michalem Piccartum.

De remediis in specie §. 13. Hactenus ex Aristotele remedia generalia constituimus: proximum erat, ut eodem sermonis filo, quæ speciatim huic illíve Reip. accommodat Philosophus remedia, adtexeremus. Sed abrumpere hic jubet numerus paginarum, cujus intra cancellos stare leges, quas semel nobis diximus, volunt. Ne tamen nihil egisse videamur, summa rerum capita decerpemus atq; delibabimus, ne defecta applicatione ad speciem & particularia sint minus integra universalia, eorumq; cognitio minus perspicua & plena. Nimirum ex generalibus fontibus rivulos ad unamquamq, Reip. formam deducemus: nec pigebit vestigiis CL. Philosophi simul & Medici Philippi Scherbii insistere, qui in libro commentario in Aristotelis Politica specialia hæc remedia, de quibus Aristoteles sparsim, in quosdam velut fasciculos collegit, quos hic duximus repræsentandos, & sub unum oculi ictum velut in tabula collocandos.

Democratiæ generaliter. §. 14. Instituta democratiæ in genere (Aristoteles enim plures democratiæ species facit Polit. 4. c. 4.) hæc sunt:

I. Imperari ab omnibus vnicuique, & ab vnoquoque vicissim omnibus.

II. Deliberari ab omnibus & de omnibus rebus.

III. Magistratus omnes ex omnibus & ab omnibus creari.

IV. Judicia exerceri ab omnibus, & ex omnibus, & de omnibus, vel certe de pluribus, & de maximis rebus, ut de repoſcendis rationibus publicarum administrationum, de Republ.

V. A censu aut nullo aut tenui participes esse Reipub. & concionũ.

VI. Participes esse Reipub. pauperes, ignobiles, opifices, & alios tabernarios, ita quidem, ut huic parti semper committantur magistratus maximis quorum in Repub. summa est auctoritas.

VII. Concionem omnium rerum aut certe plurimarum & maximarum summam potestatem habere; Magistratum autem nullius aut paucarum rerum.

VIII. Ad comitia & conciones ut veniant & ad judicia, mercedem pauperibus, diuitibus pœnam constitutam esse.

IX. Plebs si nimis superet in concionibus alios cives, vel non dare omnibus plebeis ad comitia venientibus mercedem, vel multos eorum sorte eiicere, donec exæquentur.

X. Mercedem tribui aut omnib. conventib. i. e. concioni, judiciis magistratib. etiam, aut his principalibus.

XI. Conciones & judicia de multis rebus haberi, sed quando non suppetunt publici reditus, ad mercedem pauperibus dandam, pauca fieri, & paucis diebus absolui.

XII. Magistratum, quem vocant consilium sive senatum constituere, ubi omnibus ad concionem convenientibus merces non potest dari.

XIII. Consultores æquales numero ex utraque parte, id est, pauperibus & divitibus vel suffragio vel sorte deligi.

XIV. Mercedem ad necessarios conventus si aliunde non suppetat, conferri à divitib. qui interea liberentur à sumptibus munerum inanium, ut sunt ludi, qui dantur publice populo, seu spectacula.

XV. Magistratus sortito creari, aut omnes aut eos, qui experientia rerum non indigent, vel tandem magistratum dividere, ut aliis sorte, aliis delectu & suffragiis mandetur.

XVI. Magistratus eosdem bis iisdem tribui aut nullos aut paucos præterquã bellicos, ratio est, quia hi visu & experientia indigent.

XVII. Magistratus esse brevis temporis aut omnes aut certo eos, quorum ratio id patitur.

xviii. Magistratum nullum esse perpetuum, si quis autem sit ab aliqua causa è veteri Republ. ejus cum potestatem minuere, tum creationem à suffragiis ad sortem revocare.

xix. Causas publicas quam pauciſſimas in judicium adduci, magnis constitutis pœnis adversus eos, qui temere crimen alicui intendant,

xx. Divitibus parcere, non eos calumniari, neque injuriis afficere, non agros eorum, non fructus diripere: non imponere illis munera sumptuosa.

xxi. Tribuere etiam divitibus ex cæteris rebus vel paria vel etiam potiora, exceptis tamen summis Magistratibus. Nam alias non maneret Democratia.

xxii. De damnatorum bonis quibus mulctantur divites, nihil dividi populo, nihil etiam in ærarium referri, sed sacris addicere.

xxiii. Paupertate nimia ne plebs prematur aliqua ratione providere.

xxiv. Vectigalibus ubertim suppetentibus non statim id quod necessariis sumptibus supereſt dividere, sed collectam istam pecuniam certo temporis spatio distribuere, vel viritim, si tantum adsit, vel agrum aliquem ex eo emere, aut aliquid aliud, quod publice quæstum adferat, vel distribuere per tribus seu φρατρίας.

xxv. Omnino autem Democraticas Respubl. multitudo hominum conseruat.

Ejusdem in specie.

§. 15. Instituta in specie Democratiæ, & optimæ quidē hæc sunt:

i. Magistratuum creandorum & corrigendorum, judiciorum item exercendorum, omnes aut ex omnibus delectos aliquos viros habere potestatem.

ii. Quando communicatio Reipubl. est ab exiguo censu, censeri non totas possessiones, sed per tantas partes dividendo possessiones, ut possint etiam tenuiores Reipublicæ per illos paruos census participes fieri.

iii. Eos quibus maxima imperia & magistratus mandantur deligere, vel à censu majore, vel nulla census habita ratione statim magis idoneos creare.

iv. Agri certam mensuram statutam esse, qua non liceat alicui plus possidere.

v. Ven

v. Vendere agrum prima sorte attributum non alicui licere.

pessimæ vero illa:

i. Adsciscere in civitatem quam plurimos & cives facere non solum legitimos, sed etiam spurios & ex alterutro parente cive tantum natos, tamen usque eo tantum, donec plebs superet nobiles sive divites & medios.

ii. Concionem omnium rerum esse Dominam, judicio magistratuum nihil relinqui.

iii. Tribus & φρατρίας novas facere.

iv. Quæ pertinent ad privata sacra (more gentilium) in pauca & publica redigere.

v. Consuetudines & sodalitates, si quæ sunt è priore Repub. relictæ, tollere, & omnes inter se permiscere.

vi. Vivendi licentiam tribuere servis, mulieribus, pueris & indulgere omnibus, ut unusquisque vivat arbitratu suo.

Remedia oligarchiæ

§ 16. Instituta Oligarchica in genere hæc sunt:

i. A censu magno aditum esse ad Rempublicam.

ii. Deliberare de omnibus paucos, & ex censu.

iii. Magistratus omnes à quibusdam paucis suffragio, item & à censu creari.

iv. Judicia omnia, aut certe capitalia, esse in potestate paucorum.

v. Censeri civitatem statis temporibus initiaque semper ratione bonorum præsentis temporis illius, quo primum ratio census ad Rempublicam capessendam instituta fuit, augeri, vel minui, ut proportio sit eadem quæ initio fuit.

vi. Levis armaturæ milites non fieri ex populo, sed divitum filios; adolescentes bellica numera doceri, ut cum excesserint è pueritia, sint idonei cujusque generis usui armorum.

vii. Hæreditates non donatione, sed jure cognationis, & ad unum unam tantum, non multas pervenire.

viii. Magistratibus maiorib. iis, quos divites gerere oportet, munera sumtuosa adjungi, verbi gratia, Magnificorum sacrificiorum (Hecatombe) item exstructionem ædificiorum in publicos usus.

ix. Pauperum curam magnam haberi, tribui iis etiam magistratus, è quibus lucri aliquid capitur.

Eodem modo in cæteris reb. tribui, ipsis æqualia, vel etiam potio-

ra, exceptis tamen summis magistratibus, graviorem item pœnam statuere, si dives pauperem, quam si pauperem, vel dives divitem contumelia affecerit.

X. Populares in partem aliquam deliberationis Reipubl. recipi uno ex his 4. modis, vel deligi à paucis quosdam è plebe, qui cum ipsis deliberent, vel creari ex utraque parte magistratum aliquem quem vocat præsultorem & custodem legum, qui de iis rebus prius disputet, de quibus postea pauci illi decernunt: vel ut populus ead. sciscat, & nihil diversum ab iis, quæ à paucis antea decreta sunt & ad populum relata: vel ut omnes consulendi quidem habeant facultatem, statuendi autem illi pauci tantum qui dominantur.

XI. Popularibus perveniendi ad honores speciem & locum dari, si censum statutum sint adepti, vel si certo tempore sordidis artibus abstinuerint, vel si se dignos eo beneficio reddiderint.

XII. Uno verbo contraria illis, quæ democraticos status conservant, conservabunt etiam status singulos Oligarchicos, iis oppositos Omnes autem & Oligarchicos, & democraticos moderatio, ideſt, ut nec nimis laxi sint, nec nimis restricti.

in specie illius, quæ inter oligarchias optima est, illa;

I. Census partiri in maiores & minores, ut è minoribus necessarii, è majoribus majores magistratus creentur.

II. Census sic ordinare, ut cum eo numero plebejorum hominum, quibus per censum aditus ad Rempublic. patebit, Oligarchici sint potentiores.

III. E meliore parte populi eos deligere, qui in Reipubl. societatem admittantur. In Dynastia, id est, in deterrima Oligarchia, quæ maxime violenta & tyrannica est, ideoque infirmissima, plurimam cautionem adhibere, adhibitis etiam iis, quæ jam dicentur convenire Tyrannidi conservandæ.

§. 17. Institutа Aristocratiæ, (quæ Aristoteli mixta est) hæc sunt:

Institutа mixtarum Rerūp. Aristotelica.

Institutum Aristocraticæ Reipubl.

I. Recte permiscери inter se status populi, paucorum potentiam & virtutem.

II. Deliberari ab omnibus de quibusdam rebus; de quibusdam autem à magistratibus ad hoc creatis. III. Ma-

III. Magistratus creari suffragio & non à censu, quosdam quidem à quibusdam ex omnibus,& quosdã ab omnibus ex quibusdam.

IV. Magistratus quosdam proprios creari, ut παιδονόμου, γυναικονόμου & alios ad modestiam pertinentes.

Democratica f. Politiæ

Institutæ Politiæ, (quæ itidem mixta dicitur) hæc sunt:

I. Permiscere oportet recte statum pop. & dominationem paucorũ pro dignitate in mandandis magistratibus, & in Repub. communicanda.

II. Concionum sive deliberationum publicarum participem fieri è censu mediocri.

III. Deliberari ab omnibus de quibusdam rebus, & de quibusdam à magistratib. ad hoc creatis, sive suffragio sive sorte (nam est mixta Resp.)

IV. Magistratus creari nulla census habita ratione, vel omnes ex omnibus vel omnes ex omnibus, vel omnes ex quibusdam, vel quosdam ex omnibus, & quosdam ex quibusdam; non tamen creari ab omnibus simul (esset enim hoc nimis Democraticum)

V. Iudicia exerceri omnia ab omnibus, & quædam à quibusdam.

VI. Judicia ut exerceant divitibus pœnam, pauperibus mercedem constitui.

VII. In absoluendo ratam esse Magistratuum sententiam, in condemnando non item, sed plerunq; provocari posse ad multitudinem majorum.

De Regno

§. 18. Instituta regnorum hæc sunt:

I. Ad mediocrem rationem vim imperandi revocare, ne nimis multa Regis arbitrio permittantur.

II. Providere, ut nec divites injuria, nec plebs contumelia afficiatur.

III. Custodiam si habeat, habere ex civibus suis.

IV. Amicorum opera & studio maxime niti.

IV. Magnum neminem unum facere: sed potius multos, si omnino unum oporteat cavere eum, qui sit moribus audax.

VI. Et quæcunq; paulo post dicentur conservare Tyrannides secundi modi, omnia (si vim & simulationem detraxeris) huc pertinent conservantq; istjusmodi regna mixta, & deminuta.

§. 19.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0315
DFG

De Tyrannide.

§. 19. Tyrannidis conservandæ duo sunt modi: alter crudelior, quem per partes diduximus diss. VII. §. 21. alter mitior, quando Tyranni operam dant, ut ad verorum Regum similitudinem quàm proximè accedant. Instituta posterioris modi hæc sunt.

1. *Deos colere eximie (Lipsius in polit. multa præscribit suo principi, quæ sumuntur ex hac Tyrannide) citra ineptias tamen & citra superstitionem (hoc enim est admodum muliebre) semper videri.*
2. *Munire & ornare civitatem ut procuratorem, non ut Tyrannum*
3. *Communium rerum curam ostentare non absumentem pecuniam in ejusmodi largitionibus, quæ multitudinem offendant, & accepti & expensi rationem reddendam.*
4. *Tributa sic imponere ut Reipubl. juvandæ causa / & ad usum militarem pecuniam cogere videatur.*
5. *Moribus esse ad virtutem accommodatum, aut semibonum & non improbum, sed semiimprobum.*
6. *Gravis & venerandi / non asperi & timendi hominis faciem præ se ferre.*
7. *Mediocritatem in omni vita non exuperantiam videri sequi.*
8. *Sobrietatis & modestiæ opinionem de se gignere, vel intemperantiam omnem / crapulas & ebrietatem aut vere fugere, aut saltem se simulare fugere.*
9. *Virtute aliqua præsertim bellica si potest excellere / aut saltem videri.*
10. *Civili disciplinæ deditum esse, & talem de se existimationem excitare.*
11. *Contumeliis in virgines & mulieres abstinere; item nullis contumeliis viros afficere, multo minus ferre ut ipsius aulici hoc faciant.*
12. *Pleraque legum præscriptis agere.*
13. *Egregios & præstantes aliqua in re viros sic honorare, ut illi arbitrentur / se etiam in libera Republ. non plus honoris adepturos.*
14. *Honores & præmia ipsum per se tribuere, pœnas per alios, id est judices & magistratus.*
15. *Utrumque ordinem plebeiorum & divitum sic fovere, ut utrique existimet suam salutem in tali imperio esse inclusam.*
16. *Nobiles familiaritate, plebem indulgentia & facilitate sibi conciliare.*
17. *Magnum neminem unum facere, ut etiam in Regno.*
18. *Potentia & opes alicuius si fraugendæ erunt, paulatim id facere.*
19. *Cavere maxime eos, qui aut se aut suos contumeliis affectos putant.*
20. *Cætera omnia, quæ faciunt, ut videatur Paterfamiliæ potius in tractandis rebus communibus / quam earum interversor.*

§. 20. *De Tyrannidis curatione vide Lipsium Doctrinæ Civilis lib. 6. cap. 5 Hugonem Grotium de Jure p. & b. lib. 1. cap. 4. §. 8. seqq. & Berneggeri quæstiones in Tacitum Quæst. 191. alios q.*

SOLI DEO GLORIA!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0316
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0320
DFG

ceſſum habeat? hunc præſtat armis abſtinere, & periculum declinabit, & ſumtibus parcet, & gras, deniq; errores aliorum ſæpe commoda ſubmaniſtrabunt ei occaſionem: quæ verba in Quæſtionibus ad Tacitum CL. Berneggeru tiones & limitationes regulæ de fugienda neut tum prima eſt, ut quis finitimorum principu tua per ſeſe tueatur imperium, & à ſocioru *Qua quidem ratione*, inquit, *Lotharingi, Allobr pace ac tranquillitate ſteruerunt, quamdiu à belli pum, & quidem eorum conſenſu abſtinuerunt: Allobrogum Hiſpanis ſeſe adjunxiſſet, imperio exstus eſt.* Alteram ſubnectit: ſi vicini hoſt metu prohibentur, ne nobis noceant, aut ſi geat noſtra opera, metuatq;, ne hoſtiliter tr adjungamus, plurimumq; momenti ad ſe c mus: tum enim neutris ſine periculo accedere

§. 8. Pergimus ad Remedium Generale gerit æquam cenſus deſcriptionem, quæ neg moda & turbas cum omnibus Rebuspubl. obji illis, in quibus Majeſtas eſt penes plures, paucos enim Oligarchia ex cenſu magiſtratus legat, gat modo ditari, puta ſi fruges inſigniter prov aliqua nobilis obtineatur, modo calamitate a niſi maturè occurratur, facile malum & mutat eſt. Conſultum erit, ut cenſus mutetur pro con ut creſcentibus opibus Reip. augeatur cenſus, i tur: & mutetur quidem in parvis civitatibus qu ibi augmentum vel decrementum facilius ſent ennium intercedere poteſt, vel amplius etiam Romani ſingulis luſtris cenſum inſtaurabant. tele Piccartum adduximus, uſum cenſus in Ol tem. Poteſt tamen omnium Rerumpubl. cor labe præſervandarum quam efficaciſſimum ut um cenſus conſtitui, adeoq; vehementer mirar nus hoc cenſendi bona civium tam utile & n

nodo
inte-
endæ
ecitat
cau-
Qua-
mu-
eat.
libera
rinci-
n dux
rancis
ipſos
indi-
s nos
lfera-

Q. 155.

d ſug
com-
mum
Cum
ntin-
ſtoria
inui,
i pot-
, ſic
inua-
quia
is tri-
nodo
riſto-
ſtran-
atq; à
medi-
s, mu-
ve ad
civi-

Reme-
dium
ſextum

lib. 6. cap. 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729615693/phys_0321
DFG